



**Defensio D. Petri Martyris Vermilij Florentini divinarum
literarum in schola Tigurina professoris, ad Riccardi Smythaei
Angli, olim theologiae professoris Oxoniensis duos libellos de
Caelibatu sacerdotum, & votis monasticis, nunc primu?m in
luce edita.**

<https://hdl.handle.net/1874/427293>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell
Huybert van Buchell (1513-1599)**

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
 - de kopsnede
 - de frontsnede
 - de staartsnede
 - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection
Huybert van Buchell (1513-1599)**

More information on this collection is available at:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

Rariora


**E. oct.
198**



3

Matthye de celebati


E. oct.
108






E. oct.
198

Rariora





8
280 198

DEFENSIO

D. PETRI MARTY-
RIS VERMILII FLORENTINI

DIVINARVM LITERARVM IN SCHO-

la Tigurina professoris, ad Riccardi Smythæi An-

gli, olim Theologiæ professoris Oxoniensis

duos libellos de Cælibatu sacerdo-

tum, & Votis monasticis,

Nunc primùm in lucē

edita.

Priori ad Corinth. Cap. 4.

*Mihi verò pro minimo est, ut à vobis iudicer, aut à
humano die.*



BASILEAE APVD PETRVM PER NAM.

M. D. LIX.

ex dono Buchely



DECEMBER 1864

WEST VIRGINIA

DEPARTMENT OF THE ARMY

HEADQUARTERS OF THE DISTRICT

OF WEST VIRGINIA

CHARLESTON, W. VA.

NOVEMBER 1864

TO THE HONORABLE SECRETARY OF WAR

WASHINGTON

GENERAL

YOUR ORDER OF THE 10TH INSTANT

IS RECEIVED

AND WILL BE OBEYED

TO THE LETTER

YOUR OBLIGED

AND ALLEGIANT

SUBSCRIBER

JOHN W. BROWN

COMMANDER

OF THE DISTRICT

OF WEST VIRGINIA

CHARLESTON, W. VA.

NOVEMBER 1864

BY ORDER OF THE DISTRICT

OF WEST VIRGINIA

JOHN W. BROWN

COMMANDER

OF THE DISTRICT

OF WEST VIRGINIA



REVERENDO IN

CHRISTO PATRI D. DO-

MINO RICCARDO COXO ANGLIO DEI

gratia Episcopo. N. Petrus Martyr sacrarum lite-

rarum professor in schola Tigurina, Gratia

& salutem à Deo Patre per Iesum

Christum Seruatorem

nostrum.



INTERPRETABAR olim Oxonij Reuerende Antistes, Rege Angliæ Eduardo VI. eius nominis adhuc uiuo, Pauli epistolâ priorem ad Corin. quo etiam tēpore, tu eius Gymnasilij rectorem leu (quem admodum appellant) Cancellarium felicissimè agebas

Et quum ad 7. cap. iam peruenissem, ubi Apostolus de uirginitate atque matrimonio permulta scribit, ibi de uotis, ut meæ rationes ferebāt, copiosè satis fuseque disputauim. Aderat in schola frequentissimè Smythæus, cui ad sacras literas ibi profitendas iussu regis, fueram surrogatus. Is quæ à me dicebantur, non solum attentè audiebat, sed etiam quantum assequi poterat, literis consignabat. Idem què ab eo factum est cum eiusdem epistolæ cap. II. explicando, ea de mysterio Eucharistiæ docerem, quæ ueriora, & synceriora esse credebam: nam quemadmodum prius fecerat, ea quoque omnia excepit. Verum, quia illi (ut animo turbido, & iudicio corrupto est) quæ dixeram minimè probabantur, quodam die, me ne suspicantem quidem, in auditorio ipso, maxima turba suæ factionis aduocata, tumultuosè admodum est aggressus, instabat, ut missa docendi functione, quam illa hora solebam quotidie obire, commutato instituto, ad disputandum secum de improviso, ac repente accederem. Ego uerò satis intellexi totam eam rem plenam

esse periculi: nihil enim tum procliuius erat, quàm ut omnia in seditionem, & quidem turbulentissimam exirent. Nam illius operæ per totum auditorium, quod erat confertissimum, sese infuderant, paratæ quidvis facere, turbare, atque miscere, quò ueritatem, quam non poterant extinguere, opprimerent, ubique spargendo, fingendo, & inculcando uictoriam à se stetisse.

Quare nolui eam accipere conditionem, quæ mihi satis iniqua offerebatur. Neque uisum est homini fureti, multaquæ seditiosè dicturo morem gerere. Nemo fuisset tam cæcus quin intelligere tum faciliè potuerit ex tali disputatione, uel ad scholam, uel ad Ecclesiam nullum fructum denique redditurum: si quidem neq; auditoribus, neque mihi satis constabat, de quibusnâ quæstionibus esset differendum: etenim eas usque ad illum temporis articulum occultauerat, neque ut mos est, in albo disputandarum quæstionum publicè proposuerat. Id tantum omnes generatim intelligebamus eum de sacramento Eucharistiæ, contra me uelle differere. At parum temporis concedi uidebatur, ad tantam rem excutiendam. Hora quippe nona iam erat elapsa, nec fieri poterat, ut una hora quæ reliqua erat, ea disputatio absolueretur, quæ postea quatuor dies agitata, uix tandem concludi potuit. Ad hæc id accedebat incommodi, neque iudices, neque moderatores ullos fuisse adhibitos, quorum iudicio atque arbitrio tota ea res gubernaretur: nullos item notarios destinatos, qui bona fide iustaquæ diligentia ea exciperent, quæ disceptando ultro citroquæ dicerentur. Quo itaque omnia rectè, atque ordine fierent, actio illa in quædam certum diem reiecta est. At Smythæus noster sese clam ex Anglia subduxit, tantum abiuit, ut ad conditum tempus disputationi habendæ præsens adesse uoluerit. Louanium autem uenit, & in me, duos non minus ineptos, quàm uenenatos libellos de Cælibatu sacerdotum, & de Votis monasticis edidit. Quos ego tum accepi, quando commentarium in epistolam ad Cor. priorem, iam iam in lucem dandum recognoscebam. Sed ut ne diutius quàm constitueram, ea editio differretur, quæ non modò ab amicis, & grauiissimis uiris postulabatur, sed improbè admodum efflagitabatur, exiit. n. aui sententiam meam de Votis, & responsionè
ad Smy-

ad Smythæum in aliud tempus differre. Id quæ in expo-
sitione circa finem 7. capituli lectoribus me aliquando
præstitum ire, bona fide recepi. Deinde otiosum quod-
dam nactus, quæ uisa sunt meo sycophantæ respondi.
Cæterum quia putabam nostrorum hominum studiū
huius disceptationis cognoscendæ iam deferuisse, pe-
nè decreueram hanc lucubrationem præsertim quod
scripta esset in hominem iuxta impurum atque obscū-
rum suppressere. Atque id ut facerem, nonnulli amici
& quidem ex præcipuis consulebant: uerū quod sta-
tueram, id persequi non licuit. Nam qui meum cōmen-
tarium aut perlegerunt, aut iam legūt, me debitorem
esse clamitant, & manu confertum in ius quodam mo-
do trahunt, urgentq; ut promissa dissoluā, & meā fidē
tandem aliquando liberem. Quorum tum iustis tum
flagrantissimis postulatis cum reluctari ulterius ne-
queam, id reddere, quod sum olim pollicitus, nunc de-
creui. Atq; te Reuerende pater, Antistesq; doctissime
huius mei qualiscūque laboris patronum elegi, quod
pro meo iure potuissē facere multis nominibus uideor
Primum quod te omnia ea, quæ tum tēporis gesta sunt
memoriter tenere nō dubitem. Nam eo loco & autho-
ritate tunc eras, ut actionibus Oxoniensibus sæpius
& interfueris, & præfueris. Deinde quoniam ob tuas
insignes uirtutes, egregiam eruditionem officia &
beneficia non uulgaria in me collata, sum tibi quam
arctissimè ac inperpetuum deuinctus. Adhæc, quod
nefarius iste Zoilus cui respondeo, non tantum in me,
aliosq; bonos uiros asperrimè debachatur. Sed te
præsertim, uirum, quem eruditionis & dignitatis ergo
suspicere debuisset, in suis tamē hisce libellis flagellat,
lacerat, & conficit. Quamuis me non fugit, mirum in
modum esse splendidum atq; honorificum, pijs claris
& doctis uiris, ab impijs, turpibus, & indoctis malè au-
dire. Quamobrem id uel nihil, uel modicè ipsos tãgit,
Postremò uerò cum tibi nō solum de reditu in patriā
sed etiam de collato episcopatu gratulari cuperem,
uisum est id facere hoc meo cuiusmodicunq; munu-
sculo, quod & si per se ipsum rude, tenue, ac paruū est,
atramen dignitatis & nominis tui splendore, cui inscri-
bit, cultius, plenius, & multis modis amplius euasurū,
quàm sit, mihi polliceri audeo. Nūc autem de ordine

atque ratione quam in scribendo, & respondendo firmè
sequutus, nihil dicam, si quidē ijs de rebus in mea præ-
fatione, lectorem quantum satis uisum est, admonui
Pluribus item non excusabo stylum, non ea depreca-
bor, quæ tuas elegantes aures iure possint offendere,
neque multis operam, & studium meum commenda-
bo: quoniam te cum æquum, tum amicissimum patro-
num me prorsus habiturum confido, nec sanè aliter af-
fectum, quàm semper antea sim expertus. Verùm ijs,
missis ad ea uenio, quæ non sine mea summa uoluptate
de te sæpius cogito, sanè pro eo, ac debeo tantum
gaudij, & quidem solidi cepi de tuo red tu in Angliã,
quantum explicare nequeo, nec si daretur exponere,
quenquam facilè crediturum arbitror. Quid quæris?
tam sum lætus, quàm qui maximè. Iam planè uideo iu-
storum uitam, secundarum rerum, & aduersarum iu-
star Euripi habere perpetuam quandam reciprocatio-
nem, ita ut in eis, & mortis Christi, & resurrectionis ex-
pressa species: & uiua imago resplendeat: sunt Dei ser-
ui modò in pretio, atque honore, modò uerò piacula,
& oues mactationi destinatæ, pro Christi nomine: lau-
dandus Deus, æternumque prædicandus, qui depulsis
tenebris, lucem rursus in regno Angliæ pro sua bo-
nitate coruscare uoluit. Is est, qui potentissimam Re-
ginam Elizabetam ad hæc usque tempora incolumè
seruauit, cuius pietate, sapientia, iustitia omnia melio-
ra, & feliciora nobis restituit. Ipsa enim religionem ad
puritatem Euangelicam reuocat, superstitiones in dies
magis magisque amouet, & uerbum Dei quod omnium
honorum caput est, ubique per omnes suas ditiones
inculcari, & prædicari iubet. Utinam illi Deus elargia-
tur, ut ea perfectè absoluat quæ rectè atq; sanctissimè
inchoauit, ut nullæ tandem reliquæ Amorrhæorum
in populo Dei remaneant, quò ex animis hominum ra-
dicitus extirpetur superstitio: illa quidem gratia Dei
& per se se sapit, & eos habet monitores, qui cum spiri-
tu, tum doctrina plurimum pollent. Inter eos au-
tem pro certo habeo, te, quoque fideliter acturum, quæ
tua est in Deum pietas, & in illam obseruantia. Quod
ad me attinet Reginam, ecclesiam, & regnum Angli-
cænum quanta precum ui possum filio Dei assidue cõ-
mendo, & sanè ad nos de instauratione uestra felicissi-
ma

na, læti nuntij quotidie afferuntur. Sed inter cætera,
quæ Regina maiestas in religione restituenda præclare
gessit, hoc bonis omnibus magnum habuisse momen-
tum uidetur, me autem prorsus ^{UIA. T. S. I. O.} replet, ac mi-
rificè consolatur, quòd episcopos tum egregia pietate
insignes, tum etiam doctissimos ecclesijs regni sui
dederit, quæ languidæ, ac propemodum emortuæ
iam erant. Illis uerò tu quoque iure meritoque
adnumeraris, ut cui. N. tradita sit gubernanda.
Quod ego non tibi eo nomine gratulor, quasi ma-
iorem aliquam dignitatem, honoremque amphorem,
quam antea sis assequutus. Ita enim te nunquam am-
buisse certum scio, qui dignitatum & honorum sa-
bitur admodum fueris. Cur autem uehementer gau-
deam, id est, quia probè noui quantum in palestra ec-
clesiastica possis. Noui quanto studio ueræ pietatis
instaurandæ tenearis. Noui denique quum Rex An-
glie Eduardus memoriæ sanctissimæ alumnus tuus
adhuc uiueret, quanta eum prudentia & dexteritate in-
stitueris. Tu etiam in Deum purè colendum accè-
debas, tua opera, & diligentia, uocibus Christianis au-
res eius perpetuò insonabāt. Tua doctrina & institutio
ne ille uerè diuinus princeps, quæ uis tener adolescens in
Christianismo puro, ac Euangelicis dogmatis admira-
culum profecerat. Taceo quæ publicè gesseris Oxoni-
j tibi magistratū gereres, quæ uis priuatim in collegio
Christi, cui preeras. Taceo quoque ut bona fide, charita-
te atque industria pauperibus regias elemosynas distribu-
eris. Taceo inquit, hæc, & nolo ^{καταλειπον} de singulis dicere
Sed illud unum tibi uerè affirmo. Hæc omnia tam mihi, quam
cæteris omnibus, qui ecclesiæ bene cupiunt magnam expec-
tationem de te mouisse, ita ut iam ferme perspectum & ex-
ploratum habeatur tuam uocationem fore Christi ouib.
fructuosissimam. Sic enim factus institutusque uideris, u-
nuc materiæ per amplam, & latissimam campum nactus, uber-
ring tuæ doctrinæ summo cum fructu semetipsum copiosissimam
sis facturus, quòd Christi syncerus cultus longè lateque
propagetur. Placabis tu quidè, & rigabis quæ diligenter si-
mè, Deus uerò qui omnis boni fons est perennis labo-
ribus tuis, atque studijs largissimè benedicet, & spes inie-
ctæ est, noua ista non tantum tricesimam & sexagesimam:
sed etiam centesimam messem, in regnum cælorum producturæ.

Fundamentū iam positum est Christus Iesus filius Dei,
& abiectus est Romanensis Antichristus: ædificabis i-
gitur acrius & incitatus quā unquam antea, super
Christo, non fœnum, aut paleas, aut ligna, sed aurum,
argentum, & lapides pretiosos. Et si abs te iandudum
impressam orbitā sequaris instar boni patrisfamilias
de opulentissimo thesauro diuinarum literarum, quē
tibi summo studio comparasti noui & ueteris instru-
menti salutaria documenta ouibus tuæ curæ, fideiq;
mandatis effusissimè proferes: & iccirco ea talenta qui-
bus à Deo liberaliter admodum es cumulatus ingenio
sè, ac solerter exercens & conduplicabis & suo tempo-
re à Christo tanquam seruus, & œconomus fidelissi-
mus iustis laudibus prædicaberis, quò nihil pulchrius
nihil præstabilius expectari potest. Hæc sunt Episcopo
Reuerende, quæ pro eo quanti te facio ex animo, & ma-
gnoperè tibi gratulor, Deumque patrem Domini no-
stri Iesu Christi precor, & obsecro, ut quemadmodum
in cruce tibi hætenus affuit, quando magna constan-
tia extra patriam uerbo eius potius, quā impietati
parebas, ita nunc suo spiritu atque fauore adsit in ea se
promouit. Vale Antistes insignis, ac pater in Christo
Iesu colendissime. Atque meum libellum tuo nomini
dicari, non tantum in bonam partem accipias,
uerum eo pectore atque fronte illum exci-
pe, quæ ego ad te sum ausus mit-
tere. Tiguri 22. Augusti.

M. D. LIX.

PETRI

1
D ▶ PETRI MARTYRIS

VERMILII FLORENTINI

AD RICARDI SMYTHAEI ANGLI LI-

bellos Duos de Cælibatu sacerdotum & Votis
monasticis.



DEVS pater Domini nostri Ie-
su Christi, quum ueritatem Euan-
gelij sui curet in dies magnificè il-
lustrari, facillè patitur, ut subinde
per multi surgant, qui malis arti-
bus eam labefactare nitantur, ut
quò de illorum amentia & erro-
re fuerit præclarius triumphatum, eò Christianæ uerita-
tis cultores nitorem eius, atq; sinceritatem purius con-
templentur. Fuerunt itaq; superioribus annis haud pau-
ci non minus hypocritæ, quam superstitiosi, qui aduer-
sus ministrorum Ecclesie sancta coniugia ore tum pro-
eaci, tum blasphemò inuecti sunt quam atrocissimè. Sed
Ecclesia piorum è uestigio ad manū habuit nobiles, atq;
strenuos diuinorum sermonum propugnatores, qui non
suo priuato nomine, sed spiritus sancti, ad eò fregerunt il-
lorum insanum furorem, ut apertè uiderimus in eo cer-
taminis genere Deum sapientes in astutia eorum com-
prehendisse, atque prouidentia ineffabili sapientiam sa-
pientium, & intelligentiam intelligentium perdidisse.
Cumq; timentes Deum, qui uiderant Euangelicæ doctri-
næ hostes Dei auxilio superatos, secū dicerent: Vbi sapi-
ens? ubi scriba? ubi inquisitor huius seculi? & nemo quis-
quā arbitraretur, denuò quempiā excitandū, qui, cū de-

bellatum feliciter esset, hanc pugnam rursus auderet intrastaurare, Ecce tibi Smythæus, audaciâne, an impudentiâ dixerim, magis quàm uiribus fretus bellum redintegrat, aciem sophismatum instruit, & manus pro uiribus conferit: eiq; tametsi deest, cum uerbi Dei scientia, tum etiam rectè, uerèq; dicendi, & iudicandi facultas, nihilominus fabrili uersutia, & ipse contra ueritatem linguam acuit, & quamquam iusto prælio nõ possit uincere, turbat atque tamen infirmos, & aduersarios Euangelij Christi, quando aliter nequit, uel baculis arundineis confirmat: robustis uerò, qui non ad omnem uentum doctrinæ, ut paruitelli, agitantur, Deo propitio, conatus eius minimè nocent. Omnes quidem, quod ad ipsum attinet, inuadit, quemadmodum serpentes, qui sedent in triuijs, ut in eos, qui seculè transeunt, repente insiliant. Verùm ab huius morsibus quantumlibet uenenatis nemo peribit, nisi cui Deus huius seculi ob infidelitatem oculos excæcauerit. Ne tamen exprobrentur nobis ab impijs & superstitiosis citius libelli, tanquam fortes & graues, ut qui nusquam possunt iure carpi, nec inuenerint adhuc unum aliquem, qui eò contradiceret, atq; resisteret, hanc ego respondendi prouinciam suscepi: nec ea planè de causa quòd aduersum me scripserit, ac ubiq; meum nomen rabidè proscindat, & infectetur: hæc enim Christiani homines laudi, gloriæq; ducunt, tantum abest, ut illis quicquam moueatur. Dixit enim Christus: Beati estis, cum probra iecerint in uos, & persecuti fuerint, dixerintq; quod uis malè uerbum aduersum uos, mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces uestra multa est in cælis. In enim persecuti sunt & prophetas, qui fuerunt ante uos.

Proinde cum ex his intelligamus, hinc gradum à Domino factum esse ad felicitatem, conuicia, & maledicta

DE VOTIS ET CAELIB.

hypocritarum alacritate multò maxima ridemus. Idcirco ratio mei nominis, quam ego penè nullo habeo loco, ad scribendum me non impulit: sed, quòd sim ueritus, ne non diuturnum silentium libris alioqui leuibus & ineptis aliquam auctoritatem apud infirmos conciliaret. Ceterum, quoniam tacui aliquandiu, nunc dicendum arbitror, cur tanto tempore defensionem hanc distulerim. Porrò (ut uerum fatear) nulla est ratio scribendi, cum tamen uaria & multiplex inueniatur, qua minus delecter, atque si cum rabulis, & sophistis cogar certare. Et mihi uideor, non ab re in scribendo contentiones omisisse, quandoquidem, ut à sapientibus longè prudentissimè dictum est: Veritas altercando sæpè amittitur: quæq; aliàs paucis agi potuissent, dum contendimus, uerbosius explicantur, quoniam ad hæc, aliæ uel declaranda libidine aduersarij trahimur, neque per eum nobis licet compendia orationis persequi: unde horæ, quæ in sacris literis interpretandis optimè collocarètur, in sophismatis, calumnijs, atque conuicijs malè pereunt. Hinc itaque partim factum est, ut ad respondendum Smythæo tam serò accesserim.

Quamuis & aliud præterea fuerit, cur mihi tam paruum arriserit hæc arena: quòd sycophantan adeò stultum, & ineptum sum nactus, ut in causa, quam defendendam suscepit, ex ingenij penu miserrimo, nihil noui proferre ualuerit, sed ea tantum habeat, quæ ab alijs Papæ adulatoribus, & Antichristi mercenarijs dicta, & repetita centies hæctenus fuerunt. Quibus cum sit ab aliquib. nõ incommode respõsum, operã meã superuacaneã fore suspicabar. Didici etiã à fide dignis, illum omnia, quæ in me dicit, longè antè cõgessisse in Lutherũ, licet ea, dũ is uixerit, nõ sit ausus edere. Post mortẽ uerò eius duos hos libellos

inuulgauit: priorē quidem de Cælibatu sacerdotū, alterū
autē de Votis monasticis, quē appellat Cōsutationē quorū
dā meorū articulorū, & ita suū institutū tractauit, ut se
in scribendo ualde ineptum declarauerit. Deinde cum in
priori libro omnia fermē arma sua consumpserit, nō ha
bebat postea quid noui adferret in altero: unde rācida il
la, quæ prius adduxerat, denuo repetijt. Quare in duo
bus libellis nō habet lector, nisi quod prouerbio dicitur,
Bis Crambem: & facillē uidet istum duos parietes ex eo
dem cœno, ac luto suæ ignorantia uoluisse scædare. Neq;
his contentus, priorem libellum, quem nominatim aduer
sus nullū adiderat, rursus excudi uoluit, ac titulo com
mutato, ipsum quoq; contra Petrum Martyrem inscrip
sit. Vbi tamen ab initio dubitauī, an de me, an de altero
quopiam loqueretur: cum suum Petrum Martyrem Car
thusianum faciat, & ego Carthusianorum institutum ne
per somnium quidem unquam susceperim: cuius rei testes
habeo in Italia innumeros, & in Anglia non paucos. Sed
ipse in animum induxit, nihil dicere, aut scribere, quin
statim eum deprehendas mendacem: adeo ut quantus
quantus est, totus ex mendacijs conflatus uideri possit.

Accessit præterea, quod etiam à scribendo me non ni
hil deterruit, quosdam grauissimos, & maximæ dignita
tis uiros, mihi non semel fuisse authores, ut hominem tam
malè sanum præterirē tacitus, atq; silentio altissimo uin
cerem. Nam inter cætera ipsius uitia, quæ infinita penē
sunt, id quoq; in eo deprehenderunt, quòd cum sit alio
qui omnibus partibus obscurissimus, nomen tamen sibi
uel inde quærat, quòd tēplum Dianæ incenderit. Et cer
tè nihil aliud uidetur scribendo quæsuisse, quàm a
yos patriam suam maledictis proscindere, optimis qui
busq; uiris mendaciter obtreclare, synceramq; diuinarū
lite-

DE VOTIS ET CAELIB. §

literarum ueritatem impiè corrumpere. Quamquam, Deo gratia, operam lusit. Nam illustris hæc patria conuicijs eius nihilo est deformata: nec defama, dignitate uel insignium uirorum uel pilus detractus eius contumelijs: nec sacræ scripturæ ueritas, quæ constantissima est, ulla ex parte fraudulentis eius captionibus labefactata.

Cum itaque ab his præstantissimis uiris non contemnendas rationes adduci uiderem, sum aliquandiu cunctatus: sed tamen respondere deniq; statui, tum propter causam iam à principio allatam, tum etiam quia in mentem ueniebat, me promississe id quandoq; facturum, cum in epistolam priorem ad Corinth. anno superiori scriberem: postremò etiam quia ex auditoribus Oxoniensibus permulti, quos in Christo charissimos habeo, ut id facerem, importunissimè flagitarunt. Dumq; animaduerto sortem Israelitarum fuisse, ut cū Cananæis cæterisq; idololatrias assidue pugnarent, et mecum repeto, complures ex patribus alioquin mansuetissimos, adactos, uellent, nollent, cum impudentissimis hæreticis in certamen frequenter descendere, me ipsum ego quoq; consolabor, quòd licet id uehementer cuperè, nò tamen euitare iuste potuerim, quin cum Smythæo deniq; in contentionem uenirem.

In scribendo nihilominus, quantum res patietur, ero breuis, præsertim cum in ista quæstione ante me præclarissima ingenia sudauerint à quibus nil fermè relictū uideo, quod possit omnibus calumnijs ab hoc monstro renouatis abundè latissimeq; satisfacere. Vnde intelligo solum mihi relictas partes, ut quæ ab alijs doctè inueta fuerūt, ea ad retegendas istius fallacias accōmodè. Quod, ut spero, nò parum his cōducet, qui sunt infirmiores, et per se ipsos præclaras et uerissimas interpretationes diuinæ scripturæ uafri hæreticorū obiectis aptare non ualent.

6 PETRI. MARTYRIS.

Atq; ut nostra oratio absq; ordine dissoluta non uideatur, sic eam esse distinguendam existimaui, ut primo loco spectemus, quidnam de Votis & præsertim cælibatus è diuinis literis constituendum sit: deinceps quidnam in ista questione à pijs hominibus de Patrum sententijs, & Conciliorum iudicari debeat: Postremò ne Smythæus omnino ignoretur, non enim se patitur obscurum esse: quisnam hic uixerit, paucis demonstrabitur: non quòd is ego sim Apelles, qui cum suis coloribus aut possem, aut uelim pingere, cum hæc materia prorsus omne opus, ne dum meum, superet: attamen uirtutis eius atq; constantiæ ad quem gustum dabimus, ne quis fortè, cum illum audierit in nuptias ut uocat, Lutheranorum, tam spurcè, atq; prodignitate sui oris declamantem, ipsum arbitretur aliquè esse tertium Catonem è cælo delapsum in hanc insulam, qui defenderit uel usq; ad mortè fortissimè quæ prius docuerat. Ideoq; sub finem ob oculos ponemus illius palinodiam, quam publicè Londini ad Paulinam crucem habuit. In hæc itaque tria Apologia uniuersa distribuetur. Quæ si fauente Deo explicata fuerint, lectorem fortasse non poenitebit laboris, si quem illi uisum fuerit nostris legendis impendere.

Sed primum eorum quæ proposuimus, ut scilicet inuestigemus, quid scripturæ sanctæ de Votis tradant, & doceant, non poterit cõmodè ac dilucidè perfici, nisi prius monstrauiero per singulas quasq; partes, quid ipse de Votis Oxonij auditoribus proposuerim: deinde, quòd cauilli, & obiecta Smythæi suis locis diluantur, cum meæ sententiæ partem explicauero, statim fideliter subiiciam, quæ aduersus eam doctrinam in sua diatribe is produxerit. Aderat quippe in schola cum ea traderem, & quæ tum dictasunt, ut uidebatur, excipiebat: licet referendo eadè in suo

DE VOTIS ET CAELIB. 7

In suo libello, frequenter corruperit, & uitiarit. Nam cōplura mihi ascribit, quæ per febrim, uel phrenesim nunquam in mentem uenissent. Eius autē reprehensionibus amectā statim doctrinæ meæ defensionē. Utq; assidua repetitio euitetur istarum uocum, Ego inquam, Ille obijcit, Ego respondeo, quæ semper occurreret, & sermē necessaria esset, hæ notæ interponentur, Assertio, Obiectum, Defensio: quibus apertē uidebitur, quid singulo quoq; loco agatur: et perspicuē lector intelliget, quid ego asseruerim: quid ille opponat: quidq; in defensionem à me adferatur. Adsit Deus Op. Max. labori suscepto, & Christus afflatu sui spiritus, quicquid scribendum est, cū ad honorem sui nominis, tum ad ædificationē Ecclesiæ regat, & moderetur.

A S S E R T I O.

Votum, ut à significatione uocabuli auspicemur, est quandoque uehemens desiderium: nō. nunquam ardentes precos: aliquando sancta promissio alicuius oblationis Deo reddendæ: interdum verò ipsa res iam Deo ex obligatione promissionis consecrata

Hæc quatuor significata huius uocabuli quisquis apud sese diligenter expendit, pulcherrima ratione factum deprehendet, ut eadem uoce omnia exprimentur: quandoquidem ita inter se coniuncta sunt, ut naturæ ordine unum illorum alterum consequatur. Etenim cum homines quippiam uehementer cupiunt, pro eo impetrando consueuerūt efficacibus precibus cōtendere: & quò probent suam beneuolentiā, & gratum animū Deo, cui supplicat, si quod precantur, eis cōcesserit, aliquid illi promittunt se duros, quod & præclarum sit, & quo maxime delectetur. Cumq; postea exorauerint, quod oraue-

S P E T R I M A R T .

rant, res uotiuæ Deo, cui nūcupata fuit, sancta, obligata
 & addicta relinquuntur. Cohærent itaq; sibi mutuò ista,
 quemadmodū diximus, & ideo uno Voti nomine omnia
 iure significatur. Sed antequā ulterius progrediamur, de
 finiendū est in hac multiplici significatione, quā uelimus,
 ex multis disputando amplecti. Certè nō de uehementi de
 siderio, nō de precibus, nec multū, nisi quātū erit necessa
 rium de re sancte promissa disputabimus nomine Voti: at
 de ipsa promissione, qua nos obstringimus ad aliquid
 Deo reddendū. Vnde hoc ita cōstituto, id quoq; addendū
 uidetur, morem uouendi apud ueteres etiam ante legem
 latam fuisse. Lex deinde successit, quæ complura de Votis
 decreuit. Et in sacra Hebreorum historia, patres frequen
 ter uouisse narrantur. Quin etiam leguntur apud bonos
 scriptores Græci, Romani, & Barbari cum publicè, tum
 priuatim uouisse. Ac in Digestis habetur titulus de pollici
 tationibus & uotis. A populo autē Dei ex uoto quādoq;
 offerebatur uictimæ, uariq; dona: interdum etiam cer
 tum uitæ genus in aliquod tempus: ut de Nazaræis lex
 Mosæica testatur. Fuit etiam antiquitus, ut patet ex diui
 nis literis, & aliud genus uoti ab Hebræis appellatum
 דָּוָן quod omnino esset occidendū, & internecioni
 dandū, quicquid uiueret, in his quæ uoto nuncupaban
 tur: cætera, quæ non uiuerent, omnia deuastanda, & o
 pes, quæ inde colligebantur, mancipandæ sanctuario.
 Neq; poterat unquam cedere ulli hominum usui quic
 quid erat ita deuotum, cum tamen in alijs Votorum gene
 ribus per multa redimere licuerit, ut in libro Leuitici per
 spicue traditur. Atq; sub hac uoti postrema forma com
 prehendi uoluit Deus Amalech, & Hierichuntinā ciuit
 tatem. Idcirco Saul, & Acham grauissimè puniti sunt,
 quòd ex deuota præda sibi nonnihil ausi fuerint retine
 re. Et

DE VOTIS ET CAELIB. 9

re. Et istud Hebræorum אָרְנָה à Græcis redditur ἀνάθεμα, quod & Paulus est sequutus in epistola ad Rom. cap. 9. priori ad Corinth. 12. ac. 16. & ad Galat. primo. Et apud Patres Chrysostomus de anathemate fusè scribit, studens probare, dogmata praua licere quidem anathematizare: sed in homines tale quippiam nunquam esse decernendum, quòd de illorum extrema damnatione à nobis, dum hic uiuimus, nihil possit certò cognosci: cum tamen Paulus ad Galatas dixerit: si quis aliud uobis Euangeliū prædicauerit, anathema esto. Verum de Chrysostomi sententia modò non est locus iudicandi, cum hoc sit in præsentia obiter dictum. Sciendum tamen, Latinos hoc de quo nunc loquimur, non uotum, sed potius deuotum appellare. Hanc ego sequor Votorum distinctionē iuxta scripturas sacras: & parum moror quatuor scholasticorum differentias: qui dicunt, Votorum, aliud simplex esse, aliud solenne: aliud publicum, aliud priuatum: quòd ista sint ita uotorum accidentia, ut ad solidam eorum cognitionem, atq; scientiam uel nihil uel parum cōducant. Addendum præterea est, quæcunq; de Votis è scripturis haberi possunt, ea omnia ex ueteri testamento esse accipienda, cum in nouo non sit eorum mentio, nisi quantum in Actis Apostolicis cap. 18. & 21. habetur: quod tamē non facit ad statutum nostrum, quia Vota quæ sub lege fieri consueuerant, non fuerunt è uestigio prorsus abolita. Nam eo tempore complures ceremonie Moisaicæ adhuc seruabantur, quoad Euangelium esset inuulgatum, & clarius cognitum: quamobrem illa Vota accipienda sunt, ad legem pertinuisse. Vt autem arbitror, Votum non incommode definiretur, quasi sit, sancta, & spontanea promissio, qua homines Deo aliquid se oblaturos obstringunt, quod ad eius cultum, & honorem face-

Distinctio
scholasticorum de Votis.

Voti definitio.

re, certò nouerint. Promissionem sanctam ideò Votum
dicimus, quòd illam oporteat esse ratam, & firmam: ut
de, nisi pater, maritus, & dominus uotum illorù appro-
bassent, qui erant in sua potestate, habebatur inualidum
ut in Numeris à Deo præcipitur. Adijcimus etiam spò-
taneam, quia, si quis id promississet, quod necessario &
ex lege præstare debuerat, illa promissio rationem Voti
non habuit: quocirca primogenita ex pecoribus, cum
Deo alioquin addicta essent, ex Voto non poterant of-
ferri ut Leuitici 27. scribitur. Deoq; diximus Votum
nuncupandum, ne sanctis, ut passim fieri hodie consue-
uit, superstiosè nuncupetur. Postremò est additum, ea,
quæ Votis offeruntur, oportere ad cultum Dei facere,
ne quis aut uouere, aut quasi uota reddere audeat, quæ
Deo nõ intellexerit certò approbari. Est ergo Voti hæc
definitio, seu explicatio, pinguiori ut aiunt, Minerva tra-
dita: quamuis me nõ lateat Magistrum sententiarum in
4. Dist. 36. scripsisse, Votum esse testificationem quan-
dam promissionis spontaneæ, quæ Deo, & de his quæ
Dei sunt, propriè fieri debet. Quæ eius definitionè idcir-
cò non facile amplector, quòd Votum dicat non esse pro-
missionè, sed testificationè promissionis: quasi nõ uelit edi-
tã promissionè priuatim, seu mente uel animo nuncupa-
tam esse Votum, sed oportere ut illi solennis testificatio
accedat. At quantum ex scripturis licet colligere ueteris
testamenti, Votum re uera fuit promissio, neq; alia testi-
ficatio adhibebatur. Atque hæc de significatione uocis,
distinctione, ac definitione præfari libuit.

O B I E C T V M.

f. 2.

In Euangelio inquit, nihil legitur, quod ad Votum
pertineat. Hoc perperam asserabant antè eum omnes
Lutherani, è quorum colluie est Ioannes Caluin us-
Is contra synodum nuper Tridenti coactam, pro an-
tidoto

DE VOTIS ET CAELIB. 11

fidoto nobis propinās præsens ac energicū uirus, sic ineptit: Apostolis erat ignotus cœlibatus, sub quibus nulla unquam erat Votorum mentio. Hoc quàm sit falsum, & perperam assertum, uel hinc liquidius constat, quòd Eunuchi qui sese castrauerunt propter regnum Dei, perpetuam profitebãtur, ac uoueant Deo continentiam, ut nunquam deinceps fas illis esset coitu uti, quemadmodum quibus exceti sunt testiculi, ijs concumbere ne libet, ne licet. Quo obsecro, ore denegas in Euangelio esse, quod ad Votum attineat?

D E F E N S I O.

Non diffiteor, me dixisse in nouo testamento nullã fieri Votorum mentionem, nisi eorum tantum, quæ Paulus de more legis Mosaicæ suscepit. Neq; mihi nunc locus est, ut sanctos uiros, quos tu Lutheranos appellas, à tuis conuicijs asseram: cum illos & uita, & scripta satis tueantur, ac eorum insignem pietatem declarent: cumq; tuis tenebris ac maledictis, nec infici possit, nec obscurari eorum uirtus præclarissima: imò quò magis eos infestatus fueris, eò erunt illustriores. Christus tibi concedat aliquando, ut eos & propius, & melius, quàm hactenus feceris, cognoscere ualeas. Sed ad id uenio, quod ex Matthæo adducis capite .19. Aliquos esse, qui se propter regnum cœlorum castrauerunt. Ea certe sententia nequam significatur, ut tu arbitraris, Eunuchos de quibus Dominus loquitur, cœlibatum uouere: sed ostenditur, nonnullos inueniri qui ad promouendum Euangelium felicius, sponte, ac uolentes à coniugio abstineant: cum neq; ab ipsa natura, neq; ui hominum prohibiti fuerint, ne mulieribus commisceri possent. Tu frustra contendis, ne castrare idem esse, quod uouere. At id, quàm abs te non rectè putetur, ex eo facile apparet, quòd cum Dominus respondisset, interrogatus de diuortio, citra causam adulterij non esse à coniuge secedendum, Apostoli dixerunt,

Locus Matthæi de Eunuchis.

si ad istum modum se habet causa hominis cum uxore,
 non expedit matrimonium contrahere. Non dicunt, ex-
 pedit homini uouere, sed non contrahere matrimonium:
 quod eorū dictū Christus nō approbavit: imò dixit, nō
 omnium esse à matrimonio abstinere, sed eorum, quibus
 est datum. Vides itaq; si scopus Christi spectetur, ni-
 hil de uoto dici: cum Apostoli ad quos Christus respon-
 dit, similitudinem Eunuchorum proponendo, nullā uoti
 mentionem fecerint, sed tantum iudicauerint, matrimo-
 nium hominibus non esse utile. Vnde cum agatur de eo
 contrahendo uel non contrahendo, cur tu ad uotū hunc
 sermonem astringere niteris? Urges Eunuchorum te-
 stes exactos. At in metaphoris, & similibus, si ex antece-
 dentibus non spectes finem, & consiliū eius qui loqui-
 tur, sed partes quasdam tantummodo urges, per sepe
 decipieris. In parabola de uillico iniquitatis, num doce-
 mur ex alieno dare eleemosynam? num laudanda est i-
 niquitas serui fraudantis dominum suum? num paupe-
 res, quibus danus, recipient nos in æterna tabernacula,
 cum ipsi frequenter condemnentur ad gehennam? Nec
 enim omnes mendici sunt pij. Videndus est, mihi crede,
 scopus, & inde non recedendum. Status parabola in eo
 est, ut non simus imprudentiores, quàm filij seculi, neq;
 minoris diligentiae in nostra salute comparanda, quàm
 illi sint in rebus mundanis. Docet etiam proximis bene-
 factendum esse, quò fides nostra testimonium habeat ex-
 ternum, unde appareat iuste nobis adiudicari æternam
 uitam. Si extra hæc septa uageris, mordicus retinendo
 aliqua parabola uerba, tibi dicetur meritò, Extra oleas.
 Quamobrem cum hoc loco, quem habemus præ mani-
 bus id non caueas, dum ais, habentes resectos testes, nec
 posse quidem si uelint, concumbere, malè colligis, illos
 qui

DE VOTIS ET CAELIB. 13

qui abstinent à coniugio propter regnum caelorum pro-
mouendum, lege uoti prohiberi ne uxorem ducāt, si o-
pus fuerit: cum tantum Christus responderit ad id, quod
Apostoli dixerant, conducere homini si matrimonium
non contrahat. Nec licet sano & sobrio theologo dog-
ma confirmare ex uerbis scripturae, quae aliter, & quidē
uerē, atq; commodē intelligantur. Verūm sophistica con-
suetudo te quādoq; non sinit, etiam si uelis, à paralogif-
mis abstinere. Ideo particulam metaphora tantum ca-
ptas, & finem, consiliumq; precipuū responsionis Chri-
sti non cōsideras. Mitto praeterea, ut in eo fallaris, quod
ais, quemadmodum, quibus execti sunt testiculi, ijs con-
cumbere uec libet, nec licet; Siquidem illis persēpē libe-
ret quammaximē, si possent. Quod te miror in historijs
non obseruasse, uel saltē ex Terentio, cuius tamen quan-
doq; flosculos, atq; id parum tempestiuē usurpas. Et ut
non nihil dicam de tuis Eunuchis papisticis, uidere de-
bueras, illis, & libere, & licere. Libet, quia semper in eo-
dem luto haerēt: licet etiam, quia data pecuniola suis epi-
scopis, impunē, ac magno cum scandalo Ecclesiae perpe-
tuō scortantur.

II. O B I E C T V M.

Esaias cap. 19. praedixit Christianis tempore euulga-
ti Euangelij esse uota Deo nuncupaturos, cum sic, in-
quit, differens de Christi aduentu: Et cognoscetur Do-
minus ab Aegypto, & cognoscant Aegyptij Dominum
in die illa: & colent eum in hostijs, & in muneribus, &
Vota uoueunt Domino, & soluent. Et mox apud eun-
dem uatem proditur his uerbis, de Eunuchis in aduen-
tu Christi futuris: Et non dicat Eunuchus, ecce ego li-
gnum aridum; quia haec dicit Dominus Eunuchis: Qui
custo dierint sabbata mea, & elegerint quae ego uolui,
& tenuerint foedus meum, dabo eis in domo mea, & in
muris meis locum, & nomen melius praefilijs & filia-
bus: nomen sempiternum dabo eis,
quod non peribit.

Loca quæ-
dam Isaia.

De uocatione gentium per Christum ad cultum Dei, propheta scripsit illo 19. cap. Sed cum Iudæis loqueretur, qui adhuc sub lege ueteri, ut pueri sub pædago tinebantur, cultum Dei eo modo illis describit, quo ipsi tunc utebantur, nimirum per Vota & sacrificia. Cum itaq; non ignoremus, ut apud Daniele scribitur, in aduentu Christi uictimas & sacrificia cessatura, ita & Vota non amplius durant, iam inducto & reuelato Euangelio. Quid enim uuebant patres antiquitus, nisi oblationes & uictimas? & aliquod uitæ ceruicium genus? quibusiam sublatis, & Vota locum non habent, quantum ex sacris literis constat. Proinde ista descriptione uictimarum, & Votorum à propheta intelligitur uerus et purus Dei cultus, quem Christus in spiritu, & ueritate futurum prædixit. Et apud alios uates identidem sæpe factum legas. Nam idem Esaias alibi dicit, Gentes omnes uenturas ad montem Sion, & ad Hierusalem, ut ibi Deum colant. Et in Ezechiele cap. 40. usque ad 46. describitur Euangelij status, per templum instaurandum, ministeria sacerdotalia, & uictimas carnales. Atque in Malachia dicitur passim offerendū esse Domino *קריבן* quæ omnia si uelis, ut præ se ferunt uerba, intelligere, uictimas, libamina, & omnia ueterum sacrificia reuocæes. Alter uerò locus, qui cap. 56. habetur in Esaiâ, manifestissimè declarat aduentum Domini gentibus patefaciendum: & ita patefaciendum, ut umbræ, ac significationes legis prorsus facessant. Inter umbras autem quæ uerum Dei cultum referebant, fuit quoq; ut Eunuchus in Ecclesia Israelis non haberet locum: quo significabatur, steriles & infœcundos bonorum operum Deo uehementer improbari. Populus autem uetus non solum uerbo

DE VOTIS ET CAELIB. 15

uero aperto, & simplici ad bene sancteq; uiuendum in-
citabatur, sed etiam hac pædagogia commendatus fuit il-
li sanctarum actionum fructus. At ij, ut erant præpo-
sita su perstitutione miserè decepti, dignè Deo uiuere ne-
glexerunt, & interim propulsatis Eunuchis carnali-
bus à sua Ecclesia, fecunditate liberorum mirificè si-
bi placebant. Quare propheta Esaias mittitur, qui hanc
eis falsam, dementemque opinionem excutiat, ac decla-
ret Eunuchis, & cuius hominum generi, quod uideret-
tur alioquin iuxta cæremonias legis externas à Deo a-
lienum, modò studiosi mandatorum Dei fuerint, locum
futurum in Ecclesia, & quidem non uulgarem, sed præ
Israelitis, licet corpore fuerint fecundissimi, qui tamen
obedire legi diuinæ contemnerent. Quandoquidem
ut in Christo non est masculus, neque foemina, neque
seruus, neque liber, ita in eodem non est Eunuchus,
neque multorum liberorum fertilis. Mandatorum
Dei obseruatio requiritur, qui fructus est fidei certis-
simus. Exigit igitur Deus obseruationem legis ex fide,
idque sub nomine sabbati: atque illos prædicat beatos,
qui se in ea exercuerint. Sed nunquid ista beatitudo con-
cludenda est duntaxat in semine Abrahamæ quoad carnem?
minimè. Imò tã latè patet, quã fides & obseruatio manda-
torum: unde in quocunque ista fuerint, seu alienigena,
seu Eunuchis, illum beatum fore Esaias docet. Quid iu-
deis tandem proderit iactasse copiam sobolis, cum le-
gem Dei contempserint? uicissimq; homini sterili quid
oberit sua sterilitas modò sit fidelis, & perficiendæ uo-
luntatis Dei cupidus?

Sensus itaque Prophetæ fuit sterilitatis conditionem
non esse obseruaturam, sed potius, adiuncta obseruatione

legis, meliorem locum habituram in Ecclesia, quam illi, qui licet fecundi sint, legem pactumq; Dei assidue uiolant. Et si uerba Esaie diligenter expendere, uidebitur à Rep. Israelis, dicere, admittēdos esse in Ecclesia Dei, cum tamen iuxta caeremonias legis alienigenae excluderentur. Vnde quicquid hic uel abs te, uel ab alijs de Voto confingitur, à proposito & mente prophetae mirum in modum est alienum: neq; par est, ut fundamentis ad eò ruinosis dogma de Votis constabilire nitamini. Colligite tantum ex hoc loco, quantum uobis dat spiritus author scripturarum, nempe summam consolationē fidelium: quòd in conferenda salute per Christum, Deus nihil moratur genus iuxta carnem, neq; uitia corporis. Huc sanè spectat alienigenarum, & eunuchorum mentio, qui erant apud Israelitas maximo contemptui. Et deniq; mihi uideas ista Deum nō polliceri eunuchis, hoc nomine, quòd sint eunuchi, sed quòd obseruauerint mandata & uoluntatem eius. Quamobrem admittis paralogismum, qui appellatur à non causa, ut causa. Arbitris enim Deum eunuchis polliceri praeclarum nomen, & locum in Ecclesia, quòd liberos non susceperint: cum ipse longè aliud in sua promissione respiciat, nempe fidem, & mandatorum obseruantiam.

L. I.

III. O B I E C T V M.

Dicis, Apostolos paupertatem non uouisse, cum id colligatur, & quidem rectè, ex illo Euangelico: Ecce nos reliquimus omnia. Nam si dicas, eos affectu tantum rerum fluxariam possessionem amandasse, ac non uniuersas simul facultates in commune cōtulisse, quid egregij prae ceteris Christianis fecisse dicendi sunt, ut Petrus tam audacter diceret: Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te: quid ergo erit nobis? Deinde quare Christus pollicitus esset ei haud uulgarem mercedem.

sedem, inquit: Amen dico uobis &c. Quoniam pater
 sto impleuerunt apostoli tunc id consilij Christi, Si uis
 perfectus esse, uade, uende &c. Visne facere apostolos
 inferiores uitae perfectione, quam erant illi quos Acta
 Apostolica referunt discessisse ab omnib. suis faculta-
 tib. & uixisse in cōmuni, quib. omnia erant cōmunia,
 & nihil proprium? & alibi. Vnde liquet apostolos ac-
 cersitos ad munus apostolicum deseruisse suas uxores,
 quantum ad maritale officium illud attinebat. Alioquin
 quorsum attinisset Christum ad illos etiamnum ad-
 huc uinculis uxorijs annexos, atq; agglutinatos eiu-
 modi extrulisse uerba, quibus meminisset de conjugum
 illorum derelictione &c.

B. 2.

DEFENSIO.

Miror sanè quid tibi in mentem uenerit, ut pro uoto
 hunc locum adduxeris, qui contendas, ut inferius uidebi-
 tur, ea tantum uoto nuncupanda, ad quae alioquin iure
 ac legibus non astringimur; & modò uocatonis aposto-
 lorum facias mentionem, qui si non paruissent, quum à
 Christo uocabantur, ob diuini mandati contempcionem
 excidissent omnino à salute. Vnde cum Christum sequu-
 ti sunt, & sua reliquerunt, prestiterunt certè, quod no-
 strum quemlibet oportet facere. Eo quippe affectu no-
 stra sunt retinenda, ut cum uiderimus nos ad id uocari,
 ut eis careamus pro Dei gloria, illa statim & incunctan-
 ter abijciamus. Nam Dominus (quod amplius est quam
 relinquere) dicit: Qui non oderit patrem, matrem, fi-
 lios, & uxorem, & deniq; animã suam, non potest meus
 esse discipulus. Atq; hoc pacto maxilla est alteri percu-
 tenti obuertenda, cum id uiderimus ex dignitate nomi-
 nis Dei esse: cum liceat aliàs percutientem reprehende-
 re, ut Christus arguit seruum pontificis, qui sibi immeri-
 tò dedisset alapan. Cum itaq; apostoli sua reliquerunt à
 Domino uocati, sancti sunt officio fidelium discipulo-
 rum. Voluit Christus ut se prae disantem per diuersa lo-

Matthaei
locus.

ca sequerentur: quòd suis rebus inherentes, uel illas quacunq; irent, secum trahentes minimè facere potuissent. Sed an perpetuò ita ab illis fuerint auulsi, ut eas nunquam postea usurpauerint, quomodo tu probabis? Certè Petrus post Domini resurrectionem cum nauì, tum retibus usus est: iuit enim piscatù. Quando Christum sequi non poterat, exercitium honestum quod prius habuit, quòd ad apostolicum munus uocaretur, absq; peccato repetijt: neq; quod scriptura tradat, unquam eius criminis est accusatus. Præterea nõ est dubium, apostolos ita per orbem uagatos, ut si quid ipsis daretur, ultrò à pijs, uel pecuniarum, uel rerum quæ ad uictum facerent, accipere non renuerint. Nam Paulus gratias agebat Philippensibus, quòd illum iuuisset elemosynis prompto et alacri animo. Atq; idem manibus suis laborauit, unde mercedem habuit, pecuniã quam lucrabatur, possidebat, & eam tantam quam suam nõ solum in proprium uictum, sed etiam ad eos alendos qui secum erant, erogabat. Utq; liceat prædicantibus euangelium habere propria, Christus satis indicauit, quum diceret: Dignus est operarius mercede sua: & Qui euangelio seruit, de euangelio uiuat. Ut igitur apostoli non sic abiecerunt pecunias, ut nullas unquam habuerint, ita non est credendum, eos ita reliquisse uxores, ut matrimonio nullo modo eis uti licuerit. Imò quoad uxores nequaquam sentiendum est, sua uocatione Christum uoluisse apostolos diuortium ab illis facere: ut uidelicet prorsus diuiderentur, nec amplius cum eis uel thorum, uel habitationem potuerint habere communem, quum Paulus iubeat, ut si pars infidelis uelit simul habitare, non deseratur. Qui potuerunt igitur bonæ uxores ab apostolis abdicari, si præsertim unã cum illis euangelium Christi amplectebantur? Et in concilio

Apost. ha-
luerunt ali-
qua pre-
pria.

Christus nõ
suasit di-
uortium apo-
stolis cum
eos uoca-
uit.

Niceno quid obstare potuisset, ne præciperetur mini-
 stris ecclesiasticis ab uxoribus discedere, si Christus uo-
 cando apostolos perpetuo diuortio eos ab uxoribus di-
 uisisset: Certè ibi non erat quòd Paphnutius se interpo-
 neret. Respondissent quippe illi, se, quod tentabant, au-
 thoritate Christi facere, qui apostolos à se uocatos ab
 uxoribus uerò diuortio separasset. Et profectò scribitur
 de Petro in Ecclesiastica historia, quòd Romæ uxorem
 secum habuerit: quæ quum abduceretur extremo sup-
 plicio afficienda, clamauit ad illam, Vxor memor esto
 Domini. Neq; sua sic esse relinquenda ecclesiæ ministris,
 ut ipse fingis, demonstrat Paulus, scribens, Episcopũ de-
 bere suos curare liberos, ut eos habeat sibi subiectos in
 omni castitate. Quòd si filios nõ tenentur episcopi abij-
 cere, qui sunt apostolorum successores, quare coniuges?
 maxime quum ad Corinthios dicatur Cephas, & fratres
 Domini circumduxisse sorores, mulieres: quem locum,
 Deo uolente, infra tractabimus.

Neque possum intelligere, quomodo sua relinquere,
 uel, nihil habere proprij significet, uouere, quemadmo-
 dum hi sophiste uolunt. Porro in Republica Platonis, ut
 ipse libro tertio scribit, Custodes & auxiliarij nihil ha-
 buerunt proprij. An dicemus eos paupertatem debuisse
 uouere. Multi etiam philosophi amore scientiæ incensi,
 reliquerunt sua: qui tamen uoto non obstringebantur.
 Taceo de mendicis, qui licet in diem uiuant, nihil possi-
 deant, & nihil proprij habeant, nihilominus haudqua-
 quam uouerunt, se nihil unquã habituros. Tu præterea
 reliquisti Angliam, ne patereris quod tua perfidia com-
 merita fuerat. Ex te scire uelim, an uoueris in Angliam
 non redire? Equidem, si relinquere significat uouere, tu
 & omnes, quos prius commemorauit, diceremini uouif-

Non idem
 est uouere,
 & sua re-
 linquere,

se. Et rursus ex te percunctarer, quum bis palinodiã cecineris, testatusq; sis publicè te deponere quasdam impias opiniones: an uoueris illas posthac te non esse resumpturum? Quòd si uouisse dixeris, & iam in easdem sis reuolutus, ipse quoq; licet semper in apostatas, ut uocas, inueharis, omnium illorum eris deterrimus, & non minus quam illi (ut loquar tuo more) uotifragus. Sin uerò dixeris te nõ uouisse, licet eas opiniones tum reliqueris, iam inde intelligas relinquere, ac uouere plurimum à se distare, neq; te iustè colligere: Apostoli sua reliquerunt Christum sequendo, igitur uoto fuerunt obstricti. Queris à me quid apostoli habuerint præ cæteris Christianis, si uoto se nõ abdicauerint ab omnibus quæ possidebant, & ab uxoribus? Hoc habuerunt, quòd à Domino uocati sua omnia relinquendo egregiam præstuerunt obedientiam. Quare summopere sunt laudãdi, quum omnium Christianorum primi fecerint, & alijs præclarum exemplum ostenderit. Verum non propterea conficitur, eos uel cælibatum perpetuum, uel abdicacionem à suis rebus penitus uouisse. Utq; quod illi fecerunt, omnes Christiani facere debent, ita merces & præmiũ quod illis promisit Dominus, ut sedeant iudicaturi super sedes, &c. omnibus fidelibus qui usq; ad finem perseuerauerint, promittitur: quemadmodum epistola ad Corinth. prior aperte docet: An nescitis quòd angelos iudicabimus? & inde colligit Apostolus, Christianos debuisse inter sese iudicia exercere, potius quam ad tribunalia infidelium fratres in ius uocare. Nam si tanta est Christianorum dignitas, ut sint mundum & angelos iudicaturi, quomodo illis non permittetur causas fratrum cognoscere? Fatebimur ergo apostolos quandoq; fuisse absq; uxorib. & suis rebus, ut Christũ sequerentur, & præ-

prædicarēt. Sed quod istorum omnium usum uoto abdicarint, non ndabimus.

Quodq; tibi sumis, apostolos id præstitisse, quod Christus iuueni mandauit, ut si uellet esse perfectus, diuenderet sua, & daret pauperibus, non facile cōcedemus: cum illos nusquam legamus distraxisse sua, & pauperibus distribuisse: quod minimè tacuissent Euāgelicæ historiæ, si factum esset. Et certè si Christus ab apostolis requisuisset, quod ab illo adolescente, nisi paruissent, grauissimè peccassent. Verū quod iuueni Christus priuatim iussit, neq; apostolis, neque omnibus Christianis in uniuersum faciendum præcepit. Undè, si scripturas uolueris consulere, Petrum adhuc post uocationem domum habuisse legimus, in qua socrus eius decumbebat: et Matthæus dominum sequendo, quamuis telon eum reliquerit, illi tamen in domo sua magnum exhibuit conuiuū: quod certè non de alieno, sed de suo fecit. Quare uides longè aliud esse Christum sequi, cum per Iudæam prædicando circumquaque discurreret, atque ita sua relinquere, ac illa Voto à se, quemadmodum tu tibi fingis, abdicare. Et ut uno uerbo dicam, relinquere sua propter Christum, nihil est aliud, quàm illum rebus omnibus præponere, eumq; amare super omnia, ita ut nobis patiamur, nihil impedimento esse, quin eum sequamur, & confiteamur. Possunt igitur ab his, qui Christi sunt discipuli, pater, mater, domus, uxor, & filij haberi, modò propter illa non abducantur ad aliquid committendum, quod Euangelio aduersetur: nā tum potius sunt abiicienda omnia, quàm à Christo desiciendum.

Et mirum est, cum Christus multa recenseat, hoc loco relinquenda illis, qui uelint sedere iudices inter eius discipulos, cur tu alia omnia dissimules, & adeo uxorem

Mat. locus.

exaggeres: quum par causa sit in omnibus: quam si parè
 sinas esse, ut debes, cum relinquuntur ministris Ecclesiæ
 pater, mater, filij, fratres, domus, agri, nec ista illis inter-
 dicatis, imò nec diuitias, nec suorum curam prouentuum
 cur uxores tantum in uniuersum prohibebitis? Si dixerit
 tis, propter curas, & sollicitudines quæ sunt in coniugio
 haud sanè prudenter dicetis: cum in diuitijs tuendis &
 seruandis, longè sint maiores, atque magis periculose.
 Fatemur sanè illos coniugatos, non esse ad ministerium
 idoneos, imò nec ad Christianismum, qui cum uocantur
 ad cœnam, & nuptias domini, adeo cõiugum amore per-
 uerso detinentur, ut audire uocantem nolint. Verum co-
 gitate idem impedimentum accidere posse in uilla emen-
 da, & iugis bouum experiundis, quod in uxore ducenda,
 uel retinenda. Qui tales esse deprehenduntur, ex albo
 cleri deleantur: nec propter eos est necesse, ut qui mode-
 ratè utuntur matrimonio, neq; cura nimia propter ipsũ
 occupantur, eius beneficio, & commodo expolientur.
 Si enim opibus Ecclesiæ ministri non priuantur, neque
 à matrimonio, quod sit Ecclesiasticis aptum, debent ar-
 ceri. Cyprianus de episcopis, quos habuit collegas, que-
 rebatur, quòd auarissimi essent, & sordidè studerent di-
 uitijs: neq; tamen propterea fuit constitutum, ut ministri
 opes non habeant. Sed ad Christum redeamus, qui nõ
 tantum uxorem, uerum patrem, matrem, sororem, filios
 fratres, domum, & agros recensuit: quæ illius uerba, si
 tuo sensu accipiantur, ut de una uxore illa uis conclude-
 re, ita, & de omnibus locum habere debebant: quod ue-
 rum esse non potest. Quia nisi uocatio singularis inter-
 cesserit, nemo potest, salua dei lege, patrè, matrè, liberos
 & alia huius generis deserere. Qui enim suorũ, & maxi-
 mè domificorum curam nõ habet, abnegauit fidem, &
 infideli

infideli est deterior. Hæc est uocatio communis, cui omnes astringimur, nisi disertis uerbis contra eam Deus aliquid iusserit: ut Abrahamo de sacrificando filio, & de uxore Agara cum Ismaele abijcienda. Et qui uolent Zelū Dei cum scientia coniunctum habere, non imitabuntur Apostolos, quando uocationem eiusdem generis non habuerint: licet fortasse darent, quod nos non concessimus eos scilicet ita sua reliquisse, ut nunquā illa repetierint. Itaque multis modis tua deficit argumentatio, & quocūque te uertas, tibi hæret aqua. Primum enim haud rectè colligitur, eos nouisse, si sua reliquerint: secundo non constat, eos ita reliquisse, ut nunquam postea usurpauerint: imò scripturæ, ut ostendimus, potius secus indicant: & ædemum tertio, si hoc illi fecissent, non omnib. ministris identidē faciendū ex eo probabitur, cū nō discurrere cogantur, nec uagari ut Apostoli, neq; cum illis uocationē habeant eiusdem generis. Viderisq; paralogismū inducere, quem appellant à secundum quid ad simpliciter. Non enim uocat Deus ad sua relinquenda, nisi quum uel discurrendum est per orbem ad prædicandum, uel in persecutione, ubi potius debemus nos abdicare omnibus rebus nostris, quàm Christum negare. Malè itaque abs te uerba Christi accipiuntur, quasi absolute, ac simpliciter debeamus nostra relinquere.

III O B I E C T V M.

Iam dispiciamus quid de illo Actorum Apostolicorum, quòd de Anania, & Saphyra mentionem iniicit, sciendum sit, ut quod hic quoq; Petrus cū imprudenter, tum indoctè, ne dicam impiè, quod uerè queam inficiabatur, ad Voti rationem pertinere, & quicquā spectare, cuius sententia, aliena planè est ab ipsius contextus genuino sensu, & mox. Imò ipse contextus satis dilucidè conuincit, istos Voto se obstrinxisse, cū ait: nonne ager manens tibi manebat? & uenundatus erat in tua potestate? Nam quis alius horum uerborū quæ

E. 3.

so, poterit esse sensus, quàm ante promissionem ac Ver-
 tum factum Deo de proijciendo ante pedes apostolo-
 rum agri uéditi integro pretio, liberum illis fuisse, an
 noluerint uendere agrum, atque diuenditi pretium da-
 re apostolis, néene: quam libertatem ademit Votum.
 Et, quia non poteris rectius à quoquam, quàm à te ipso
 (ut Lactantius dixit de Cicerone) refutari, ideo te tuo
 traijctam telo. In hanc quum de Voto exordireris disser-
 tationem, hoc pacto definiebas. Votum est sacrosancta
 promissio, qua nos Deo astringimus, ad præstandū ei
 aliquid. Cui ego addam istud assumptum, At Ananias
 & Saphyra sanctè promiserant, ac obstrinxerant se ali-
 quid præstare Deo, nempe pretium agri uenditi, uoue-
 bant igitur illud Deo. Quod sanctè promiserant, & illa
 promissione obstrinxerant se ad dilargiendū Deo pre-
 tium agri sui, liquet ex eo quod ca. 4. Actorum testetur
 multos Christianos tum temporis contulisse omnia
 sua in commune. & nemini quicquam proprium fuisse
 quod quomodo fieret, nisi per Votum? Ac ca. 5. dicitur
 hos mentitos fuisse spiritui sancto, ac Deo, cūm aliqua
 ex uendito agro collecti pretij partem reposuerint sibi
 contra quàm promiserant antea. Hoc conuincit quo-
 que esse uerissimum definitio Voti, ab optimis iuxta ac
 uetustissimis scriptoribus in literas relata, utpote, qu-
 sic definiunt illud: Votum est testificatio quædam pro-
 missionis spontaneæ, que Deo, & de his, quæ Dei sunt,
 propriè fieri debet. Luculentius ostendit Actorum cō-
 textus tale quiddam fecisse Ananiam & uxorem illius, q-
 ut opera pretium sit in eo probādo quicquā desudare.

D E F E N S I O.

Cūm in sacra historia de Anania & Saphyra, quā ad-
 ducis, nulla uoti mentio fiat, quid tu me alienā sententiā
 clamis asferre? Uter nostrū tandem aliena dicit? Ego qui
 sequor puram simplicemq; narrationem Lucae, nec Votū
 cūm ibi non inueniatur, affingo: an tu, qui præter histo-
 riæ filium, ea cōminisceris, quæ nec spectat, nec tractat sa-
 cra lectio? Sed hoc uestrū est perpetuū uitium, ut cūm in
 exponenda scriptura semper extra stadiū curratis, alios
 qui rectè incedunt, aliena dicere uociferemini. Porro si
 purum

Locus de A-
 nania & Sa-
 phyra.

purum historiae sensum captares, primum uidisses in 4. ca. a Luca primitiuam Ecclesiam praeclaris uirtutibus ornata describi, quae tanta pace ac concordia iuncta fuerit, ut unam animam, & cor unum habuisse dicatur: ideoque simul tantam credentium turbam cohabitasse, quod sane ab Esaiâ praedictum fuerat, lupum nempe cum agno habiturum. Deinde hanc pacem atque concordiam uerè Christianam alium fractum esse consecutum, ut nemo quicquam eorum quae possederat, sibi proprium existimaret, cum omnia illis iam essent communia. Nam qui possidebant agros domosue, illa uendebant, & pretia deserebant ad pedes Apostolorum, ut in singulos distribuerentur: qui fiebat, ut nullus inter eos egeret. Quis hinc sanè mètis colligat, Votum intercessisse, cum inueniantur permulti, qui sua uendant, & dent pauperibus absque Voto? Quasi non possint aliqui sine Voto habere inter se omnia communia, & simul uiuere. In repub. Platonis, quam superius adduxi, debuerunt esse omnia communia, & nemo ex custodibus & auxiliarijs proprij quicquam habere debuit. Num putas Votum eum uoluisse eos obstringere? Sanè nõ Voto, sed legibus. Et in Italia monachi Iesuitæ diu societatem inter se coluerunt absque ullo Voto, cum tamen quamdiu in monasterio uiuerent, nihil proprij haberent. In primitiua igitur ecclesia licet habuerunt omnia communia, non tamè ex Voto necesse est id accidisse, cùm ex libera charitate potius nascetur. Et quare sub illis initijs Ecclesiae communio bonorum (ut hoc obiter dicam) fuerit inter Christianos, nõ est difficile concipere. Primum uoluit spiritus sanctus declarare illorum animos, qui credunt prorsus liberatos ab auaro, & tenaci affectu diuitiarum: & ita liberatos, ut parati sint, quae habeant in commune conferre, si ratio Christianae utilitatis id exigat, uel ea dicendere, ac pauperibus erogare, quum

Quare in
primitiua
ecclesia fue-
rit bonorum
communio.

Dominus id iusserit: & denique relinquere patienter, si uel aliquo infortunio, uel ab hostibus rapiantur. Ista omnia illo exemplo primorum Christianorum sunt nobis ob oculos posita, ut, & ipsi assuescamus, etiam quum diuitia affluerint, cor non adijcere. Præterea & aliud accessit, credentium maior pars ex pauperibus erat conflata. Nam Paulus dicit, nec multos diuites uocatos, & his, quum egerent, qui aliquid habebant, opera pretium duxerunt sua communicare. Quod ut non temere, sed ordine iusto fieret, Apostolorum iudicio distributionem committebant. Hinc erat illa oblatio ad illorum pedes, quæ eo tempore fuit etiam eò magis necessaria, quia fideles reliquis Iudeis erant mirum in modum exosi.

Vnde nec suas operas locando pauperes poterant lucrari, & eorum, qui aliquid possidebant, bona subinde aut confiscabantur, aut diripiebantur. Ad hæc spiritus sanctus uoluit piorum facultates inter Christianos citò expendi, quòd alioqui in deuastatione Titi & Vespasiani, quæ successit non multo postea, funditus essent peritura: in quo excidio Christiani omnes à Iudea migrarunt, ut tradit Eusebius, nec in illa obsidione deprehensi fuerunt: & quia secum non ualuisse asportare sua, consultum fuit, ut prius hoc modo admodum pio inter fideles distribuerebantur. Nemo tamen cogebatur: sed uolens, & ultro ad Apostolos deferbat quicquæ, quod ex distractione suarum rerum collegisset.

In quo situm fuerit peccatum Ananias & Saphyræ.

Quum itaque possint istæ causæ illius communionis assignari, non est necesse, ut ad Vota confugiamus. Iccirco peccauit Ananias, & Saphyra, quòd quum suum agrum uendidissent, & partem pretij attulissent ad Apostolos, se totum conferre in commune simularunt, neque pleris agrum uendidisse testati sunt. Vidcrant Barnabam,

nabam,

nabam, cuius à Luca fit statim superius mentio, agri sui pretium, ad Apostolos detulisse, idemque fecisse complures alios. Quare uoluerunt etiam ipsi, ne uiderentur minus pij, quam illi, tantundem facere: sed id non uerè atque synceriter fecerunt. Vnde in peccata multiplicia inciderunt: auaritiæ, ambitus, hypocriseos, & mendacij: & se arbitrati sunt Apostolis, hoc est, spiritui sancto posse illudere. Quæ omnia mala ex una infidelitatis radice in eorum cordibus pullularunt. Proinde quid mirum si Deus in infideles, auaros, ambitiosos, hypocritas, & mendaces tantam uoluit potètiã ostendere? Si uerè ac fideliter uerbo Dei credidissent, nec esset ab eis ita miserè locus datus auaritiæ, sed totum dando, ut profitebantur, & ut ceteri faciebant, apud se constituissent, Deum, cuius causa his bonis sese abdicauerant, non de futurum suis necessitatibus, nec illi, qui omnia intuetur, existimassent se facile posse imponere. Et non debet quisquam moueri, quòd Petrus dixerit Ananiam fraudasse de pretio agri, quasi aliquis fraudulentus habendus sit in suis facultatibus retinendis: nisi fortasse, quando egentibus & petètibus dare iubetur: in quam necessitatem Ananias non dum uenerat. Etenim Petrus illi ait: Ager nõnne manens tibi manebat? & uenundatus in tua erat potestate? hoc est in manu tua fuit, aut uendere, aut non uendere, uenditique pretium deferre, aut non deferre: fraudasse tamen dicitur, quòd minus daret, quàm diceret: nec ista Voti fraus erat, sed graue mendacium circa oblationem, quam offerebant. Si quis allicui diceret se decimam dare, atque tantum uicesimam daret, is de decima proculdubio fraudaret, etiam si Votum non intercesserit. Et petri uerba quibus ait, ager manens tibi manebat, & uenundatus in tua erat potestate, minimè possent esse uera, si uouissent. Nam Voto nun-

cupato, non fuisse ager amplius in eorum potestate, & pretium diuenditiam fuisse obstrictum. Ideo conuincunt ea quæ à Petro dicuntur, & agrum liberè uenditum, & liberè pretium allatum absque Voto. Tu uerò ais, horum uerborum Petri non posse alium esse sensum, nisi ut de Voto nuncupato intelligantur. O Theologum perspicacem, si tu alium sensum hic non uides, ergo alius non uidet? Quare non potuit Petrus Ananiam dicere: Quis te cogebat, ut communes faceres tuas facultates? Quid simulas te totum agri pretium deponere, quum bonam eius partem tibi retinueris? Quis est hæc hypocrisis quum possis candidè agere? Ista De Ecclesiam non decent: non ita spiritui sancto uerba dantur, ut possunt, ut credidisti. Si Petrum in hunc sensum uiderimus illa uerba protulisse, quid opus erit Voto? Sed magis rem teneas, fac tibi aliquem dicere: nonne integrum tibi erat uera & sana docere? nonne potuisti puro ac sincero Euangelio inscribere? nonne tibi licuit, uel in matrimonio castè uiuere? Quis obsecro bene inferret ex his uerbis, te uouisse docere, aut scribere erroneè uouisse tandem adulari Papæ, ac monachis, contempti Euangelij ueritate? uouisse impurè uiuere, scortari, & moechari? Quo modò tibi satisfaceret hæc argumentatio? Tua mihi crede, nihilo est melior. Sed hæc mitto. Videris præterea meam definitionem de Voto non probare: & adducis eam, quam habet Magister sententiarum, quum ego illam non tacuerim: & rationem reddiderim, cur ei libenter non acquiescerem. Et nunc abs te nihil audio, quod uel eam defendat, uel meam confutet. Dixi uotum esse sanctam promissionem, & c. neque nunc retracto. Verum quòd tu assumis Ananiam & Saphiram sancta promississe, hoc pernego, quia in Actibus Apostolorum

DE VOTIS ET CAELIB. 29

Apostolorum Christianos uendidisse sua lego: sed uouisse aut promississe non lego: nec aliquid in tota hac historia demonstrare poteris, quod uotum necessario euincat.. Sed quid facias huic misero capiti, cui adferre ad pedes Apostolorum significat, uouere? & mentiri spiritui sancto, est Votum infringere? atque in commune sua conferre, est Votum nuncupasse? At si concedatur ita uocum significationes pro libidine mutare, facile omnia probabis. Hic uero manifestissime in paralogismo ab accidentibus, ut appellant, incidisti. Nam quum uideres in uiolatione Voti mendacium intercedere, ac uiolatorem Voti fraudare, & ad uouendum neuinem cogi, & hac eadem tria locum habere in simplici oblatione hypocrite, ac mendacis, oblationem huiusmodi pronuntiasti esse Votum: ideoque non immerito uoco te Sophistam, quod aliqua iudices eadem inter sese, quia in aliquibus accidentibus consentiunt.

V. O B I E C T V M.

Inicias quoque it Petrus Martyr illud Lucæ, quod is testatur, sacratissimam Christi matrem in suo cum Angelo dialogismo extulisse, nempe illud: Quomodo fiet istud, quoniam uirum non cognosco: ad Votum spectare. Et mox. At, inquis, nulla hic sit prorsus Voti mentio, fateor: quid tum quæso? Nulla mentio fit in his uerbis: Ego & pater unum sumus, de consubstantialitate patris & filij. Visne igitur, hinc colligere, non posse eo testimonio rem illam constitui, & reuinci, contra Arrianorum hæresim? Rursus quum Christus aiebat Iudæis, Quoties uolui congregare, & c. nominatim & expressè non meminit liberi arbitrij, de quo nulla est penitus in scripturis sacris mentio expressa. Nonne itaque ex eo inferre, cuique licèbit, nec locum illum, nec ullum alium pertinere ad liberum arbitrium? aut illud uspiam statui in scriptura? Haud secus argumentabantur Arriani, corantes probare filium non esse eiusdem

essentia atque substantia, cuius pater, quod uocabatur
 istud *uocabatur* non esset ullo scripturae sacrae lo-
 co proditum. Aduersus quos Athanasius stringens ca-
 lamum rectè dicebat, non esse contendendum de uoca-
 bulo, modò de re ipsa constaret.

D E F E N S I O.

An beata
 uirgo uo-
 uerit uirgi-
 nitatem.

Vt dicerem beatam uirginem Domini nostri matrem
 non uouisse Deo perpetuam uirginitatem, Euangeli-
 stae narratio me mouit: quae refert illam fuisse iam de-
 sponsatam, quum Angelus ad eam accessit: nemo autem
 matrimonium contrahit, qui secum iam statuerit obstrin-
 gi Voto ad uirginitatem seruandam. In scrijs rebus
 non lusit mater Dei: sciebat enim per matrimonium
 coniuges tradere sibi mutuo potestatem corporis.
 At uirginitatem Deo uouere, & tum corpus uiro tra-
 dere, quo pacto inter se consentiunt? Decreuerat qui-
 dem Deus optimus maximus, ut Beatae Mariae uirgini-
 tas non uiolaretur: quam tamen uoluit nubere uiro con-
 silio: partim ut nonnulli aiunt, quò mysterium incarna-
 tionis uerbi lateret diabolum, & impios, membra eius
 partim ne Dei filius ex coitu illicito natus diceretur:
 denique ut sanctissima uirgo Iosephum haberet, non
 tantum pudicitiae suae honestum tegumentum, sed etiam
 curatorem fidelem, infirmitatis muliebris, & educatio-
 nis incarnati redemptoris. Haec ego non aspernor diu-
 nae prouidentiae consilia, quae à multis pie scribuntur,
 & pie reseruntur. Sed quum uirgo à Deo electa
 non praesentiret, aut ullo modo sciret, se illam Dei ma-
 trem futuram, quae expectabatur, iuxta cursum atque
 morem sub lege Mosaica receptum suam uitam instituit,
 & ut caeterae puellae Iudaicae gentis nubebant, ipsa quo-
 que

que nupsit. Quis igitur uos hic adegit, ut Vota commi-
 niscamini? Dixit sanè Angelo: Quomodo fiet istud,
 quoniam uirum non cognosco? Ex isto sermone tam Votū
 potest confici, quàm me hoc tempore ista fuisse scriptu-
 rum. Sed isti, ut Anaxagoras, faciunt quidlibet ex quo-
 libet. Audiuerat ab Angelo, quod esset conceptura,
 & paritura: interrogat, quomodo ista futura essent,
 quòd licet esset sponsa, non tamen adhuc uiri congres-
 sus admitteret. Prudens sanè uirginis nostræ interro-
 gatio. Quia si conceptus & partus qui ei prædiceba-
 tur, ordinaria usitataue ratione futurus esset, dixit hoc
 obstare, quòd uiro non dum admisceretur: sin uerò ex-
 tra ordinem, ac supra naturam, de modo cupit edoceri:
 atque tacitè innuit, quòd si deprehenderetur grauida,
 quum adhuc maritalis congressus esset expers, pudor,
 & fama eius periclitaretur. Obsecro te, quid hæc ad
 Votum? ne dixerim, ad rombum. Cum Moses in Exo-
 do capite sexto, dicat: Quomodo audiet me Pharao,
 quum sim labijs incircumcisus? An dices posse hinc de-
 monstrari, Mosem uouisse labiorum incircumcisionem?
 Profectò locutionis forma est eadem. Beata uirgo di-
 cit, Quomodo fiet istud, quum uirum non agnoscam?
 Et Moses ait, Quomodo audiet me Pharao, quum sim
 labijs incircumcisus? Nicodemus quoque respondit Chri-
 sto, Quomodo potest homo nasci, quum sit senex? Ex
 tua dialectica hinc quoque licebit inferre, Nicodemum
 uouisse senectutem, si ibi uis consequi beatam uirginem
 uouisse, se non esse uirum cognituram. Decet ne tan-
 tum theologum, tam miserè in dialecticam impingere?
 Sed non est mirum quia illam iste non est professus, nisi
 usque ad Sophisticen, & uidetur imposituras uouisse, a-
 deo illas ubique magna religione persoluit. Rixam

prætere a mihi excitat, quasi ego tantum de uoce contentere instituerim. Vocabulum Voti per me ualeat. Sed in locis iam adductis rem te uelim ostendere: quod si feceris, de uoce nec duo mutabimus uerba. Quæ autem τὸν ὁμοουσίον adfers, huc non conducunt: quoniam multis diuinæ scripturæ testimonijs euincitur, filium Deum eiusdem naturæ atque substantiæ esse cum patre. Vnde licet uox homousij, uel, ut ipse loqueris, consubstantialitatis, non habeatur ad uerbum in sacris literis: in eis tamen res manifestissimè traditur. Idem etiam tu de Voto facias, atque in locis adductis rem ipsam ostendas, et uocis causa intelliges me nunquam uerbo dei reluctari.

Quid præterea de libero arbitrio intempestiuè obieceris, arbitror te ipsum ignorare. Argumentaris enim quoties, inquit Christus, uolui congregare filios tuos, quemadmodum gallina pullos, et noluisti. Liberum igitur arbitrium quo ad rem hinc habetur, licet nec iste locus, nec ullus alius in scriptura, uocabuli eius mentionem faciat. Quod ad me attinet libertatem arbitrij nunquam in uniuersum negaui. Verum id ex adductis uerbis tu male colligis euinci posse: quia hinc non habes nisi iudeos incredulos noluisse Christum congregare suos: resistebant enim pro uiribus eius ministerio. Quis autem nostrum negauit unquam impios Deo se opponere, ac uoluntate praua diuinis conatibus pro uiribus aduersari? Utinam magno nostro malo quotidie hoc non experiremur. Tu uerò cupres, et ex isto, et ex consimilibus locis more Pelagianorum docere nostrum arbitrium per se ipsum posse uel mandata dei seruare, uel diuinæ uoluntati se accommodare, quod quum fieri non possit, quæ illius est reliqua libertas: quo ad hæc opera, quæ uerè Deo placeant, et iudicio eius

approbentur.

approbentur? Non inficiamur aliquam esse homini reliquam adhuc libertatem in moribus atq; ciuilibus actionibus. In his uerò quæ ad caelestem salutem pertinent, quemadmodum fuit assentiri Christo, eiq; fauere in congregandis electis, nisi per spiritum eius iuuemur, iacemus, per nos ipsos nihil possumus, imò potius omni studio aduersamur. Quòd si tu cõtendas tibi esse liberum, quòd per alterum potest concedi, haud propriè loqueris, de facultate, atq; uiribus quæ liberæ dici possint. Neque fortasse alia de causa scriptura sancta liberi arbitrij disertè non meminit, nisi quòd agit de homine aut perdito propter peccatum, aut non planè adhuc instaurato per Christum: in quo tam modica tånque tenuis libertas remansit, ut nomen libertatis ne mereatur quidem. Attamen, quòd scriptura sacra noluit usurpare, tu, & qui tui non sunt dissimiles, plenis buccis undiq; & ad singula quæq; uerba crepatis: quasi uos arbitremini, & Deo, & spiritu diuinarum literarũ sapientiores. Ideoq; frustra nunc obstrepere uoluisti liberi arbitrij naturam non esse negandam: licet in uerbis, quæ commemorasti, & in alijs locis scripturæ non habeatur. At de Voto, cuius ita res habeat, ut in libris Noui testamenti, neq; rem, neque uocabulum possis ostendere, apparet, quæ adduxisti, minime tuam causam releuare.

VI O B I E C T V M.

Paulus in priori epistola ad Timoth. hæc habet, quæ perspicuè & efficaciter meo huic instituto dant suffragium. Adolescentiores, inquit, uiduas deuota: cum, n. luxuriatæ fuerint n. i Christo, nube oruelunt, habentes damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt. Quid hîc appellat Paulus primam fidem, nisi fidem Voti? qua istæ uiduæ perpetuam continentiam Deo consecrarunt, cum Ecclesiæ sumptibus alerètur: quam irritarunt cupiètes nuptui dari. Et hinc asciuissè

A. Vi

34 PETRI MARTYRIS

eas sibi gehennæ supplicium afferit Apostolus. Hic quod
 non comminiscuntur Lutheristæ, quod se tueantur, nec
 cogantur fateri se reuictos penitus his Pauli uerbis.
 Nunc fidei uocabulo fidem in Baptismo datam, nun-
 diutinis mandatis obseruandis præstitam interpretan-
 tur: Quo nihil aliud egisse doctis iuxta ac pijs omnibus
 uideri queunt, quam suam prodidisse inscitiam, atque
 se deridendos, imò deplorandos potius omnibus pro-
 pinasse? Et alibi. Ad hæc, cum Apostolus damnet uir-
 duas à uoto continentiae edito relapsas, quædo, inquit,
 illas habere damnationem, quia primam fidem irritam
 fecerunt, iste Petrus imprudenter, indoctè, ac impiè in-
 fictas it loqui cum de Voto, atque aded illud non pro-
 bare, ut prorsus reprobet. Siquidè per primam, inquit,
 fidem, Christianismum intellexit, à quo ad Iudaismum
 & paganismum uidue ille, postquam luxuriatè fuerint
 lasciuierint, uel in delicijs egerint, contra Christum de-
 scuerint, ut, uel sic sese ab hominũ calumnijs vindicet.
 hunc esse loci illius Paulini genuinum sensum Luthero-
 rum sequutus Quem colligi posse astruit ex eo, quod
 contextus testatur, illas uiduas abijisse retrò post sata-
 nam quod idem pollet, atque deficere à fide Christi-
 quemadmodum legimus, inquit, Alexandrum & Hy-
 menæum abijisse post satanam, cum à Christo resilli-
 rent. Deinde iubet adolescentiores illas uiduas nubere
 nec admitti ad uouendum, nisi sexaginta annos natas.
 Et ided si loquatur ibi Paulus de Voto, aduersatur illi
 prorsus, ait Petrus, tantum abest ut id statuat. Ad hæc
 Paulus, inquit, primam fidem non retulit ad fidem Voti
 quia illa non est prima, sed fides data in Baptismo. Pos-
 tremò citauit Augustinum in libro de Bono uiduitatis
 negantem hic loqui Paulum de Voto, & astruentem
 peccare, contrahentem nuptias post Votum, ueras ta-
 men esse nuptias, non supra, nec adulteria quas in-
 ter. Hæc effutiuit Petrus, dum hunc locum tractauit, disse-
 rens contra Vota. Quæ quàm sint omnia erronea, falsa,
 atque contra mentem spiritus sancti in Paulo loquen-
 tis, mox palam uidebitur, cum singulæ seorsim partes
 fuerint excussæ diligētius. Initio manifestus est lapsus
 interpretari primam fidem Christianismum, atque istas
 uiduas desciuisse à Christianismo ad iudaismum, uel
 paganismum, cum nullus unquam ex præcis & probata
 fidei

DE VOTIS ET CAELIB. 35

fidei authorib. sic interpretetur. sed cōspirāter omnes de fide Voti, quēadmodū supra est ostensū abundē. De inde quōd ait cōtextus Pauli, abijisse illas uidas post sātānam, non probat eas desciuisse à fide, seu à Christianismo, tamerā id sign. fiet abire post sātānam apud Paulum loquentē de Alexandri & Hymēnæi defectio ne: Et mox. iam quōd ex eo colligit, huic locum, Si de Votō continētiæ uidualis possit & debeat accipi, aduēri sari voto illi, q̄ Paulus iubeat deuitari adoleſcētulas uidas, quod ē, uelle se dicat illas nubere, ostēdit pro palā se ignarū esse Paulinæ mētis. Nō enim idēd deuitari eas præcipit, nec ob id uult eas nubere, q̄ uelit astrictas uoto uiduitatis nubere, sed similes eis iuniores uidas ma uult nubere, q̄ irritā facere primam fidē atq; abire retrō post sātānā, quēadmodū abstruit, itā tum quāsdā fecisse. & mox. Adde his, quōd si Paulus hoc loco uetaret; iunio res uidas profiteri, & uouere uidualem castitatem, non modō aliquot sc̄ipturæ locis, qui extimulant ad uendum, & Christo eadem pollicenti, cum dixerit de eunuchorū castratione, sed sibi uet aduersatus fuisset, cum toties hortetur uidas ut sine nuptijs permaneant. Id quod cum sit absurdissimum cogitare, nedum dicere consequitur, eum hic non prohibere, ne uidue sint & maneat adole centulæ. Falsissimū quoque est, quod astruit Petrus, nolle Apostolum ut admittantur ad uouendum uiduitatem, ante quā sexaginta natae sint annos. Quia omnes omnis ætatis uidas citra delectum excitat, ut mancant uiduæ. prima ad Corinth. 7. & cū ait, uidua eligatur non minus sexaginta annorum, non dixerit de electione uiduarum ad uouendum duntaxat, sed ad sustentationem opibus Ecclesiæ quōd manibus laborare non possint, & uictum sibi parare, ut inquit Hieronymus. & mox. At quid opus est aliunde sensum Paulinæ huius sententiæ petere, cum liceat eam ab ipso proximē in sequēte contextu desumere? nempe ex hoc: si quis fidelis habet uidas subministrat illis, ut non grauetur Ecclesia, ut ijs, quæ uerē uiduæ sunt, sufficiat. Hæc enim uerba palam indicāt, Apostolum disputare de electione uiduarū quæ stipibus, & elemosynis ecclesiæ essent alendæ, quas sexaginta annorum esse uult. Quōd autem Petrus uenatur elabendi rimam, primam inquit, fidem non dico. fidem Voti, quōd ea prima non sit, sed fidē Baptismi

h. 40

mera canillatio est, & tergiuersatio. Nā uocula *πρῶτος* qua hīc utitur Paulus, usurpatur sēpē ut Græci tradunt uice comparatiui, ut hīc ponatur *πρῶτη πίστις* pro eo quod est, prior fides, uel prius data. Nam Græcis *πρῶτος* priores partes ducere significat & *πρωτοβόλος* priorem iaculari, *πρωτογούτος* prægustator, & similia multa apud eos reperiuntur. Postremò quòd Augustinum de Bono Viduitatis negare hoc loco uerbum fuisse, de Voto, & tradere, peccare contrahentem post editum uotum, nuptias tamē illas esse ueras nuptias, non stupra, splendidum & impudens est mendacium.

DEFENSIO.

De uiduis
quarū Pau-
lus ad Timotheum
meminit
a uouentibus.

Si quis est locus in literis noui testamenti, quo putent aduersarij nostri se Votū cælibatus posse conuincere, ista contra controuersiam esse prædicatur, quæ in præsentia Smythæ mihi obiicit. uerum ut sint falsi, ostēdere nō erit usq; adeo difficile. Primū intelligere omnes arbitror, quā sit à iusta probatione alienū ambigua in mediū adferre: cū oporteat, ea, quæ solidā fidē sint factura, nō solū firma, uerū etiam perspicua esse. Præterea grauius adhuc peccatur, si ambiguitas eius generis fuerit, quæ magis oppositæ parti faueat, ac illi quæ suscipitur defendenda. Atq; ista uitia in argumentatione modò allata inueniri, cōfido me lōgè apertissimè demonstraturū. Ambiguitas loci de quo nūc agitur ex quatuor pendet uocibus, fidem, primam, damnationem, abierunt post satanam. Quamobrem necesse est ad nodum explicandum, ut de his omnibus ordine dicamus. Aduersarius contendit fidem hoc loco accipiendam pro Voto cælibatus: cum tamen significare possit conuentionem, & pactum in initum cum Ecclesia, quando suscipiebatur uiduas. Etenim est euidentissimum, non potuisse matrimonium, cum illo statu consentire, ad quem accedebant: scilicet ut Ecclesie inseruirent, & alerentur, simul omnes uiuendo. Quia mulier nupta marito subdita est, & neces-

& necessariò illi parere tenetur. Vidua uerò, de qua nūc
 loquimur, suo ministerio Ecclesie obedire debuit in cu-
 randis debilibus, & infirmis, in informandis, & uisitandis
 alijs rudibus cùm puellis, tum mulieribus, ad quas mini-
 strorum Ecclesie non erat iustus & frequens accessus.
 Hoc erat præcipuum ministerium uiduarum in Ecclesia.
 In super nuptæ, cum suis uiris habitant, edunt, & bibunt
 ubi ipsis uisum fuerit, & domestica curare debent: quæ
 omnia cum illa Ecclesiastica uocatione pugnabant. Adde,
 quod, ne granaretur Ecclesia, par erat, quemadmodum iu-
 bet Apostolus, ut, quæ uirum haberet, ab eo aleretur. Non
 ergo dubium est, eas, quæ sic admittebantur, tantisper dū
 huiusmodi locum retinerent, à coniugio debuisse abstine-
 re. Sed ne aliqua turpia committerentur, pollicebantur
 Ecclesie, interim se castè ac purè acturas, non Voto, quo
 Deo aliquid offerrent, diuina quippe lege omnes astrin-
 gimur ad pure castèq; uiuendum in statu, & conditione,
 qua pro tempore agimus. Ideò non potuit hoc uoto nun-
 cupari: at de honestate uitæ, atq; conuersationis externæ
 pactione conueniebant cum Ecclesia: ut milites cum au-
 thorantur, promissione, uel sacramento militari ad hæc,
 uel illa facienda, uel cauenda sese astringunt, quoad fue-
 rint in ea militia: cum tamen Votum nullum edant. Hæc
 potuit esse fides à uiduis data, nimirum ut dum in Ecclesia
 uersarentur, cælibes temperatè atq; castè, uiuerent. Quæ
 ratio facti cùm à Voto sit aliena, iam uides, quàm locus i-
 ste parùm inseruiat Voto asserendo. Et iuxta hanc inter-
 pretationem facillè potest intelligi, quid Paulus emenda-
 uerit. Cum iuniores uiduæ multis in locis ab Ecclesia reci-
 perentur, forma & ratione, qua diximus, alende, otio,
 copia iuictus, & insitis iuuenili ætati cupiditatib. extimu-
 labantur, ut fit, ad libidines, neq; sese continebant. Imò ut

ait Apostolus, lasciuebant contra Christum, hoc est, impudicè agebāt, & scortabātur. Sic enim Hieronymus. *ναρὰ ἐσχηκόσων* est interpretatus ad Geruntiam: & deprehensa uolebant nubere, aiebantq; se uelle recedere à suscepto ministerio: quod per se ipsum non fuisset damnabile. Quis enim illas prohibuisset nubere, quando uellent. Matrimonium enim à ueris Christianis in nullo homine damnabatur. Sed habebant ista damnationem, non ex eo quòd nubere uellent, sed quia fregerant fidem prius datam & pactū uolauerāt, quo se pollicitæ fuerant in ministerio castè uiuere idq; non præstiterant in lasciuiā, & scortationē lapsæ. Quæ res & corā hominib. & corā Deo illas damnabiles reddebat. Atq; ideo significanter Paulus dicit eas habuisse iudiciū, siue damnationem, non quòd nubere uellent, sed quòd primam fidem Ecclesiæ datam lasciuiando & scortando irritam fecissent. Deinceps aliud quoq; malum sæpè addebatur, quòd uidelicet nubendo post satanam ibant, & à Christo deficiebant. Nam impatienter contumeliæ, quam sibi uidebant inter Christianos iniustam, quòd essent in sceleribus deprehensæ, uiros ducebant, nimirum ethnicos, & à Christo abalienabantur. Quamuis ire post satanam, intelligi possit de impudicitia, & scortatione iuniorum uiduarum, quam admittebant, cum nubere detrectarent, & suis cupiditatibus, & libidinibus, non essent resistendo. Ideò hac de re non multum contenderim, cum utrunq; possit uerbis Apostoli accommodari. Ne igitur huiusmodi acciderent scandala in Ecclesia, constituit Paulus, ut uidua non eligatur, nisi sexagenaria, quæ penè confecta ætate huiusmodi scortationibus, & clancularijs turpitudinibus haud sit obnoxia. Non quòd interdum non reperiantur & anus libidinosissima, sed quia est humane uitæ communis & usitata ratio, ut

in senibus

in enibus cadauerosis restinctæ sint flammæ libidinum. Quòd si in aliquibus non contigerit, est necessarium ut ille anus, quæ sic rabidæ sunt in Venere, nec etate mutatur, in iuuentute fuerint admodum dissolutæ. Quo circa Paulus ductu spiritus sancti non tantum annorum numerum sequitur, sed requirit ut etate antea Ecclesiastica uidua uno uiro contenta fuerit, hoc est, suo legitimo marito neq; scortationis uel adulterij probro notata fuerit, utq; habeat undiq; bonum testimonium, quòd pijs, & sanctis operibus ornata uixerit. Hac uia scandalis subinde incidentibus iudicauit Apostolus occurrendum, nec ullam Voti mentionem fecit. Volunt, inquit, nubere: quòd antea quam deprehenderentur in scortationib. nolissent. Placebat enim illis ea uiuendi ratio in libertate, & commodo uictu, cum quibus haberent uoluptates etiam carnis coniunctas. Dicunt postea se uelle nubere, cum habeant damnationem propter admissam lasciuiam, & impudicitiam, quæ contra Christum dicitur, quia in eius ignominiam uergebat quandoquidem ab Ecclesia, Christi nomine, ac impensis alebantur: & quia Christi Euangeliũ atq; religio propter earum contaminatam uitam male audiebat, uel ab ipsis ethuicis: quòd obscœna, & turpia flagitia deprehenderentur inter eas, quas maxime decuit purè ac sanctè uixisse. Non ergo hinc habetur, quod illis peccato ascribatur uelle nubere, ut clamitat aduersarius aut quòd damnationem habuerint uiolati causa uoti: sed quòd ad matrimonium uiduæ illæ confugerent, ut ad honestam rem, & plausibilem: cum ad eam expetendam, per se non mouerentur, ut quibus fuisset gratius uiuere liberè ac otiose impensis Ecclesiæ: uerum eò despectebant quòd iam damnationem haberent & à Deo & ab Ecclesia, propter uitæ impuritatem. Arbitror iam planum

esse, fidem posse significare hoc loco pactionem externam, siue conuentionem cum Ecclesia de calibatu, & pudicitia, tantisper dum uersarentur in illo statu. Propterea hæc uerba Pauli ut nihil iuxta hunc sensum ad uotum faciunt, non est prolixius exequendum. Et cum uiderimus de prima ambiguitate quoad hanc uocem, fidem, & allata sit interpretatio plana & facilis, quam ego uerorem iudico: cumq; animaduertimus, quam sensus iste aptior sit & commodior uerbis Apostoli, quam ille communis, & uulgò receptus: iam de altera ambiguitate possemus agere, nisi & alia interpretatio in mentem ueniret quæ non minus, quam prior, est uerbis Apostoli accommodata. Potest enim fides accipi nunc eodem modo, quo superius dixit Apostolus, eos qui suorum curam non habent, & maxime domesticorum, fidem abnegasse, ac infidelibus esse deteriores. Quibus uerbis declarauit istos, et si non palam, & publica professione à Christianismo desiciant, opere tamen & factis exprimere quam sit tenuis & inanis ipsorum fides, ut alibi dixit: Aiunt se nosse Deum, sed factis negant. Ita nunc scribit, istas uiduas, quæ priusquam ab ecclesia reciperentur, modestæ uidebantur, & temperatæ, postea tamen cum opibus Ecclesiæ partæ fuissent & sustentatæ, se conuertisse ad lasciuiam, & impuritatem, ideoq; damnationem habere, quod priorē fidem qua ornata uidebantur, priusquam reciperentur ab Ecclesia irritauerint, non ita purè sancteq; uiuendo, ut prius in alio statu uixerant: quasi prioris iustitiæ ac sanctitatis oblita pristinam fidem oblitterauerint. Et sanè quantum quisq; mortaliter, ut dicitur, peccat, tantum à uiua & uera fide recedit. Quo uerò ad alteram ambiguitatem dictionis, Primam, uult Smytheus eam uocem referre fidem uoti prius datam, à uiduis, quam reciperentur.

tur. Fingit enim non receptas fuisse uiduas, nisi prius, uo-
 uissent perpetuam uiduitatem: quæ fides, quoniam postea
 non seruabatur, dum uolebant nubere, uiolatrices nūcu-
 pati Voti efficiebantur, atq; adeo damnationem habebāt.
 Alij uerò diligentius expendentes illam uocem, Primam,
 inquit eam nō intelligi de promissione Voti postremo
 facti: q; illa, si intercessisset, non esset prima, sed postrema
 fides. Non enim post illam aliquam aliam fidem dederāt.
 Quare cum appelletur prima, potius per illam intellexe-
 runt Christianismi professionem, quā ista uiduæ lasciuē-
 tes, & nubentes extra Christum uiolabant, deficiebant q;
 à religione Christiana, indeq; propterea damnationē ha-
 bebant, atq; post satanam ibant. Quamobrem cum in an-
 phibologia huius sermonis expositio eorum pulchrius
 quadret, qui primam fidem intelligit, Christianismi pro-
 fessionem in baptismo, q̄ Smythæi expositio de fide prius
 data per Votum, quis non uideat illum desitui suo funda-
 mento, quo uno se putabat inuictè probare in nouo te-
 stamento celibatus uotum fuisse constabilitum? Nec
 est quòd is iactet, se inuenisse suffugium de significatione
 huius uocis $\pi\epsilon\gamma\omega\tau\omicron\varsigma$: quia probè sciuerunt authores illius
 interpretationis uiri utiq; eruditionis absolutissimæ $\pi\epsilon\gamma\omega\tau\omicron\varsigma$
 $\tau\omicron\upsilon$ usurpari, quandoq; pro cōparatiuo, quēadmodū iste
 cōmemorat: nec enim erant ignari Græcæ linguæ, ut eos
 nunc doceri oporteat ab hoc homine, cui diu est in ea lin-
 gua laborandū & sudandū, ut illis possit æquari: nā adhuc
 nō tenet, nisi fortasse prima rudimēta Græci sermonis: ta-
 met si nunc tam magnū eius usum uidetur sibi uindicare.
 Spectarunt autē clarissimi uiri, quis usus eius uocis apud
 Græcos sit usitator: præsertim cū adiectiui forma suo sub-
 stantiuo iungitur, ut hic, cū dicitur $\pi\epsilon\gamma\omega\tau\omicron\varsigma$ $\pi\iota\omicron\varsigma$. Et ani-
 maduerterūt q̄ iste Votorū cultus in Euangelio taceatur.

Ideoq; nō existimauerunt in Ecclesiis Christi tā facile obrepfisse: atq; ob id in suā interpretationē discesserūt admodū uerbis Apostoli, & sanæ doctrinæ cōsentaneā. Ac illos ego quoq; antea sum secutus, q̄d u. e. ille interpretationes in mentem uenerint, quarū ab initio memini. Sed fac aliq̄ tibi dare, quod tamē à me nō impetrabis, primā fidē tam Votum perpetuæ uiduitatis, q̄ promissionē Christiani in Baptismo posse hoc loco significari, quid obsecro inde lucraberis? Nihil sanē, cū in hac ambiguitate quis cōstitutus, nequaquā possit gloriari, se Voti approbationē in nouo testamēto reperisse. atq; hæc de ambiguitate huius uocis, primā, uolo satis esse. Vidimus enim, q̄ si expositio Lutheri, & Caluini, etenim ij sunt istius interpretationis authores attentius consideretur, nō minus q̄ expositio de Voto potest ad locū apostoli acōmodari: imō est probabilior. Quid uerò ego per primā fidē accipiā, satis patet in prima, & secunda expositione, quas cæteris uerisimiliores, & faciliores iudicaui. Iam tertia se offert ambiguitas, de hac uoce Cōdēnationē. Qui Voto calibatus impensius fauēt, q̄ legitimo matrimonio, existimāt has uiduas iudiciū corā Deo subire, quòd relicto instituto Voti antea suscepto: iā nubere constituerint: adeoq; grauiter peccare, nisi resipiscant, & initū coniugiū deserant, omnino cum diabolo sint dānandæ. At alij uidētes matrimoniū rē sanctam in omnib. & Christi testimonio atq; Apostoli uinculū eius indissolubile, nisi adulteriū intercesserit, aut discesserit alterius cōiugis, Voto continētis uidualis tantū tribuere nolunt, cū sit reshumanitus inuenta, ut matrimoniū cōtra Christi & Apostoli sententiā rescindat, cū uoluntas diuina omnibus humanis inuentionibus præferenda sit. Cogitant præterea præceptum Apostoli esse, ut nubant, qui nō continent, q̄ sit melius nubere, q̄ uri. Vnde tametsi concedant illis

DE VOTIS ET CAELIB. 43

illas uidas quæ suscipiebantur tum temporis in Ecclesia, de celibatu, & honestate conuersationis pepigisse, aut sicut uolunt aduersarij uouisse, non tamen si ad nuptias trãsuissent, inde sequi à Deo fuisse damnandas. Verũ aiunt *uigiua*, qua uoce Paulus modo utitur, ad homines esse referendum: quòd nempè iam ab illis inconstantes haberetur & nomine leuitatis à plerisq; malè audirent, ut quæ mutauerint propositum, quod ad deo sanctum, & plausibile uidebatur. Cumq; hoc frequenter accideret allegèdo uidas iuniores, ut in Ecclesijs mos inolescibat, Paulus conatur occurrere, ne istæ offensiones atq; perturbationes in ecclesia usuuenirèt. Nam istas fidelium sigillationes, uidae, quæ sic ob infirmitatem propositum mutauerant, non ferentes à Christo alienabantur, & post Satanam paulatim abibãt. Quemadmodum Smythæus, quum erronea docuerit, & ad Palinodiam canendã fuerit bis adactus, ut postremò tertio adigendus, atque uideret dogmata sua passim damnari, hanc non ferens ignominiam, non solum ex Anglia discessit, sed post satanam & Antichristum abiit, cuius nihilominus tyrannidem antea multis modis abiurauerat, uel se abiurasse sinxerat. Quum igitur illa uox *uigiua* possit utroque referri, tam ad Deum, quàm ad homines, etiam hic impeditur meus faber, ne probet, ut perpetuò clamitat, per Votum celibatus non licere iuxta uerbum Dei ad nuptias transire, quum de hominum iudicio hæc Apostoli uerba, quæ præ tendit intelligi possint: nec si nubant propriè Votum dicantur uiolasse, quum potius emendauerint stultam promissionem. Nihil enim Deo polliceri debemus, de quo nobis comper tum non sit, quòd eo delectetur. At ei non placere promissiones perpetui celibatus, infra suo loco declarabitur. Amphibologia uerò hanc istius uocis *uigiua* probè uidit,

& sapientissimè tractauit Martinus Bucerus contra Lala-
 mum pius ac doctus uir, & nunq̄ pro suo merito lau datu
 cuius obitu hoc anno 1551. tantā iacturā fecit Christi Eccle-
 sia, ut sit cā in dies magis ac magis procul dubio sensura.
 Modò superest ut de postrema ambiguitate dissiciamus,
 scilicet quid sit abire post satanam. Putat Smythæus idē es-
 se, quòd à Voto desciscere, adeoq; furit, et insanit in mati-
 monia, quæ contrahūtur post Votum nuncupatum, ut et
 consilia satanica non uereatur appellare. A qua sen-
 tentia quum homines pij iuxtaque doctissimi abhorreant,
 post satanam ire interpretantur, à fide Christi & pie-
 tate, quam per Baptismum uideæ professæ fuerant, re-
 filire: quod fiebat ratione iam superius exposita.
 Ut uerò ego sentio, Abire post satanam à Paulo sumit-
 tur, pro eo, quod est, impurè uiuere, atque scortari sub
 pretextu continentie uidualis. Neque à me quum de his
 agerem, quicquid iste dicat, uel Alexandri, uel Hymenæi
 facta est ulla mentio, quoad præsentem loquutionem: nec
 legimus de illis hæc uerba apud Apostolum, quòd post Sa-
 tanam abierint. Eos quidem ait ad Timotheum prima epi-
 stola capite primo, à fide naufragium fecisse, quem locum
 adduxi, ut ostenderem fidem posse intelligi professio-
 nem in Baptismo, quemadmodum ibi Paulus de Hyme-
 næo & Alexandro accepit. Habet itaque locus iste ad Ti-
 motheum, de quo modò loquimur, multas ambiguitates,
 ut iam probatum est: quamuis facillimam uiam atque ex-
 peditam illum interpretandi, absque offensione tradide-
 rim. Quæ si non placet Smythæo, ut est corrupti & per-
 uersi iudicij, saltem intelligat, se ad suā sententiam confir-
 mandā, locū adduxisse, qui multis alijs modis possit accipi,
 etq; ab illo exponatur, & quisq; modus lōgè uerisimilior
 est eius interpretatione. Si ab antecedentib. consequentib.
 & alijs

Et alijs Apostoli scriptis ac uerbis ipsius mens, ac sensus indagatus fuerit: nō autem uel à Patribus, uel à concilijs uel à recepta consuetudine: quibus omnibus quantum tribuendum sit, quando non solidè confirmant, & probant, ex scripturis, quæ docent, fufius à me dicetur suo loco.

Docui præterea, ut iste refert, nec inficias eo, hunc locum Pauli Voto longè manifestissimè aduersari, tantum abesse ut ab eo possit cōstitui. Imò hunc unum locum satis esse ad istam controuersiam de Votis facillè dirimendam, si modò æquos nacti essemus aduersarios. Dicit enim se uelle iuniores uiduas nubere, & filios procreare, ne uidelicet sub specie ac statu celibatus turpiter labātur, et post Satanā abeat: uult itē ut allegatur uidua nō minor sexagenaria: quoniam iuniores facillè damnationē incurrunt, q̄ uiolēt fidem prius datā lasciuiendo, & scortando. Hæc ostendunt clarissimè, Paulū auersari celibatus Votū, propter magnū periculū lapsus, atq; scandali. Quòd si Votū ei probaretur alia uia procurasset his malis occurri, q̄ reiectione iuniorū. Quin & alibi dicit, hoc est, ad Corinth. priore, se nolle cuipiā laqueū iniicere: quib. uerbis ostendit, celibatū quādo seruatur, liberū esse retinendū, ne quis ad ipsum cogatur, ultra q̄ possit. Verū huic loco de quo ad Timoth. scribitur, hic noster se arbitratur satisfecisse, quòd fingat aliud esse ad Votū celibatus admitti, & aliud ad Ecclesiæ alimoniam percipiendam. Et desinit sexagenarias tantū ex decreto Apostoli ascisci potuisse, ut opib. Ecclesiæ alerentur iunioribus autē nō obstare, quin Votum perpetuæ continentie nuncupent. Nec animaduertit, Paulum nō tantum iuniores uiduas reijcere ab Ecclesiæ sustentatione, uerum etiam à necessitate celibatus. Quoniam, inquit, primam fidem irritam faciunt, cū lasciuerint contra Christū. Sed alijs, inquit noster, in locis illas Paulus ad uouēdū maximè illicit: præsertim ad Corinth. ca. 7. & Christus ad idē pro

Quaratio-
ue Paulus
Votū pro-
hibeat.

uocat, cum de his cunuchis loquitur, qui se pro ^{et regna}
 celorum castrauerunt: quomodo igitur fieri potest, ut mo
 do Votum cælibatus, nuncupari prohibeat? Primum te sci
 re uelim distinctionem, quam confinxisti de admittendis ui
 duis, uel ad Ecclesiasticam alimoniam, uel ad uotum, nihilo
 facere causam tuam meliorem. Quoniam ego etiam concedo
 Paulum hic non loqui de Voto cælibatus, cum iuniores esse
 dicit reijciendas. Nam hoc genus uoti, ut sepe dixi, ei fuit
 ignotum. Do itaque illi de uiduis tantum agere, quæ sustentari
 recipiantur ab Ecclesia. Sed quia illæ admittebantur ea con
 uentione, seu pacto, ut cælibes, et pudicæ uiuerent, ideo cum
 uelit apostolus eas non esse minoris quam sexagenarias, propter
 ætatis lubricitatem, cõficitur, ipsum nolle iuniores ad has
 condiciones adigi, quibus auocentur à matrimonio. Quare
 uelim te diligenter causam expendere, propter quam reijciat
 iuniores. Dices mihi, ne grauetur Ecclesia. Non me late
 Paulum huius quoque rei meminisse inferius, ut suaderet fi
 delibus, qui haberent aliquas uiduas ad se attinentes, ut illas
 ipsi alerent, nec onerarent Ecclesiam. Quæ sententia eius
 accipienda est in uniuersum, tam de iunioribus, quam de gra
 dioribus. natus, atque per hoc intelligi uoluit, solum destitutas et
 desolatas fuisse recipiendas. At cum de ætate prius ageret, et
 prohiberet minorem sexagenaria recipi. Et iuberet reijci iu
 niores, hanc profecto assignat causam, quæ lasciuiant contra
 Christum, deinde quæ occasionem dent obrectandi aduersarios,
 et post satanam abeant. Cum itaque respiciat iuuentutem et
 tatem, non capacem, nisi raro, cælibatus, et istas ascribat cau
 sas, eadem retinende sunt nobis, neque patiendum ut iuniores
 necessitate sibi ullam cælibatus imponant, cum autem sexagena
 riæ fuerint, permittant eis tunc de cælibatu et pudicitia pa
 cisci cum Ecclesia, non quidem uoto, sed conuentione atque pacto
 inito pro eo tempore, quomodo in monasterio uisum fuerit post
 uctis

uerare. Quod fieri uides in collegijs studiosorum Angliæ quib. nō licet amplius in societate manere, si uxores duxerint, cū tamen ex Voto se matrimonio nō abdicent. Ex his itaq; potes liquidò uidere, ut distinctio tua sit superuacanea. Quòd enim dicit Paulus ne iuniores ab Ecclesia cooptentur alendæ, propter lapsus periculū: ego itē dico de iisdē iuniorib. ne ad Votū admittantur ob lapsus periculū. Quòd si causa quā Paulus assignat de suscipiendis ad alimoniam uera est, & de admittēdis ad Votū debet ualere, cū paris eiusdēq; periculi sit utriusq; ratio. Deinde libēter abs te discerē, num uirgines, quæ in monasterijs hodie recipiuntur, ab Ecclesia recipiātur. Certè illæ quoq; se dicūt ad Ecclesiam transire, ut ibi simul uiuāt, & Ecclesiæ bonis alantur. Et quæ hodie sunt monasteria uirginū, finge fuisse antiquitus uiduarum societates, quoad cōditiones quarū iam meminimus, ut pertineant ad Ecclesiam, simul uiuant, & de bonis Ecclesiæ alantur: quibus adde, ut sint absq; coniugio. Unde quod uni parti attribuitur, ut iuuentus caueatur, usq; ad annum sexagesimum, alteri quoque oportet conuenire. Atq; ut rem dilucidius intelligas, hæc Apostolū in isto loco ad Timoth. animaduerto de uiduis cōstituerē: sexagenaria, et nō iunior, quæ uerè sit desolata, & bonū testimonium habeat, ab ecclesia recipiatur alēda, pudicè uiuat, et cælebs, quādiu est in suo ministerio. Iuniores quæ se periclitari sentiūt de pudicitia, nubāt. Nam id & uult, & iubet Apostolus. Quæ deniq; sunt iuniores, et citra periculū possunt uiduæ manere, ac id facere uolūt, à suis alantur, & iuuentur, ne oneretur Ecclesia, quod nō solū est ut diximus, intelligendū quo ad iuniores, uerū etiā quo ad grādiōres natu. Sed fac iuniozem esse quæ uelit, & possit in uiduitate manere, si non habeat suos, à quibus alatur, cū ab Ecclesia per etatem recipi non possit, quid erit ei faciendū? De hoc in præsentia nihil traditur. Sed ad Thessalonic. in

inuersum consulit Paulus omnib. ut manib. laborēt, quō
 non solū ipsi uiuant, sed etiā habeant, unde subueniāt ege
 nis. Quod istis uiduis, de quib. nunc agimus, optimè cōue
 nit, cū etate sint integræ, atq; ocium tanq̄ præsentem ali
 quam pestē uitare debeā. Hæc est sana doctrina diui Apo
 stoli, qua nec uiduis, nec ulli mortaliū cælibatus Votū sua
 sit, imò potius ipsum dilucidissimè prohibuit. Et nequaq̄
 hic fit, ut Smythæus arbitratur, qui semper argumenta sa
 bricat sophistica, Paulum secum pugnare, aut cū Christo.
 Nam ad Corinth. adhortatur ad cælibatū, sed eos qui pos
 sunt, & nunq̄ cuiquam hominum generi Votum obtrusit.
 Christus item Eunuchos laudauit, qui se propter regnum
 caelorum castrauerunt, abstinēdo à matrimonio: sed ut no
 uerent, nusq̄ suasit. Verū iste homo uocū significata pro
 libine mutat, & si Paulus dicat de uidua bonum esse, ut sic
 maneat, eum inquit suadere, ut uoueat: quia uouere & sic
 manere, illi est idem. Si dominus tradat esse, qui seipso ca
 strant, ille statim dicit, castrare est uouere. Si scribat uenit
 Apostolus, uelim omnes esse sicut me ipsum, iste subiicit,
 eum uelle omnes uouere. Atq; ita, cū ipsi omnia signifi
 cent quicquid libuerit, ex quolibet colligit, quæcunq; sibi
 uidentur. Non igitur ab aduersarijs iste locus deberet ad
 duci: quin eos impudentiæ, ac peruicaciæ suæ puderet. Vo
 lunt enim ex eo persuadere, Votū cælibatus, & quidē à iu
 nioribus nuncupatū, piū, sanctū, ac in Ecclesia retinēdū
 cū hic Paulus nolit minorem sexagenaria ob lapsus peri
 culū recipi, & dicat se uelle iuniores uiduas nubere, ac fi
 lios procreare. Quæ uerba satis indicāt, eū nolle in Eccle
 sia Christi talia uota nūcupari, que periculo, cuius memi
 nit, homines reddāt expositos. Tātū itaq; abest, ut probet
 huiusmodi Vota, ut illa omnino fieri uetet. dicit Smyth. me
 putare Apostolū, q̄do sic mādāt uiduis iuniorib. de illis age
 re, quæ

quæ prius uouerant. Quæ sanè illum intemperie agitât?
 Quid ego istud existimare potui, qui Paulû dicâ votû cæ-
 libatus ignorasse. De illis cû loqui affirmo, quæ licet de-
 creuerint in uiauitate agere, postea tamē, cû sint adhuc iu-
 uenes, animaduertût se in periculo turpis alicuius lapsus
 uersari. His sanè mandat, ut nubant, neq; patitur ut à cõ-
 nubio ulla necessitate humanitus imposita reuocentur.
 Sed uos qui adeo Vota iam nicipata propugnatis, dicite
 obsecro, iuniores uidas ab Ecclesiæ electione reiciēs A-
 postolus, quò allegat? Num ad monasterium? si uruntur,
 ait ne, ieiuent, orent, aut dormiant humi? Nil tale propo-
 nit: uolo, inquit, eas nubere, ac filios procreare. Sic impu-
 ritati occurrit, & nullum genus uiduarum excepit. Non
 enim audis eum dicere, quæ non uouerint: sed in uniuersum
 sua mandata promulgat. At Smythæus, ut ueteranû
 Papæ militem decet, eius dogmata uel contra sacras liti-
 ras propugnare non ueretur. Ideoq; putat, uocare ad ma-
 trimonium esse uocare ad carnis inquinamenta, & ad li-
 bidines. Neque uidere potest ibi esse uocationem Christia-
 no dignam, crucem à Deo impositam. Siquidem tribula-
 tionem carnis habent huiusmodi, sanctam liberorum edu-
 cationem, piam œconomiam. Quib. in rebus homines ad
 celibatû non uocati possunt Deo quàm optimè placere.
 Satisq; prodit homo impurus quid sentiat de matrimo-
 nio, quando ipsum appellare audet spurcissimam scorta-
 tionem, dum ab his initur qui Votum ediderint. Scriptu-
 ra è diuerso thorum coniugalem sanctum in omnibus ap-
 pellant. Augustinus quoque licet ad Votum celibatus nimi-
 um esset propensus, longè aliter loquitur: ut qui dicat ma-
 trimonium etiam post Votum initum, firmum esse, neque
 uelit appellari adulterium, uel incestum, ut postea demõ-
 strabitur. Atq; hoc est, quòd ego illum citauì cum hæc

publicè docerem : non ut negarè eum cum alijs, hæc Pat-
 li uerba intelligere de Voto. Quis obsecro me id unquam
 inficiatum esse audiuit? Quamobrem tu qui persepe non
 rectè intelligis, & sæpius, quæ bene percepisti malitiosè
 reponis, accusandus es, & stupiditatis, & perfidie,
 non ego falsi. Verùm Augustini locum producam cum
 opportunum fuerit : atq; tum uidebimus an falsò, an uerè
 citauerim. Nunc uerò adhuc Smythæus ueritati relu-
 ctatur, & ait, Apostolum non uocare iuniores uiduas ad
 matrimonium, nisi ut non scortentur. Vult enim illas po-
 tius nubere, quàm impurè agere. Quasi nos aliter dica-
 mus : cum idem prorsus censeamus : & ea de causa Votū
 celibatus non admittimus, tum quòd in sacris literis non
 habeatur, neque par sit ut Dei cultum ex nostro capite
 fingamus; tum quia nolumus admitti stupra, neq; infir-
 mos homines, tum mares tum fœminas in periculo uersa-
 ri, de quo Apostolus admonet. Qui castè ac cælibes uiu-
 re possunt, sua per nos utantur felicitate, sese bonis ope-
 ribus interim exercendo. Verùm se liberos conseruent, ut
 si quandoque opus habuerint, Apostoli præceptum de ma-
 trimonio contrahendo liberè sequantur : qui quidem uo-
 lisset omnes esse ut ipse fuit : sed quia id non omnium, i-
 mò paucorum esse uidit, ideo scripsit, uolo eas nubere, &
 filios procreare, ne scortentur. Existimo iam satis li-
 quere Smythæum, & cohortem papisticam, quando locū
 hunc ad Votum celibatus confirmandum producant, nil
 pro se habere aliud quàm Patrum interpretationes. At
 non quid Patres dixerint in dogmate statuendo spectan-
 dum est, sed quid sacrae literæ testentur. De Patrum autè
 sententia, præsertim hac in re, quid sit existimandum infir-
 rius ostendetur. Interim tamen satis mirari non possūm.
 cur iste dicat, nos ita scribendo, aut loquendo propinare
 nostram

nostram incertam doctis ridendam, quasi difficile fuerit uidere quid Patres dixerint, & uni Smythæo licuerit adire Corinthum. Quis non eum iudicet uel hoc ipso nomine doctissimum, quòd ille adeo studeat Patrum sententias congerere, ut negligat interim expendere an cum sacris literis congruant? Hec est noua sapientia, qua se uendicat, Patrum dicta prout ei sunt obuia *παρὰ τὸν αἰῶνα*, regula, sensusq; diuinae scripturae procul submoto: & cum iudicio penitus careat, de aliorum eruditione ut seuerissimus censor statuit, affirmat quàm sanctissimè Paulum isto loco quem tractauimus, de Voto agere. Interrogo, quare? Quam, inquit, de Votis agit. Hoc ego dico, hoc dicunt alij: nonne satis est? Effet sanè si theologia non uerbo Dei, sed hominum scriptis inniteretur. Sed quia semper ad uerbum Dei eam facere *ἐν ἀδελφότητι* oportet, ideo quòd attulisti nõ est satis. Vnde quia locus iam allatus ambiguus est, & potius contra te facit, si rectè fuerit expensus, ideo te hortor ut alium quempiam producas & firmum & perspicuum à quo in Nouo testamento Votum approbetur, quòd est, ut uos predicatis, tantus Dei cultus. Quod si non feceris, aut scripturam maximè negligentè accusabis, quæ tantum Dei cultum in nouo Testamento Ecclesiam calauerit aut ueritati cedes, teque pigebit quòd eam tam stultè oppugnaueris.

A S S E R T I O.

Nunc uerò tria sunt quæ in ista quæstione iudico esse inquirenda. Primum, an lege ueterum caeremoniarum iam per Christum abrogata, liceat Partitio
causæ. Christianis hominibus quippiam uouere, ac præsertim cælibatum, & monasticas obseruationes. Alterum si contigerit nonnullos Vota huiusmodi nuncupasse, an rescindi queant. Postremò an

Vota qua-
re post
Christi ad-
uentū sint
ommit-
tenda.

Ecclesiarū præfules iustè requirant, & admittant
cælibatus Vota, quando ministros ordinant, &
ab his qui uouerint, obseruationem promissio-
nis exigant. Hæc tria, si examinata, & excussa dili-
genter fuerint, nihil ambigui supererit in disputa-
tione, quam tractandam suscipimus. Quo itaque
ad primum consentaneum est, quando libertate
Christiana fruimur, & sub Euangelij gratia & luce
uiuimus, ritum, cærimoniamque uouendi omittenda
esse: quandoquidem intelligimus quam
Deo toti simus obstricti: atque propterea spon-
te flagrantique animo ac desiderio cuncta nobis
esse faciendā, quæcunque ad illius honorem pro-
mouendum, & amplificandum uiderimus condu-
cere: Christumque iam non ignoramus uictimam
singularem, & donum unicum esse datum, quo
Deus placatur, & reconciliatur nostro generi. Ad
quæ omnia cognoscenda, ut pædagogia quædam
antiquorum Vota pro suo tempore uilia fuerunt.
Quare ut aliæ cærimonix, quæ variè ac multipli-
citer ista & consimilia docebant, per Christum su-
blatæ sunt, ita & uouendi ratio debet facescere.
Quemadmodum non opus est, ut uictimas, primi-
tias, aut donaria, de more veteri amplius uoueamus,
cum Christus qui per hæc adumbrabatur
aduenerit: ita non est necesse ut aliquam uitæ
tionem more Nazæzorū Voto nuncupemus.
Nam omnis uitæ nostræ institutum apertissimè
intelligimus Deo deberi. Præcesserunt iam umbræ:
solida & uera doctrina modò affulsit: propterea
non decet ut quæ per Christum sunt abolita de-
nuò reuocemus. Scriptura manifestè prædicat
Deum non esse colendum nisi ad eius præscriptū.
Quare Votum licet antiquitus potuerit vsui esse,
cū ad legis cærimonias pertineret, modò exploratum
est.

est, quòd literis Noui Testamenti non commen-
 detur, neque à Christo, neque ab Apostolis pro-
 positum nobis vnquam fuerit. Nam quæ ad cul-
 tum Dei attinent ætate nostra, vsque ad seculi fi-
 nem Apostolicæ literæ nobis tradiderunt. Quib.
 addas, cælibatum & monachorum Vota pugnare
 quàm manifestissimè cum uerbo Dei. Idcirco in-
 eos qui se Votis huiusmodi astringunt, iure con-
 uenit, quod Matthæi 15. scribitur Mandatum Dei
 fecistis irritum propter traditiones uestras. Et sa-
 nè contra cælibatus Votum acriter pugnat Pau-
 lus priore ad Corinth, dicendo: quique suam ha-
 beat, & quæque suam propter scortationem: Me-
 lius est nubere, quàm vri: qui non continent nu-
 bant: si nupserit virgo, non peccauit, & consimi-
 lia. Quoad alia monastica Vota satis illis aduer-
 satum in eodem cap. scribens: nolite serui hominũ
 effici, pretio enim empti estis. Et ad Galat. primo
 deterret fideles ab infirmis, & egenis mundi ele-
 mentis: id quod etiam secundo ad Colos. facit:
 ubi mundi elementa esse ostendit, Ne tetigeris,
 ne attrectaueris, & ne gustaueris: quæ si ad cære-
 monias veteris legis referantur, Votum manife-
 stè interdicunt: cum ad antiquas cæremonias, ve-
 luti diximus, pertineat. Sin verò per ea verba si-
 gnificauit Paulus obseruationes & cultus ab ho-
 minibus inuentos, Vota monachorũ apertissimè
 reprehenduntur. Certus quippe illorum vestitus
 ciborum discrimina, nomina diuersorum ordinũ
 & infiniti alij superstitioni ritus, qui vigent in mo-
 nasterijs, & pro Dei cultibus retinentur, quomo-
 do non sunt infirma & egena elementa mundi,
 cum nullo testimonio sacrarum literarum, sed ho-
 minibus duntaxat authoribus obtinuerint: Neq;
 dubitandum est, quãdo sancta Dei *u's paxa* pro

hibentur illis Votis, & quidem in perpetuum, ea diuinis institutis aduersari. Ad tempus quidē ab his abstinere, quę deus cōdidit, licet iustis de causis. At id vouere, vt in perpetuum ab illis tēperes, minimē potest ex Deo esse, cū sis ignarus, an semper hoc velit à te fieri. Lex antiquitūs vota non habuit æterna, sed ad tempus. Vouebant quippe aliquando certas oblationes, & abstinētias à verbo Domini sibi commendatas, & certum vitę genus ad aliquot menses, aut annos. Verū in totam vitam nihil, quod ego sciam, legūtur vouisse. Quod sanē de communi lege, atque consuetudine intelligas: nam peculiari mandato Simson debuit perpetuo esse Nazaræus. Idemque dicendū est de alijs si qui occurrerint in sacris literis ita fecisse. Proinde ritus iste vouendi, partim Apostolorum doctrina, & exemplo nusquam commendatur: partim contra illorum sermones & scripta euidentissimē pugnat. præterea, quotquot fidem Christi profiteamur, eo ipso toti sumus illi obstricti. Quid igitur Voto nos rursus ei tradimus? Ridiculus porro haberetur filius, qui tabulis obsignatis, atque testibus vellet sese patrię potestati subdere. Illum protectō pater, si saperet, ita moneret. Absque contractu, vel vlla stipulatione, nature ius & Dei autoritas te mihi subiecit: quare pareas & filij officium sedulo præstes, ad quod faciendum etiam atque etiam te adhortor: etnifeceris, quę filium decet erga parentes, in te coercendo & castigando absque tabulis & testibus patriã vtar potestate. Idcirco, qui Vota nuncupant, aut se fateantur non esse Dei, aut intelligāt, quā mouendo stultē agant, dum quemadmodum dicitur, actum agunt. Lege cauit Deus, ne Israelitę primogenita expecoribus sibi vouerent, non alia
sanē

sanèratione, nisi quòd iure sibi debebatur. propte
 reà cum nos iam Christi membra simus, & Deo
 omnibus modis obstricti, non minus quàm pri-
 mogenita antiquitas erant, non est permittendū
 vt voueamus: Et libenter ab istis velim scire, an
 ea vouenda esse credant, quæ Deus fieri præcepit
 an illa, quæ mandatis eius aduersantur. Scio, re-
 spondebunt, neutra esse vouenda. Nam Dei præ-
 cepta velimus, nolimus, præstanda sunt, & si con-
 traria diuinis legibus nos voueremus esse factu-
 ros, voluntati eius repugnaremus: quod genus
 conatus omnino est impium. Sic egerunt, qui vo-
 uerant, se Paulum interfekturos. Ita Herodes iure
 iurando promisit & præstitit cædem Iohannis Ba-
 ptistæ. Verùm ἀσάφορα & media constituerunt
 esse vouenda. Quos tamen nosse oportuit, quòd
 tametsi multa sint idcirco ἀσάφορα, quia non o-
 mnibus, neque omni tempore conueniunt, quib.
 item possunt homines tā bene, quàm malè uti, at-
 tamen illa eadem, cum vel expetuntur, vel repu-
 diantur, nunquam sunt ei, qui deligit, indifferen-
 tia: quoniam tunc aut promouent Dei gloriam,
 aut salutem vel proximorum, vel propriæ condu-
 cunt, aut secus. Ideoque si gloriæ Dei, aut salutem
 vel aliorum, vel tuæ repugnant, sunt omnino re-
 fugienda: sin verò hæc iuuent, & promoueat,
 expetenda, cum ea præstare potueris: modò vel-
 lis Dei mandatum saluum, quo illum oportet te
 toto corde, tota anima, omnibusque viribus dili-
 gere, atque proximum tuum tanquam teipsum.
 Qui enim dilectio tua, quemadmodum lex requi-
 rit, erga Deum solida constaret, si dum potes eius
 honorem ampliare, nolis? quæ tua in proximum
 charitas, illa refugere quæ ad salutem ei sunt pro-
 ficua? Debuerant etiam isti animaduertere,

vouendo Christi decretis & Apostolorum, quã
 parum deferant. Certè ea hoc illorum supersticio
 so cultu immutantur, & peruertuntur. Nam Chri
 stus aiebat discipulis, cum sermo indicisset de
 matrimonio non contrahendo, Non omnes capi
 unt verbũ istud, qui potest capere, capiat. Et Pau
 lus, De virginibus præceptum Domini non ha
 beo. Item, Non hoc dico, vt cuiquam laqueum in
 ijciam. Quę oracula satis ostendunt, voluisse Dei
 spiritum, ut cuique semper liberum esset, vel cæ
 libem viuere, uel ad matrimonium se recipere:
 quam eius uoluntatem se Voto obstringentes mi
 nimè sequuntur. Sentiunt enim, & quã obstina
 tissimè defendunt, post Votum cælibatus æditũ
 à matrimonio abstinendum esse. Atque hoc pa
 cto libertas imminuitur, quam in sua cælesti Re
 pub. quę est ecclesia, Christus extare voluit. Quis
 ignorat orbis monarchas licet caro sint, & san
 guis, niti pro viribus, vt leges à se latę constantes
 habeantur, neque liceat cuiquam ciuium pro suo
 arbitrato illas refigere. Quòd si quis tentauerit, in
 eum, tanquam Reipub. perturbatorem, & seditio
 sum animaduertitur. Et nos, cum Christus dicat,
 qui potest capere, capiat,, cogemus aliquos in cæ
 libatu viuere, hoc prætextu, quod vouerint? Cũ
 quę Paulus dicat, se præceptum Domini non ha
 bere, quomodo nos inducimus Votum, quò iam
 vertatur in præceptum, quod antea liberum fuit,
 & integrum? Cum ille nolit inijcere laqueũ, nos
 per Votum extorquebimus cælibem vitam ab his
 qui aduruntur? Et si statuit ille virginem minimè
 peccare si nupserit, nos eam Voti causa ream ac
 cersemus vel sacrilegij, vel incestus, si matrimo
 nium iniuerit? Incredibilis est hæc hominum ar
 rogãtia, imò intolerabilis, qua verbũ Dei nititur
 corrumpere

corrumpere. Sed agant quicquid voluerint, manebit in æternum, & suo robore atque stabilitate, omnes creaturas quum in cælo, tum in terra vincet. Sed ista quid miramur, quum etiam ausi sint hypocritæ atq; sophistæ in consilia, & arbitrariam optionē, Domini præcepta uertere: illa, inquam, quæ Matthæ. 6. habentur de inimicorum dilectione. Quippe docent consilium tantū esse, non aut ad salutē necessarium, vt inimicis beneficiamus, erga eos simus beneuoli, & signis atque iudicijs amici animi voluntatem demonstramus. Quid hoc aliud est, quàm dignitatem & locum Dei usurpare: imò contra eius voluntatem omnibus modis pugnare. Si quæ præceperit libera fecerimus: & vicissim constituerimus ad salutem necessaria, quæ libera & integra ille nobis reliquit? Quòd si eos roges, eur tandem Votis ita se obligent, perfectionem prætexunt, atque ideo se asciscere sibi ista consilia necessario seruanda per Votum, quòd præstantiora sint, atque perfectiora his mandatis, quæ Deus vulgò cunctis præcepit. At huic sententiæ ut subscribendum non sit, ita consideremus. Quis vnquam fas esse dixerit, existimare, Deum humanæ perfectionis minus cupidum atque studiosum, quàm ipsos homines? Mihi certè non videtur, quum in cæteris artificibus longè diuersum appareat. Plus enim quisque illorum sollicitus est vt suum opus absolutum reddatur, quàm ipsa opera si perfectum haberent, per sese curarent. Ideoque si primæ partes Dei sunt in procuranda hominis perfectione, neque latet eum, quàm simus hebeti iudicio, quomodo asserimus ipsum, ea quæ minus perfecta sunt, præcepisse, & quæ hominem ualeant absolutum reddere, ea tantummodo con-

fuluisse? quum potius diuersum ratio exigat: nempe, vt quæ minus perfecta sunt, nobis arbitraria relinquuntur: quæ verò integrum & perfectum reddunt hominem, iure legis, & vi præcepti exigantur. Alioquin si homines relictæ sibi ipsis necessaria sibi faciunt, quæ viderint optima esse, licet ea Deus non præceperit, sapientius, quàm Deus, videbuntur sibi prospicere. Atque hinc spiritui sancto luculenta fiet iniuria, si præter literas ab eo nobis cõsignatas hominis absolutionem constituerimus. Is porrò quum nobis frequenter præcipiat, vt simus perfecti, perfectionem haud nobis inuidit, neque liberam esse voluit. Sed videant, qui hæc dicunt, quàm sibi perfectionem fingant, quæ nobis à lege Dei minime præscribatur. Nihil certè boni comminisci possumus, nihil sancti, nihil iusti, nihil honesti excogitare, quod per legem non sit præstandum, & si nõ speciali, saltem vniuersali, qua sumus iussi diligere Deum toto corde, tota anima, & c. & ne concupiscas. Expendant non oscitanter vtrum sit præstantius, cælibem esse, an ab omni labe cupiditatis animum seruare mundum: vtrum denique sit perfectius carere vxore, an Deum viribus omnibus diligere, ita, vt in nobis cogitatio nulla, nullus motus, nullum opus deprehendatur, quod amore Dei non sit accensum. Non est difficile iudicatu quod quærimus. Per multos enim videas cælibes agere: at qui nullo pacto concupiscant, qui quæ omnibus in rebus Deum toto pectore, toto animo & omnibus facultatibus diligant, nullos in hac vita dare poteris. Facile est intelligere cælibatum, & coniugium genera esse vitæ, ac in utroque illorum posse habere locum, & summam fidem, & summam charitatem, quamuis in

uno facilius, quàm in altero, prout homines Dei donis, vel ad hoc, vel ad illud vitæ genus, magis instructi fuerint. Et quum vitæ genera libera debeant cuique relinqui, quòd non omnibus eadem conueniant, neque omni tempore sint utilia, Vota demonstrantur aduersus hanc honestissimam rationem inducta. Nam ubi semel nuncupata fuerint: impediuntur homines, ut aduersarij volunt, ne quod magis ad honorem Dei, & proximorum ædificationem conducere uiderint expetere ualeant. Idquæ non est prætereundum, neque Christum, neque Paulum tribuisse unquam uirginitati, seu cælibatui ex operis præstantia, uel dignitate conditionis, largiorem spiritum, opulentio rem gratiam, vel remissionem peccatorum copiosio rem. Tantum dixerunt facilitatem quandam, & solutionem à multis curis, atque molestijs huius uitæ haberi extra coniugium. Verum hinc non est colligendum salutaria, dona Dei, quæ recensuimus à cælibatu, vel uirginitate pendere: haud ita res habet. Nam si hæc ueræ causæ illarum præclarissimarum rerum essent, eadem non contingerent his, qui iuncti sunt matrimonio, & necesse esset coniuges, vel illis prorsus carere, vel tanta copia, ut uirgines, & cælibes, nunquam habere. Quod experientia longè diuersum esse testatur: quum permulti reperiantur coniuges fide atque charitate præstantiores, quàm sint infiniti cælibes, & uirgines, qui quæ saltem illorum sanctitatem, & ueras uirtutes æquant.

Quod facillè uideri potest ex Antonij uita, quam Beatus Athanasius Græcè scripsit. & D. Hierony. Latinâ fecit: qua narratur diuina suggestionem Antonio significatū Euangelica perfectione atq; gratia parem ei fuisse coriarium quendam Alexandri-

num coniugatum. cælibi, vulgarem ciuem, & coriarium, monacho, imò patri monachorum innumerabilium. Nec secus Paphnutio monacho præclarissimo contigit. Equatus enim est, quoad Christianam sanctitatem duabus mulierculis, quarum vtraque vxor fuit. Proinde satis apparet, uirginitatem, aut cælibatum, per se ipsa partes non esse diuini cultus, neque præstantiæ aut uirtutis quicquam addere. Sed interim fingamus, ut isti volunt, aliquid in eo absolutius, & perfectius inueniri, quàm in coniugio. Saltem id velint, nolint, cogentur fateri, prudentium hominum esse, priusquam ad altiora conscendant, vendicare sibi, quæ sunt inferiora: alioquin si contendant ad sublimia relictis gradibus medijs, aut nihil efficient, aut infelici casu grauissimè lædentur. Seruent ergo prius mandata, deinde si quæ viderint perfectiora ultra Deilegem, ad ea nitantur. Quid, malum, eos iuuat, quum neque cupiditates adhuc refrenarint, neque Deum toto corde dilexerint, ea quæ putant his maiora, seu præstantiora, iactare atque sectari? Neque parum uidetur admiratione dignum, quod, quum præter cælibatum, alia quoque nonnulla fingant consilia Euangelica, tantum de eo vno solliciti sint: inimicis uerò benefacere, obuertere maxillam percutienti, non persequi iniurias, à litibus, quando licet desistere feruè negligant, ac talia nunquam uoueant. Quæ tamen si ab illis præstarentur, longè magis ædificaretur Ecclesia, quàm abstinendo à coniugibus. Fingunt etiam, nescio quam paupertatem, & de suis facultatibus, nonnihil relinquunt, quando monasteria ingrediuntur. Verùm quæ sit ea paupertas iam perimulti norunt. Ditia sunt cœnobia,

& opu-

& opulenta, : vel eleemosynis adeo redundant, ut quoad vsus humanæ vitæ in illis mollissimis ergastulis nihil desit. Obedientiam quoque vouent Abbati, seu præpositis, quam neque præceptum Dei, neque Christi, vel Apostolorum, consilium esse, testimonio scripturarum comminisci possunt. Imò Paulus vt superius dictum est, aperte monet, ne serui efficiamur hominum.

Et quis nesciat monachos præterea, cibus, vestibus, locis, constitutionibus, & ritibus impijs Voto sese addicere? Subducunt se dominis suis, principibus, Reipublicæ, atque parentibus, quibus generali vocatione, ac diuino iure subduntur.

Quid aliud habendi sunt huiusmodi, quam fugitiui serui, iuris diuini violatores, plagarij, & sacrilegi? Nihilò distant à Iephthe, qui Deo vouit, quicquid sibi occurrisset, neque cogitauit id esse posse animal ob immunditiam non sacrificandum, & contra Dei voluntatem promissam obligationem posse cadere. Mitto, quòd vouendo iurant in aliena nomina & decreta, hoc est, Basilij, Augustini, Benedicti, &c. quòd tam parum Christianos decet, quàm id quod fiebat à Corinthijs, & ab Apostolo taxatur. Nec enim ferre potuit, vt se dicerent, vel Cephæ, uel Apollo, uel Pauli.

Et nescio quomodo isti non viderint, Christum sua ipsius morte ac sanguine ab infinito præceptorum onere, quæ continebantur in lege veteri nos exemisse, quò sub gratia, quàm liberimè ageremus. Cui instituto ac voluntati, qui votum faciunt, uehementer aduersantur: vt qui legem sibi ipsis imponunt, & eam legem, quam Deus minimè sanxit. Vnde quum Christus lege nos exonerare constituerit, isti contrario studio magis ac magis se impediunt lege. Qui non

putat satis esse præceptorum, quo fideles exercantur, ille diuinæ legis est imperitus. Quod si multum, & plusquam ferre possimus, lex præceptorum habet, cur ita noua sibi accersunt mandata? quare potius se liberos non seruant? & ex fide, quæ per dilectionem operatur, ea faciunt, quæ honorem Dei, & proximorum salutem magis augere uidentur. Si nolunt rectè agere, nisi lege adigantur, se potius ad seruitutem legis, quam ad regnum gratiæ ac fidei pertinere declarant.

Et ignorare videntur, eos qui tantum sub lege sunt comprehendi sub maledicto, uti scribitur ad Galatas.

Scio istud inficiabuntur, & affirmabunt vnà cum Voti lege, atque necessitate, se fidem habere, qua ad uouendum adducantur.

Cæterum hic se pulchrè decipiunt. Nam qui possunt fide impelli ad nuncupanda Vota, quum scriptura noua de huiuscemodi cultus genere nec vllum verbum eis faciat? Et fidei ea est natura, ut absque uerbo Dei minimè consistat. Vnde confectaneum quoque est, hos homines uouendo peccare. Paulus enim manifestè scribit, peccatum esse quicquid non fuerit ex fide. Neque audientia est sophistarum adductæ sententiæ interpretatio: fidem uidelicet hoc loco conscientiam significare: quod nihil ea reclamante à nobis fieri debeat. Etenim fidem non facilè ostendent in sacris literis pro conscientia positam. Quod etiam si fortè ostendi queat, cum sua interpretatione velint, nolint, adhuc sensus noster manet integer: quoniam semper conscientia reluctabitur, nutabit, neque certa esse poterit, de villo genere operis, quod acceptum Deo sit, nisi per fidem, ac verbum Dei formetur, & doceatur. Quare cum illis non constet ex scripturis Vota sua pertinere ad

DE VOTIS ET CÆLIB. 83

re ad cultum noui testamenti nescient an Deo placeant, atque ita non poterunt ex fide vouere. Quod si rem paulò attentius uellent expendere, Vota sua *ἐθελοθυσονείαν* esse animaduertent, quam Paulus ad Colossenses notauit. Nec mediocriter dolendum est, hac audacia uouendi cælibatum hodie usque eò à pietate aberrari, ut propter Voti legem, quam temerè sibi ipsi accersunt, non uereantur sanctis Dei præceptis sese subducere. Quippe si scortari eos uideris, quod ut sepe, ita etiam impudentissimè admittunt, & monueris, ut vitam adeò impuram sancto matrimonio commutent, aiunt se Voti religione teneri, & hoc pacto irritant mandatum Dei ob temerariam Voti legem. Nam iussit spiritus sanctus per Apostolum, ut qui non continent, nubant. Nec secus ubi dicitur alicui monacho, succurrendum esse parentibus, iuuandam patriam, opitulandum pauperibus; dicit se Voto impediri, quum tamen ista pertineant, citra controuersiam, ad mandata Dei. Et qui domesticos deserit, ut Paulus testatus est, abnegauit fidem, & est infideli deterior. Quid aliud erit propter hominum traditiones mandata Dei contemnere, si hoc non fuerit? Rogo autem ut quisquis hæc aut legit, aut audit, cogitet secum, non hic disputari, an cælibatus & uirginitas capescenda sint, quando quidem, citra omne dubium, qui potest ea conditione frui, & illà uidet ad promouendū regnū cælorū sibi conducere, cum desiperet, tū nō rectè faceret, si eā repudiaret. At in eo uertitur quæstio an his reb. & earū similib. uota sint nūcupāda. Quod nos ea ratione inficiati sumus, ne dei cultus ex hominū præscripto instituat, & pro pietate *ἐθελοθυσονείαν* amplectamur. & q̄a peccatū ibi ponere.

mus, vbi sacrae literae nullum esse voluerunt. Neque oportuit naturae hominum alioquin infirmæ laqueos necere. Satis est undique precipitij, & lapsuum periculis abundè sumus circumualati. Dehinc manifestissimum est pijs hominibus Voto non opus esse. Nam si dono cælibatus, aut virginitatis instructi fuerint, viderintque Dei Evangelium se posse per illam facultatem spiritus magis propagare, sponte facient, quod sibi visum fuerit faciendum, nec morabuntur Votorum necessariam obligationem. Et quàm sit inconsultum ea vouere, quæ vt præstemus, quemadmodum communi legi non astringimur, ita etiam non est in manu ac viribus nostris ea perficere. Constat verò clarissimè sacris literis cælibatum, atque virginitatem singularia esse dona Dei. Non omnes capiunt verbum istud: Qui potest capere capiat inquit Christus. Et Paulus ad Corinthios capite septimo scribit: Quisq; proprium donum habet, alius sic, alius autem sic, neque vult cuiquam laqueum injicere. Quando igitur singulari Dei munus est cælibatus, neque omnibus datur: illum vouere, quid aliud est, quàm polliceri se lautè victurum alienis impensis? Facito in manu esse nostra continere ab externo opere vel contrahendi, vel scortandi: sed ne vramur, ne concupiscamus, ne foedas perturbationes & motus impuros patiamur, & illis animo assentiamur, id præstare non possumus. At non ignoro aduersarios arbitrari se argutè diluere hanc rationem, quum aiunt: Si ea alicuius momenti esset, prohiberet etiam ne in baptismo, nos ipsos vouere Deo, sanctè victuros, ac peccatis atque diabulo renuntiaturus. Quum hæc non sita sint in nostris viribus, ea nihilominus vouemus, & tamen

men quotquot baptizamur, dono Dei ea esse
 confitemur. Cæterum qui sic ratiocinantur,
 non sentiunt bona opera, quæ à lege Dei præ-
 scribuntur, ad salutem necessaria esse: ideoque om-
 nes qui tinguntur in Christum, & ei sacramen-
 to regenerationis initiantur, illa in animo suo
 constituunt pro viribus præstare. Nam quæ
 illorum esset fides, nisi propositum haberent fru-
 ctus congruos edendi? Et Deus omnibus e-
 lectis ad vitam æternam, si supervixerint, ut re-
 ctè viuant, & sancti sint elargitur, quum id ad
 salutem consequendam sit necessarium. Sed
 non ita est de cælibatu, aut uirginitate. Sunt e-
 nim hæc dona singularia, neque omnibus ex æ-
 quo conceduntur. Quilibet habet proprium do-
 num, alius sic, alius autem sic. Vnde aliquis cæ-
 lebs, aliquis coniunx ut sit oportet, prout sibi da-
 tum à Domino experitur. Ideoque facilè ui-
 deri potest, quantum sit discrimen inter ea, de
 quibus modò queritur, & de quibus illi garrunt.
 Sumunt præterea sibi nos in baptismo vouere.
 quod non facilè dederim. Separamur quidem
 à satana, & Christo nos adiungimus, & ad id ex
 Voto fieri, qua probatione demonstrabunt?
 præsertim quum Votum, si propriè loquamur,
 neque accipi valeat, neque ab istis intelligatur,
 nisi de his, quæ ad salutem non sunt necessaria.
 Quis uerò non uideat, absque illis, quæ in Ba-
 ptismo nos facturos constituimus, salutem non
 haberi? Patres interdum nomine Voti usos
 esse in illis haud nego. Verùm fortasse per Votum
 intellexerunt, aut preces, aut uehemens desi-
 derium. Id si quidem orant, & uehementer o-
 prant, qui bona fide tinguntur, ut uidelicet post-
 hac, & sancti Christo sint, & iustè probeque ui-

uant, opinantur præterea nonnulli, valdè absurdū si liceat promittere hominib. quæ bona fide præstare obligemur: & Deo nō sit fas quippiā ex voto polliceri. Sed tantū est inter hæc discriminē, ut mirum sit id eos non uidere. Siquidem homini non omnia nostra debemus, ut Deo. Propterea multa supersunt, quæ donare, cōcedere, mutuò dare, vel vel quoquo modo impendere possimus hominib. citra debitum. Verū si Deū respicias nihil profus habemus, quod ei non sit omnibus modis obstrictum & obligatum. Non itaque mirum, si liceat iurare proximo, & alienum sit à Christiano quippiam Deo vouere. Neque dubium est, iuramenta, stipulationes, & promissa, quibus ad aliqua obligamur, & grata, & utilia esse proximis, ob ciuiles necessitates, & humanæ uitæ cāsus. Nisi enim hæc vincula intercederent, humana societas conseruari non posset. Deo verò tantū abest, ut hæc placeant, ut facilè sit de Votis ita dicturus: Quis hæc de manibus uestris requisit? Pactum seu fœdus inter me ac vos in initum est semel, ut sim Deus vester: quo debueratis intelligere, vos totos mihi esse addictos, omnia uestra mea esse, ideoque me à uobis unicè colendum. Exigit præterea nostrum fœdus, ut sitis mihi populus, quem scilicet defendam, iuuen, & cumulem omni bonorum genere: quæ sicut hæctenus præstiti, sic & in perpetuum fidelissimè seruabò. Præter hoc fœdus tam latè patens confirmatum Christi sanguine, atque in Baptismo à nobis publicè receptum, quid superest, quod mihi uel promittatis, uel voueatis? Desinite igitur, & potius, quæ faciendā sunt, ex officio sedulò facite. Non desunt item alij, qui commiscuntur, etiam quæ necessaria sunt ad salutē

uouen-

vouenda esse: hoc sanè consilio, vt ad ea persol-
 uenda magis, magisque incitemur. Et fingunt
 Vota instar calcarium esse quibus extimulemur,
 uehementius ad ea præstanda, quæ alioquin abs-
 que Voto facere debuissimus. Cæteris omisis,
 quæ hîc dici possent, illud tantû monere istos vi-
 sum est, ut caueant, ne suam ipsorum voluntatem
 institutum, atq; deliberationem pluris faciât, quâ
 Dei præcipientis auctoritatem, quæ sanè apud v-
 numquenq; piû, præ omni creatura ualere debet.
 Quod minus attendere videntur, cum Voto suo
 magis incitari volunt ad rectè agendum, quàm
 diuinæ legis impulsu: quum tamen vt ego iudico
 què Dei mandata non mouent, eû neq; Voti reli-
 gio, ne dixerim superstitio, efficiet, ut sanctè uiuat.
 Nos uerò haud sinamus nos perturbari ea senten-
 tia Dauidis, quæ ab his uouentib. perpetuò iacta-
 tur. Vouete Deo, & reddite. Neq; illis itè uerbis,
 quæ in Leuit. & Numeris de Votis leguntur. Quo-
 niam omnia eius generis testimonia Testamentû
 vetus respiciunt: in quo ut erat eius tēporis cōdi-
 tio, multiplices ritus, & variæ cæremoniæ fue-
 runt descriptæ: quæ nunc declarata Euangelij lu-
 ce, minimè sunt retinenda. Quæ necessaria sunt
 ad salutem, & suam vim conseruant, non minus
 in nouo, quàm in veteri testamento, subinde uideas
 in literis Apostolicis nobis inculcari. Quemadmo-
 dum sunt vnus Dei cultus, detestatio idolorum,
 obedientia erga principes, & parentes, uictus mo-
 deratio, mansuetudo, beneficentia in proximos, &
 alia id genus: quæ cum à Christo, & Apostolis nul-
 quam taceantur, existimabimus Votum, quod ad
 primam tabulam pertineret, si adhuc extaret tam
 alto silentio ab illis præteritû atq; suppressû. Alij
 fortassè id sibi persuadeant, sed prudentiores quiq;

fortasse id sibi persuadeant: sed prudētiores, qui quā
 pietatē ex verbo Dei, nō ex hominū traditionib.
 metiuntur, id nō credent, ut quod hodie istis vide
 tur esse prora & puppis in religione, mentio eius
 nulla profus fiat in Apostolorum scriptis. Adda
 mus & hoc, victimas primitias, oblationes, & in
 tura Nazaræorum multo magis fuisse in manibus
 veterum, qui ea volebant, quā cælibatus, aut vir
 ginitas in nostra potestate sint. Idcirco non patie
 mur, vt veteris testamenti morem ad suum institu
 tum vouendi pertrahant. Attamen quia mihi du
 bium non est, permultos fore, qui nullo modo pa
 triātur his rationib. acquiescendo Vota esse irrita
 nostra tēpestate, ideo eos q̄ sic animū obfirmarū
 ut Votū omnino ad nostra etiā tēpora pertinere
 velint, ita ut sit res quoad religionem perpetua, &
 immutabilis, quæq; ideo nostra etiam ætate locū
 habeat, saltem hoc monebo: primū videant per
 Deum immortalem, ut suam conscientiam, ac in
 dem scripturarum testimonijs confirmet: quod
 ego sicuti iam docui, ægrè fieri posse arbitror.
 Studeant ad hæc, vt Voto non polliceantur quæ
 verbis dei aduersentur. Caueant præterea in adia
 phoris, cuiusmodi est cælibatus, & alia similia, ne
 illa voueant, nisi salua Christiana libertate, quo
 liceat eis, quum vruntur, ex Apostolico manda
 to coniugio vti. Voueant, inquam, se tanti sper,
 ta victuros, quo ad vires à Deo suppeditabun
 tur, & illud uitæ genus intellexerint, ad illius ho
 norem, & proximorum ædificationem condu
 cere: non ut mereantur, non ut iustificentur, non
 ut vitam æternam ex eo habeant, vel ut his offer
 uationibus fauorem Dei, seu reconciliationem
 adipiscantur, & in ipsis aliquod sanctitatis fasti
 giū constituent. In necessarijs verò ad salu
 tem

tem vouendis (nam & ea Voto nuncupari posse obstinatè, vt diximus aliqui defendunt) id saltem evitare velint, ne voluntatem suam diuinæ præferant: hoc est, ne potius ex animi sui Voto, quæ oportet, facere velint, quàm ex obedientia diuinæ legis, qua Deo præcipienti arctissimè sumus obstricti. Neque se vnquam eò rapi sinant in ullo Voti genere, ut Deo uelint ea offerre, de quibus non sint ex eius verbo certi, quod ei grata sint, & placeant. Ac denique faciant quod volunt, nunquam euincere poterunt, Vota competere, nisi christianis imperfectioribus, qui conditioni seruili Iudæorum, quàm christianorum sint propiores. Postremò tacendum non est plærosque inueniri, qui sanctorum virorum exemplo, à quibus Votum cælibatus nuncupatum fuit, dum uiuerent, conantur superstitionem uouendi confirmare. Quasi omnibus id facere liceat, quod inculpati homines fecerint, de quibus nemo ambigit, quòd grati Deo fuerint. At si rationem hanc sequi uelimus, iam non à regula, & doctrina scripturarum, sanctitatem & iustitiam operum nostrorum metiemur, sed à factis eorum hominum, qui pij quandoque habiti fuerint. Quod, ut sit absurdum, pluribus explicare non est necesse. Sit nobis semper ob oculos, omnem hominem mendacem esse, atque Deum vnun tantummodo ueracem. Si hominum opera iusta & idonea regula fuissent, ad piè sanctèque uiuendum, quid opus erat lege? Verùm ut homines in suis decretis, & opinionibus & errare possunt, & sæpe falluntur, quando præter scripturas uel agunt, uel definiunt, sic etiam in suis actionibus, & peccare possunt, & persæpe labuntur: nempe quando à regula, & præscripto

scripturarum discedunt. Quid alioqui prohiberet, ne quispiam dixisset Paulo, quando Petrum simulationis publicè arguebat, in Antiochena Ecclesia: Quid, quæso te, Paulè agis? Nonne sentis hoc opus, in quod adeò stomacharis, à Petro fieri, qui est Apostolorum sanctissimus? Non debes tibi persuadere illum errare posse. Imitare potius, quàm reprehendas, quod ab eo agitur. Ad hæc Paulus citra contouersiam ita respondisset: Non ab hominibus utcunque sanctis, neque à rebus gestis eorum pietatis mensura petenda est: quæ tantùm à verbo dei pendet, cui, quod nunc à Petro committitur, minimè respondet. Ideo tamen si eum suspiciam, quod tamen ab eo fieri non possum non reprehendere. Desinant itaque tandem hoc genere argumenti contra nos agere. Nisi enim prorsus inficiari uelint, quod scribitur ad Corinthios priori epistola, necesse est uident, non omnes qui doctrinam super Christo fundamentum ædificarunt, rectè ac sanè semper ædificasse: nonnunquàm scænum, interdum ligna, & quædam stipulam superstruxerunt: quæ ad examèn iudicij, ac regulæ uerbi Dei admota, non ualent consistere. Ac deniq; si multos è sanctis hominib; uouisse calibatùm ostendèt, nos itè è diuerso poterimus cõplures proferre, qui nõ uouerunt. Quamobrè si ex una parte contédatur, propter exèpla, piùm esse uouere poterit ex altera probari eodè argumenti generè piùm esse nõ uouere. Verùm de hac prima quæstione, quã inuestigandã proposuimus, an Christianũ hominè iã sub Euãgelio cõstitutũ, par sit uouere, quã nõ quãtũ dici poterat dixerimus, tantũ nihilominus differuimus, ut pijs animis cõfidã satisfactũ.

O B I E C T V M I.

Inquis, uerbum Dei solùm docet, quid Deo arrideat

& quid secus. Audio. Sed ut constanter inficior id tantum placere Deo, quod manifesta scriptura proditum est illi placere. Quando Baptismum arridet illi impense, bapsima administratum ab haeretico & schismatico. Virginitas Mariae, obseruatio dierum Dominicae, & multa alia quae citra scriptum, ueluti per manus tradita à patribus, amplexa est, catholica Ecclesia Christi, quae nullus feritura locus abunde conuincat, placere Deo: ita assero subnixus non uno loco scripturae sacrae, ubi consultitur paupertas, & continentia, assero, Vota probari Deo, illique grata esse, idque scripturam proplam facerem, &c. Et mox: Quod ex lege Dei, inquis, non est, iustum non est. Audio. Sed quid tibi est, quum hoc asseris, Lex Dei? praeceptum, an mandatum? Vis, nihil esse iustum, Deoque gratum, quod non praeceperit Deus? Adeo es cupidus atque imperitus? Iustumne erat, ac Deo gratum, quod Ioannes Baptista nunquam comederit carnem ut locustam, neque biberit uinum aut siceram? Quis uere pius inficiabitur id iustum, Deoque gratum fuisse, potestaequam hoc nomine ipse à Christo laudibus euehitur? At qua lege cautum erat, ne Ioannes promiscue ac citra delectum omnem omnibus uesceretur cibis? & omne biberet potus genus? Quae nam lex iustae, obsecro te, ut in ipsis Ecclesia Christi rudimentis omnia essent communia? Erantne ista rerum ac saccultatum communio iusta, ac Deo accepta? ad quam inuitauit Christus omnes, quum dixerit, si uis perfectus esse, uade &c. Quo mandato praecipitur uirginitas & celibatus, quae Christus & Paulus consulunt tantum? Nonne iustum ac Deo gratum erat, quod Paulus manuum sudore uictum sibi ac alijs pararet, gratisque Euangelium conuocatus est? Quae Lex ut haec faceret, iussit? Nunquid filij prophetarum in ueteri Testamento arcto uictu, & aspero cultu, quadam monachismi formulam exprimebant? Quos ideo Hieronymus monachos uocat, cum nulla lege Dei iustum id esset? Et quis id uita institutum iustum Deoque gratum fuisse negabit? Filij Ionadab filij Rechab uinum non bibebant, domos non aedificabant, sementem non serebant, uineas non plantabant, nec habebant ulla domos: sed habi-

H. 8.

o. l. 1. 1. 1. 1.
 sup. 1. 1. 1. 1.
 1. 1. 1. 1. 1. 1.
 1. 1. 1. 1. 1. 1.

tabāt in tabernaculis, nulla lege ad hoc astricti, sed spō
 re parentes iussui patris sui Ionadab. Et tamen id facti
 adeo non displicuit Deo, ut illa egregia pensarit felicite-
 tate, inquit eis, pro eo quod obedistis præcepto Iona-
 dab patris uestri, & custodistis omnia mādata eius (Nō
 ait mihi obedistis, & custodistis omnia mandata mea) &
 fecistis quæ præcepi uobis, propterea hæc dicit Domi-
 nus exercituum Deus Israel. Non deficiet uir de stirpe
 Ionadab filij Rechab stans in conspectu meo cunctis die-
 bus. &c.

D E F E N S I O.

Cum scriptura passim doceat, non esse Deum colentium
 inuentis hominum, sed ex præscripto uerbi eius, à quo et-
 tiam dicat, neq; ad dextram, neq; ad sinistram declinandi
 dum esse, mirum tibi uideri non oportuit, neque increduli-
 tum, impium, aut ineptum pronuntiare debuisti, quod e-
 go statuerim, non esse opera hominum Deo grata, quæ
 uerbo eius probata non fuerint, neque cultum eius iustum,
 aut legitimum habendum, nisi constet ex his, quæ ipse te-
 stimonio scripturarum indicarit, atque demonstrarit sibi
 placere. Quod ab eo fieri dupliciter obseruauimus. Quæ
 doque enim disertis uerbis ea solum tradit, ex quibus ple-
 raque alia opera, & bona esse, & illi accepta, necessario
 conficitur: Interdum uerò simpliciter & aperte de non-
 nullis exponit, qualia ea esse uelit. Quod tu parum confi-
 derans baptismum infantium mihi obijcis primo loco,
 quasi scripturis probari non possit. Verum enim uerò to-
 to celo aberras. Et est profectò magnum odium uerita-
 tis, quo uos papista laboratis: ut qui ad uestras traditio-
 nes, dixissem uerius, prodiones, confirmandas, potius
 uelitis cum Anabaptistis docere, non posse constitui pe-
 do baptismum è scripturis, quàm concedere omnia crediti-
 tu necessaria in sacris literis haberi. Sed non est mirum,

Distinctio
 eorum que
 continentur
 in sacris li-
 teris.

ciam

cum ad eò flagretis cupiditate constituendæ ac retinendæ tyrannidis in Ecclesia, si quemadmodum ex diabolo ac mendacijs eam nacti estis, ita modò non uereamini eandem cum operibus diaboli, tum fallacijs & imposturis defendere. Certè non potes inficiari, Baptismum circumcisionis loco nobis esse datũ: quãdo quidẽ id Paul. ad Colossen. manifestè scribit. Iam nisi uelis nostros paruulos infra cõditionem filiorum Israel abijcere, quemadmodum illi circumcidebantur in infantia, sic nostros pueros ad baptismum fateberis admittẽdos. Quid, obsecro te, in ista ratione proponitur extra scripturas? An Christianorum infantes, ita pertinere ad Deum ut filios Hebræorum dubitabis? At id non relinquit ambiguum Apostolus, quando inquit, iam nos esse uerum Israeleim. Quare cum Deus fuerit, non solum Israelitarũ, uerum etiam seminis eorũ Deus, ita & Deus est noster, & seminis nostri. Hoc est fœdus cum patribus in initum per fidem, quod in pueris per circumcisionem obsignabatur: quod idem in nostris baptismo fieri dubitare non possumus, cum baptismus, nũc pro circumcisione habeatur. Ad hæc, si paruulis nostris conceditur, ut ad Christum pertineant, & propterea sint Ecclesia membra nec non participes redemptionis, quare signum externum, quo instar sigilli dona hæc muniuntur & confirmantur, illis negabimus? Eos Christi esse id ostendit, quod ipse uoluit, ne prohiberentur ad se uenire. Atq; circumcisionem & sacramenta obsignationes esse donorum seu promissionum Dei, dubitare non possunt, qui epistolam ad Roma. attentè legerint. Vbi scribitur Abrahamus circumcisionem accepisse, sigillum iustitiæ fidei, quam prius habuerat in præputio. Iam perspicuum est qualis theologus haberi debeat, qui doceat baptismum infantium ex scripturis non haberi. Deus istius cæcitatatis

Padoba
prismus ex
sacris lite-
ris conclu-
ditur.

miscreatur, digneturq; pro sua clementia & tibi & similibus tui, è corde tantum Euangelij odium eximere.

Scripturæ
ostendunt
baptisimū
ab hæreticis
collatū
ualere.

Baptisimum præterea collatum ab hæreticis ratum habendum esse in Ecclesia, quo ore affirmas è scripturis nõ posse demonstrari? Quasi non liquidò illæ doceant, sacramenta uim & efficaciam ex ministris non habere, sed tantum ex instituto, & promissione Dei. Non potest minister Dei uoluntatem irritam facere, seu ueritatem diuinam in mendacium conuertere. Ideo quæ quantumuis uitiat, & corruptus fuerit, modò, quæ Christus instituit, agat, Sacramento nihil deest, quod ad eius naturam, & ueritatem spectet. Iohannes dicebat, equidem baptizo aqua, sed, in medio uestrum est, qui spiritu baptizat. His uerbis potest quicuis intelligere, discrimen inter ministrum Baptismi, & Christum uerissimum fructus eius authorem. Prædicauit, & Baptizauit Iudas, & quidem non inscio Christo, malus alioquin minister. Prædicabant & Baptizabant illi, de quibus ad Philippen, testatur Apostolus, quod inuidia impellerentur, ut Christi negotium agerent: & eorum ministro Paulus gaudebat: quod sanè minimè fecisset, si prædicatio & sacramenta fuissent ab illis contaminata. Eas modò theologe doctissime, atque doceas ex scripturis ista non posse demonstrari. Neq; plus in eo reboris

De uirginitate Mariæ

est, quod mihi de uirginitate Mariæ obijcit. Quamuis ambigò, quid ibi uelit: fortasse contendit Mariæ uirginitatè Deo placuisse, cum tamen illi non fuerit lege ulla præcepta. Sed à uero lōgè aberrat. Deus certissimo decreto uoluit matrem filij sui uirginem esse, cuius mentio clarissima fit apud Esaiam, ubi scribitur: Ecce uirgo concipiet, proinde cum beata Maria nuntio Angeli senserit, se fore matrem Domini, ac sancto spiritu fecundandam, illico anti-

maduerit priuata lege se astrictā esse, ut uirgo pareret,
 Ideoq; hac de re uerbū Dei habuit, cum è scripturis, tum
 ex angeli sermone, qui significauerat ei ui spiritus sancti
 non seminis uirilis, nasciturum ex ea Messiam. Verū,
 scio, dicet, ut uirginitatem post partum seruaret, uerbo
 Dei non fuerat imperatum, Vnde uirginitas, quæ partum
 sequuta est, iuxta meam sententiam, Deo non placuisset,
 Quid iste de præcepto uel iussu Dei comminiscatur, ipse
 uiderit. Ego nunquam sum inficiatus uirginitatem & cæ-
 libatum generā: se uitæ, quæ testimonio scripturarum
 Deo probetur: non quidē in omnib. sed in eis duntaxat,
 quib. diuinitus uires suppeditantur, quiq; intelligūt se pos-
 se regnum Dei ea ratione promouere. Qui igitur cæliba-
 tum aut uirginitatem eligit, rem non sequitur à scriptura
 non probatam. Arbitraturne adeo nos stupidos esse aut
 ignaros diuinarum literarū, qui caput. 7. prioris ad Co-
 rin. non legerimus, uel Christi sententiam, quando ait, qui
 potest capere, capiat? Non hoc est inter nos controuer-
 sum, an uirginitas, uel cælibatus quandoq; liceant ex uer-
 bo Dei: sed an ex Voto suscipi debeant. Equidem nego:
 iste affirmat. Et dum de quali sit quæstio, ille ad quid sophi-
 ficè eam transfert. Nunquam dubitauius, licere per
 Dei legem aut uirginem, aut cælibem agere: cum sacra
 literæ id genus uitæ in non nullis disertè probent. Sed de
 qualitate ac modo contendimus: An liberè, an ex Voti ne-
 cessitate. Hoc inquam, hoc te probasse oportuit: quod cū
 nō facias, nihil agis. Proinde mutato quale, in quid abeas
 quo dignus es cum tuis sophismatis. Status nostræ quæ-
 stionis est: An scriptura noui Testamenti probet alicubi
 cælibatus Votum. Ego negaui: tu secus non demonstraſti.
 Quid hunc locum nobis opponis? Maria cum uirgo pe-
 perisset, etiā in posterum uirginitatem amplexa est:

quia licuit, quia uires habuit, quia matrem Dei animaduertit decere. Quid hoc ad propositum nostræ quæstionis attinet? fortasse dices: non hoc uolui, sed nos adigi ad credendam Mariæ uirginitatem perpetuam, cum tamen id ex sacris literis non habeatur. Sed eadem responsione, quam modò audisti, et alter iste nodus dissoluitur. Nam ex Virgine Christum natum esse, luculenter scripturæ docent: atque ideò rectè faciunt, qui huic articulo fidem adhibent. De uirginitate uerò eius à partu, fateamur nihil extare scriptū: sed cū diuinæ literæ ipsā nullibi testentur uiro cōmixtam, id nos minimè credemus. Et si qui uoluerint persuadere Mariæ uirginitatem post partum fuisse corruptam, exigemus id ex uerbis Dei nobis probari. Quòd si non potuerunt, Mariæ integritatem relinqueamus in eo statu, quo sacræ literæ perhibēt, illam filium suum, Deum, et redemptorem nostrum peperisse. Neque hic nouum articulum fidei condimus. At quemadmodum traditiones non spernimus, quæ cum Dei uerbo non pugnant, ita perpetuam Beatæ Mariæ uirginitatem recipimus, seu traditionem, quæ Christum et matrem eius deccat, quæq; nulla ex parte dissentiat à sacris literis.

De obseruatione uerò diei dominici, quid hic mihi ostrepis, quasi nulla eius mētio habeatur in scripturis? cū primo capite Apocalipseos, de illo ita scribatur: fui in spiritu die Dominico. Paulus etiam cum ad Corinth. epis. priorē, præcepit, ut pro pauperibus Hierosolymitanis collectionem facerent una sabbatorum, per unam hebraica phrasin primam diem hebdomadæ intelligit: qua eadem locutione Maria Magdalene, atque altera Maria dicuntur in Euangelijs, ad sepulchrum Domini uenisse una sabbatorum. Quam locutionem Marcus disertis uerbis expressit, dicens: quæ lucefcit in prima sabbati. Et in libro genesios

De die Dominico.

cum habetur, Et factum est uespere & mane dies unus, illis uerbis dies primus indicatur. Atque apud prophetas unus mensis, & una dies mensis, & primum mensem, & primam diem mensis significant. Bis itaque in nouo Testamento fit mentio diei Dominici obseruati, nempe semel in Apocal. & semel in Paulo ad Corinthios. Cur autem spiritus sanctus uoluerit, ut iam inde ab iuitio primitiue Ecclesie, sabbati dies transferretur in diem Dominicum, sic accipito. Lege perpetua, & nunquam delenda, sanctificandus est à fidelibus dies septimus, ut in hebdomada unus habeatur dies cultui diuino publicè deputatus: quod ex decalogi uerbis apertissimè cognoscitur. At quis nam deligendus esset ex illo septenario numero, pro temporum uarietate Deus reuelauit, atque sanxit in ueteri Testamento, ut ille seruaretur, quem modo sabbatum uocamus, quemque Iudæi hætenus coluerunt. Quia cum Christus nondum uenisset, ut summum Dei beneficium orbis creatio recolebatur: quæ cum fuerit, eo die perfecta, iure ac merito ille ut sanctus habebatur. Nunc uerò, postquam sumus redempti per Christum & beneficium resurrectionis quod maius est prima creatione, in ipso capite nostro recepimus, idq; die Dominico primum in eo declaratum fuerit, idcirco ut memoria nostra refricetur, & ut ceremonie ueteris legis, tanquam umbræ seponerentur, commutatus est sabbati dies in diem Dominicum. Propterea cum hæc traditio Apostolica sit, & in sacris literis commemorata, non est quòd uereamur obseruationem eius Deo non placere. Obijcis præterea Ioannem Baptistam comedisse locustas, & mel syluestre, uinum & siceram non bibisse. Qua de re hoc tibi sciendū est, quòd ista Ioannes fecerit ad promouendum regnum Dei, & ædificationem proximorum. Voluit enim maiori

Cur sabbatum sit mutatum in diem Dominicum.

Ioannes baptizatus cur locustas ederet nec biberit uinum.

authoritate, atque admiratione uictus insoliti Iudeos ad
 caelestem doctrinam attrahere. Vnde si consilium eius
 Deo probatum est, atque illi hæc placuerunt, id senten-
 tiæ nostræ nihil aduersatur. Nonne Paulus item dixit: po-
 tius quàm scandalizem fratrem meum, non comedam car-
 nes in æternum? Et quis non uideat longè plus esse, proxi-
 mum ad salutem adducere, quàm illum non offendere, seu
 scandalizare? Ea itaque ratione, qua nobis fratrum salus
 à sacris literis commendatur, omnia quoque ista probata
 sunt, & Deo accepta, quæ illam promouebant: præser-
 tim cum suppeterent uires diuinitus: & singularis uoca-
 tio, cum Apostoli, tum præcursoris exigeret, ut quantum
 posset diligentia homines ad Christum traheret. Nec secus
 debent existimare, sibi peculiariter mandatum esse uerbo
 Dei, cui uersantur in Ecclesiastico ministerio, ut non sua
 querant, sed quæ sunt aliorum, & ut omnibus omnia fi-
 ant. Astringimurq; uniuersi lege charitatis, ut ita nos in-
 uicem diligamus, quemadmodum Christus nos dilexit.
 Propterea, quemadmodum ille neque crucem recusauit,
 neque ullum poenarum genus ad nos redimendos, ita ni-
 cissim & nos ad salutem proximorum, & Euangelij am-
 plificationem, quiduis, modò possumus, & opus fuerit,
 debemus perferre. Atque ut Ioanni conuenerint ista, cla-
 re admodum uerbum Dei ostendit, à quo appellatus est
 Vox clamantis in deserto. Et fuit de illo prædictum, quòd
 in spiritu, & uirtute Eliæ mittendus esset. Illius præte-
 rea fuit, ut poenitentiam prædicaret, quam non solum uer-
 bo, sed etiam multo magis exemplo par fuit docere. Om-
 nes autem qui sacras literas attentè legunt, facile possunt
 agnoscere, quàm deceant poenitentia, ieiunia saccus,
 cilicium, & alia id genus: quæ cum de Eliæ, tum etiam de
 Ioanne dicuntur. Vterq; igitur illorum uitam sibi dele-
 git, ad

git, ad quam diuinitus erat destinatus & in sacris literis commendatam & approbatam: quamuis ex Voto illos hæc fecisse demonstrare non possis, quod in presentia uenice, ac maxime controuertitur. Quod etiam si de Ioanne, uel Elia fecisses, nihil adhuc tuam causam reddidisses meliorem: cum illi sub Veteri testamento uixerint, & nos tantum de nouo disputemus, Licuit illis etiã tunc Nazareorum uitam & uotum suscipere, quod nobis modò non liceret. Ad hæc, singularia quædam facta non nullorum sanctorum minimè sunt in exemplum trahenda: quasi liceat omnibus filium sacrificare, quod facere Abrahamus erat paratus: aut ignem de cælo poscere, ut hostes absumantur, quod Eliam fecisse nouimus. Et alia sexcenta sunt huius ordinis, quæ modò commemorare non est animus. Videoq; iam satis quoad æquum piùmq; lectorem de Ioanne Baptista esse responsum. Nunc ad id uenio, quod ais, in rudimentis Ecclesiæ omnia in cõmune fuisse collata quando quisque sua uendidit, nec sibi quicquam proprii retinuit: quæ affirmas, neque testimonium, neque approbationem à sacris literis habuisse. Quod sanè abs te dici uideo, quia parum animaduertes diuinas literas commendare charitatem in proximum, & eam charitatem, qua quisq; id bonum alteri uelit, quod sibi ipsi. Hoc, inquam, si fuisset abs te consideratum, facile intellexisses, uerbo Dei quam optimè congruere, quod Christiani tum temporis decreuerint communi administratione uictum cuiq; pro necessitate distribui. Ea porrò charitate fideles accendebantur, ut nemini quicquã deesse uoluerint: quod sanè uerè fuit proximum tanquam seipsum diligere. Tu uerò, dic obsecro, audistine unquam negari à quoq; nostrum, licere sua distrahere, pretia seu pecunias in mediũ conferre, ac iusta distributione inde sustentari complu-

De cõmuni-
nitione rerũ
in primiti-
ua ecclesia.

res? Quod ad me attinet, id certè nunquam sum inficiatus. Quisq; in proximo adiuuando, id pro loco, & tempore faciat, quod magis ad honorem Dei promouendum, & aliorum procurandam salutem, conducere intellexerit. Non patiuntur humanæ res, ut semper unus idemq; tenor, in administratione facultatum obseruetur: atque diuersis temporibus rationes uariæ congruunt. Id autem uitæ genus, de quo modò caullaris primitiæ fidelium Ecclesiæ quam maximè expediuisse cõprobatur. Nam cum Hierosolymis Christiani penè omnibus odiosi essent, habitando simul, ac unâ uiuendo, noctu diuq; sese mutuo cõm doctrina tum precibus communibus, ac exemplis, & alhortationibus confirmabant. Addas præterea tum temporis complurimos pauperes ex iudæis ad Christum se contulisse, quibus cæteri ciues maximè infesti erant, ita ut illos a synagogos facerent, ac uulgò detestabiles. Vnde suas operas elocare non poterant, quibus iustis manuum operibus uictitarent. Oportuit igitur ad talem multitudinem alendam, eos, qui ditiores erant, suas facultates impendere, quas, ratione habita cuiusq; necessitatis, melius distribuiderunt per Ecclesiam, quàm si per se ipsum quisq; singillatim eos erogaret. Quemadmodum uidemus in ciuitatibus bene institutis, pauperibus ac mendicis multo iustius prospici, si per diaconos Ecclesiæ, seu publicos Ecclesiæ ministros eleemosynæ collectæ distribuuntur, quam ubi quisq; iudicio ac arbitrio suo largitur cuique prout uoluerit. Præterea non dubitarem, Deum ipsum incitasse sanctos illos uiros ad id faciendum, cum Iudæorum agrus & domus paulò post essent euertende, ac peritura obfisione, ac misero excidio, quod ab exercitu Romanorum impendebat. Non passa est diuina prouidentia, temerè perire sanctorum bona: quæ etiam à Iudæis, dum Christianos uexabant

DE VOTIS ET CAELIB. 81

uexabant, antè bellum quoque diripiebantur, & confisca-
 bantur. Proinde curauit spiritus sanctus, huiusmodi facul-
 tates eadem opera usibus piorum inservire, dum simul ha-
 bitarent: & exemplum admiratione dignum inde præ-
 beri, quo docerentur fideles, opes, & fortunas huiusmodi
 contemnendas, cum pro nomine Christi, tum ut pauperum
 necessitati subueniatur è quò charitas, quæ fructus est fi-
 dei, & uinculum humane societatis amplissimè declare-
 tur. Ceterum ista, quod mihi uehementer dolet, neque tu,
 neque tui similes respicitis: quibus est satis huic præclaræ
 historie, Voti superstitionem affingere, qua monachi se
 iactitant, nihil proprij habere. Cumq; id merum sit homi-
 num inuentum, ab Euangelica perfectione longissimè ab-
 est, quam tamen uos in hoc Voti genere sitam perpetuò,
 sed falsò nobis obijcitis. Verùm age, historiam hanc Acto-
 rum Apostolicorum mentionem Voti facere demonstrato
 & cedemus: at id facere cum non possis, nugari desinas.
 Et denique, si per insitam licet peruicaciam, animaduer-
 tito institutum primitiue Ecclesie, quod modò refers, ut à
 diuinis literis non fuisse alienum, ita neque perpetuò ne-
 cessarium, ut semper & ubiq; retineri debuerit: cum ne-
 que omni tempore, neq; omni loco ea contingant, quæ tū
 temporis primis illis Christianis euenerunt. Cum igitur
 ad charitatem quod tum fecerunt pertineat, ut demon-
 strauimus, minimè destituebantur sacrarum literarum testimo-
 nio, cum id facerent. Quamobrem cum totus iste locus ad
 tuum institutum minimè faciat, de illo plura non dicam
 quia & superius cum ageretur de Anania & Saphyra ijs
 consimilia scripsi. Deinde obijcis, imò potius fabularis, ne
 scio quæ de Christo, qui consuluerit adolescenti, si uellet
 esse perfectus, ut sua distraheret, daretq; pauperibus, &
 se sequeretur. Qua in re, sicut in alijs, aut uehementer

deciperis, aut noctem quandam offundere conaris luci eius ueritatis, quam tractamus. Non enim, ut tu persuasum uelles, consilium ibi fuit, sed præceptum. Et mirum est, quomodo uos perfectionem ab omnibus Christianis hominibus requiri negetis, cum in uniuersum per diuinam scripturam præcipiatur. Nonne Christus ait, Estote perfecti, sicut pater uester cælestis perfectus est? Et ad Corinthiensi cap. 13. Quod superest fratres ualete, perfecti estote, consolationem habete, & ad Coloss. 4. Ut steteris perfecti, & completi in omni uoluntate Dei. Et in Genesi cap. 17. Ambula coram me, & esto perfectus. Unde uos cum perfectionem distinguitis à præceptis, nihil sanè facitis aliud, nisi quòd perturbatis, & confunditis, quæ doctrinæ sacra de uoluntate Dei planè docuit, & homines à pernicastâq; obedientia illius auertitis. At doctiores, qui uas æneum, & caput ferreum habent, ad uestra sophismatum rem dignissimam fontibus lachrymarum exislimant huiusmodi figmenta, tantum abest, ut illis assentiantur. Etenim, præter illa, quæ adduximus, permulta inueniuntur alia loca in scripturis, quorum testimonio palpare possumus, nedum cognoscere, mandari nobis, ut simus perfecti. Neque in alio sita est perfectio hæc, nisi ut Deo aliquando præcipienti obediamus. Quod qui non fecerit, ex eo peccare animaduertitur, quòd ante ferat suam uoluntatem diuinis mandatis. Cum Deus Abrahamo imperaret, ut de terra sua egrederetur, proculdubio, si non paruisset, grauissimi sceleris fuisset reus, nec leuioris, si cum filius ab eo ad sacrificium exigere, ipsum dare noluisset. De alijs permultis idem possit doceri. Sed ut ueniamus ad apostolos, nonne cum uocati sunt à Domino, si eum sequi noluisset, propriæ salutis fecissent iacturam? Nemo uenit dubitauerit. Sed tu, cum eos dicas uouisse Christum sequi

Adolescenti præcepit non contulit ut sua diuideret. Perfectio in scripturis non confunditur sed præcipitur.

quando, nescio quomodo, postea oblitus tui, ut inferius uidebimus, ubique clamitas, votum idcirco liberum esse, quod sub præcepto non cadat. Vnde Apostoli, iuxta hæc, uel non uouerunt, uel non fuit eis liberum uouere, cum necessarium fuerit ipsos obedire præcepto uocantis. Verum ut ad rem ueniamus, non consilium sed præceptum fuit, quod Christus adolescenti dixit, ut se sequeretur, bonis suis diuenditis: atque ille id non faciendo grauissimè peccauit: præsertim cum fuerit absterritius ab illa Christi obedientia diuitiarum cupiditate. Dixeris fortasse, quem admodum tui similes in his uerbis hallucinari solent, non præcepit Dominus isti iuueni absolute ac simpliciter, ut hæc faceret, sed conditione adiecta, si uellet esse perfectus. Quasi non omnia Dei præcepta ista conditione hominibus afferantur: nempe ut obediant si salui, ac perfecti esse uelint. Siquidem humana perfectio, sicut ea posuimus, in eo sita est, ut Dei præceptis obtemperemus. Mandata uero Dei omnia pertinent ad omnes: uerum nonnulla sunt, quæ peculiariter à certis hominibus exiguntur: ueluti ab Abrahamo filij sacrificium, & ab Hieremia ut cum Israelitis proficisceretur in Aegyptum. Atque huic adolescenti singulariter abiectio suarum facultatum præcepta est, quo suam ipsius infirmitatem agnosceret. Etenim planum est ex Euangelica historia, cum cogitasse, omnia Dei præcepta fuisse à se impleta: à qua integritate multum sanè aberat, cum plures in eo cupiditates adhuc essent residuæ, quæ ipsam latebant. Proinde uolens Christus illum sibi ipsi patefacere, inquit, Vniuersa tua diuendito, pauperibus dato, ac me sequitor, si perfectus esse uelis, quemadmodum tibi, ut qui parucriis omnibus Dei mandatis, iam te esse persuades. Tu me magistrum & nominas, & arbitraris, qui sum & fidelis, & à Deo missus.

Non omnia præcepta sunt omnibus data.

84 PETRI MARTYRIS

Quare cum ego tibi hoc precipiam, æquè ac Deo parere debes. Atque hinc deprehendere poteris, quantum adhuc absis à uera obseruantia, & debita erga Deum obedientia. Iuuenis, his auditis tristis abiit: nam diuitiarum amore tenebatur, & unà sensit, ut est uerisimile, quàm frustra, temerèque se iactitasset, quòd legem uniuersam à pueritia obseruasset. Vides igitur ut uestrum figmentum, de consilio, aberret à scopo loci à te propositi? Non itaque res libera exigebatur à iuuenè, sed quæ necessariò ab eo faciendà esset: quamuis non omnibus ad salutem aspirantibus, tale mandatum proponeretur. Verùm Ecclesia uobis sophistis hanc gratiam debet, quod ex præceptis consilia feceritis: quo factum est, ut omnes monachi, quemadmodum tu quoque hoc loco doces, in his perfectionem suam fundarint, ac opinati sint, quod si opes & rerum suarum possessionem à se abdicarint, uerè perfecti essent, cùm tamen id neq; semper faciendū sit, neque semper fieri Deus uelit. Proinde uiderint hypocritæ, qua industria, quæue authoritate, hanc intelligentiam ex adductis, & explicatis locis Euangelij extrahant. De uirginitate uerò ac celibatu, quæ tu in transcursu attingis, ego quoque paucis respondebo: nec aliud sanè, quàm quod iam latius exposui. Approbantur in sacris literis hæc uitæ genera, modò ad sit Dei donum, & utilis instituti usus, qui sit ut compleribus liberum sit, aut uirginitatem, aut celibatum amplecti. Sed status propositæ contentionis est de voto, nimirum an ista uouere liceat, de quo quum te semper loqui fingas, & nihil probes, uerùm perpetuò ad alia dilabaris, ex omnibus, quæ dicis, tuam causam quicquam non adiuuas. Non enim dicendo sed confirmando uincuntur controuersia. Queris de me, quæ lex Paulum adegerit,

De uirginitate & celibatu,

degerit, ut sudore uultus, ac labore manuum, sibi ipsi, & suis quandoque uictum quæsiuerit, dum Euangelium prædicaret, quum sibi ex eo uiuere liceret, scito, id fuisse illi magna & latissima lege charitatis imperatum.

Quippe quum hoc uideret ad homines alliciendos ad Euangelium plurimum valere, atque id facere posset, certè si id non præstitisset, aequè proximum, neque Deum ipsum toto corde, tota anima, & omnibus uiribus dilexisset. Fateor quidem, non potuisse illum communi ulla lege à Deo Euangelizantibus lata, si hoc non fecisset, à quoquam coargui. Siquidem licet ex eo, quod uulgo propositum est, his, qui Christum prædicant, ex Euangelio uiuere: quique negassent uictum Apostolo, qui eum petiisset, culpam excusare non potuissent.

Nam lege astringebantur, qua dictum est, operarium dignum esse mercede. Quis præterea iure potuisset Apostolum non laborantem reprehendere, si uictum ab Ecclesia sumpsisset, quum nemo sciat, quantum uirium cuique à Deo sit collatum, neque omnes uideant, quando ad honorem Dei conducatur, uel mercedem accipere, uel gratis prædicare. At ipse Apostolus, qui roboris à Deo sibi concessi erat probè conscius, intelligebatque ut ad religionem propagandam expediret, liberalis, & gratuita prædicatio, animaduertit se lege illa dilectionis astringi, ut ex talento sibi commisso, tantum fructus daret, quantum dantis uoluntas exigebat, & facultas reddentis poterat. Atque hanc eandem responsionem accommodato, si sapias, ad uirginitatem, & celibatum: quæ si quis ualeat castè, pureque obseruare, atque id intelligat, ad Euangelium promouendum conducere, ea debet amplecti, si legem charitatis saluam esse uelit.

Et sicut Apostolus prædicando gratis, nil, quod ex

De Paulo
qui labore
manuum
suarum ui-
xerit.

uerbo Dei fieri non debuerit, præstitit, ita & iste, quod
 à lege charitatis iubetur, manendo in uirginitate, seu in
 celibatu faciet. Garris item de filijs prophetarum in
 Veteri Testamento, & inquis arctum uictum & aspe-
 rum cultum nulla Dei lege fuisse illis imperata: quod
 si sacræ literæ non moneant in Elia, in Achabo regē,
 in Niniuitis, & in compluribus prophetarum senten-
 tijs luctum pœnitentium, cinerem, cilicium, saccum,
 & alia id genus, quando ex fide, atque contrito cor-
 de usurpata fuerint, non autem ex hypocrisi Deo pro-
 bari, & grata esse. Ad hæc nōne testatissimum est
 Christum ipsum frugalem, abstinentemque fuisse? at-
 que in omnibus rebus uiuissē, quā moderatissimē?
 Ieiunauit sanē, ac in solitudines, & in montes ad pre-
 ces frequenter secessit. Necnon de Apostolis identi-
 dem legimus in Actis, ubi scribuntur, unā in ieiunijs,
 & precibus perseuerasse. Proinde quum hæc testi-
 monio diuinarum literarum, & bona pronuntientur,
 & Deo grata, si spernantur, quum præstari possint,
 charitatis ac dilectionis lex, qua omnia agere præcipi-
 mur, quæ Deo placent, procul dubio uiolatur. Ceterum
 in his, quod præterire non oportuit, caueatur quā-
 maxime, ut absque hypocrisi, sicut diximus fiant.
 Videaturque ne ipsis nimium tribuamus. Dixit enim
 Apostolus ad Timotheum corporis exercitationem mo-
 dicam habere utilitatem: pietatem uerò ualere ad om-
 nia. In his etiam seruandus est modus, ne incidamus
 in ea quæ idem Apostolus ad Colossenses reprehendit,
 quando inquit, quæ uerbotenens quidem habent spe-
 ciem sapientiæ, per superstitionem, ac humilitatem ad-
 mini, & lesionem corporis, non per honorē aliquem ad-
 exple-

De filijs
 propheta-
 rū qui du-
 riter uiue-
 bant.

expletionem carnis, arripiantur interdum hæc, ut exercitia fidei, & poenitentiae indicia & testimonia: quam fidem atque poenitentiam in sacris literis præcepta esse, qui pietatem sapiat, nemo ambiget. Et licet in Veteri Lege mentio fiat Voti Nazæeorum, & in usu apud ueteres fuerit, quod uitæ genus nonnihil accedebat ad eorum mores, qui prophetarum filij dicebantur, at tamen illos prophetarum discipulos sua illa instituta uouisse minime constat. Quod etiam si demonstrasses, nihil aduersus meam sententiam profecisses: quum in presentia tantum de Nouo Testamento agatur, & disputemus, an post aduentum Christi uouere liceat.

Postremo loco de Rechabitis ea De Rechabitis. comminisceris, quæ pro te facere falso existimas: nempe quòd uinum non biberint, ciuitates non incoluerint, aut domos: uerum tentoria, & quidem uaga habitauerint, quæ tamen eis nulla Dei lege mandata erant, sed tantum à Ionadab eorum patre imperata. Vnde confictum putas, quum testimonio prophete hæc probata fuerint, multa dici posse, Deo placere, quæ in scripturis non commendantur. At uerum tibi ne taceam, satis mirari nequeo, studio impietatis, atque mendacij tuam mentem adeo fuisse hebetatam, ut non uiderit ea, quæ scriptura clamat, quàm apertissime: parentes obseruandos esse, illisque obediendum, si uelimus esse longæui super terrâ: neq; cõsideraueris Paulum ad Ephesios affirmare, hoc esse primum præceptum, quod habeat retributionem. Proinde cum parentibus oporteat obsequi, dùm nihil aduersus dei legem præceperint, quod nemo inficari potest, siquidẽ legitur in Decalogo, iam manifestissime apparet, quare Deo placuerint, quæ Rechabitis

fecerunt. Et nescit, quid loquatur, quisquis dicit eorum opera ex scripturis non habuisse testimonium: quandoquidem nil aliud fuerunt, quam obedientia erga patrem, quæ quum in Nouo, tum in Veteri testamento mirifice commendatur. Augustinus quoque super psalmo septuagesimo, te luculenter docuisset, si eum consulisset, quidnam in filiis Ionadab Deo placuerit. Iam itaque uti spero, ex omnibus, quæ mihi obiecisti, patefactum est, nihil te adduxisse, quod ad sententiam confirmandam, quam tueris, quicquam ualeat. Nam omnia quæ commemorasti, uel in sacris literis habent discretum mandatum, atque commendationem: uel inde conficitur ea probari, & placere Deo. Apparet etiam manifestò, quæcunque dixisti ad Votum probandum nihil attinere, ubi status nostræ controuersie præcipue uersatur, à quo maximè cuperem, ne in disputando quem admodum facis, atque id more sophistarum tam facile discederes.

O B I E C T V M. II.

F. 4.

Nihil inquit, nobis Christianis licet uouere, quia nihil est nobis, quod non debeamus ante omnis Voti editionem præstare. Verùm enim uerò de his quæ iam sunt Dei, non licet Votum nuncupare: non est itaque licitum ullum edere Deo Votum. Hæc ratio tam est stupida, & imperitè collecta, ut uix mihi digna sit uisa uel sola recitatione, tantum abest, ut refutari mereatur quoquam. Nam duplici nomine errat iste Petrus: dum sic argutatur: primùm astruens, non licere Deo illud uouere, quod illius est, quodque illi debetur ante omnis Voti nuncupationem. Deinde quum asserit, nihil nobis esse penitus, quod Deo non debeamus, etiam citra Votum. Vtrumque istorum apertè aduersatur sacrarum literarum locis compluribus, ac Vota priuscorum

scorum omnia, quæ Deo erant impensè grata, & plausibilia impugnat. Nam quod scripturæ aduersetur, proclive erit ostendere. Iacob enim ut Genesios historia prodit, uouit Deo, tum quod illi ante Votum per soluere renubatur, tum quæ non debebat illi citra Votum. Hæc enim habet historia: Votum etiam uouit dicens, si fuerit Deus mecum, & custodierit me in uia per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad uescendum, & uestimentum ad induendum, reuersusque fuero in domum patris mei prosperè, erit mihi dominus in Deum. Nonne hoc debebat Deo sine Voto? Et quæ nunc sequuntur, minimè: Et lapis iste, quem erexi in titulum, uocabitur domus Dei, cunctorumque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi. Videsne Iacob uouisse, quod debeat reddere Deo citra omne Votum? nempe ut dominus esset sibi in Deum, & pro Deo uero & unico coleret illum: ac quæ præstare uoto non astringebatur, nimirum domus Dei extructionem, & omnium quæ Deus illi elargiturus esset decimarum persolutionem. Nec est quidd dicas, perperam eum fecisse, dum hæc uouerit, uotumque istud Deo displicuisse, quando Deus illi ex Mesopotamia reduci apparens, uel interposito iureiurando pollicitus est, ex eo nasciturum, qui esset uniuerso Israeli assertor & seruator. Colliquefcit itaque ex his, quàm crasse hallucinatus sit Petrus Martyr, quando hunc tam futilem, & neruorum exortem contra uota syllogismum contexuerit. Deinde quis non omnino cæcus, uelit unquam astruere, nihil esse prorsus, quod Deo citra Votum, reddere non debeamus. Obstringimur ne sine Voto nos castrare propter regnum Dei? Omnes facultates nostras in medium conferre? quæ consulit tantùm Christus, ac uirginitatem per omnem uitam colere? quod ut fiat, hortatur Paulus, amiciri uestibus ex pilis camelorum contextis? nec uesci carnibus, nec uinum aut ficeram bibere, quæ fecit Ioannes Baptista. Et mox. Diuus Iacobus Hierosolymorum Episcopus ex utero matris sanctus, uinum & ficeram non bibit, carnem nullam comedit, nunquam attonsus est, nec unctus unguento, nec usus balneo, fixis genibus in tantum

tum pro populo deprecabatur, ut camelorum duritiem eis genua traxisse crederentur: quemadmodum Hegesippus historiographus temporibus Apostolorum uicinus, ac Diuus Hieronymus testantur. Astrictus ne erat uir hic pientissimus omnia hæc Deo reddere sine Voto, ut ea ille uouere Deo non licuisset? Effrontem esse oportet, imò cæcum potius, qui hæc dicat. Et mox. Iam quod de primogenitis attulerit iste, non potuisse ea Deo uoueri à quoquam tempore legis Mosaicæ, recipio, & causam agnosco, quod nemo Deo possit uouere, nisi sua: & proinde cum primogenita iuxta diuinam legem non fuerint hominis, sed Dei, non licuit illa uouere Deo. Hæc inquam, recipio, sed quid ista contra Vota? Non licet mihi uouere quæ Dei sunt, fateor: At calebs adhuc sum: integrum est mihi, ac liberum nuptias inire, aut omnem uitam meam calibem traducere hoc est, ius meum. Annon igitur id Deo uouere liceat mihi? Sunt mihi prædia, sunt agri, ac facultates multe, nunquid licebit mihi hæc omnia uendere, & largiri egenis, ac Deo notum nuncupare paupertatis? Quod fecisse Apostolos, supra ex Diuo Augustino est ostensum. Cur itaque te non puduit, istis inceptis onerare auditorium tuum, ac præcipuè eos quorum eruditio possit cum tua non iniquo certare Marte? Indifferentia, inquis, quæ Græcis dicuntur *ἀδιαφορία* quoties certò scis, illustratura Dei nomen, obstringeris illo Dei præcepto, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & tota anima, & omnibus uiribus, & illico facere sine omni Voto. Falleris Petre, ac exorbicas. Isto etenim præcepto tenemur sic diligere Deum ex toto corde, &c. ut omni conatu illius impleamus mandata. Sed quid hoc ad consilia? Visne omnia penitus operari, ut uita instituta esse nobis præcepta? Arbitror te non adeo cæcutire & hallucinari, &c. Et alibi. Quoties uerò inter prælegendum inculcauit, istud futile & elumbe argumentum? Debes omnia Deo, ergo nihil est, quod illi uoto dedices. Irrefutabilem reputat hunc esse syllogismum, quum sit planè ineptus, & stupidus. Quis enim unquam dixerit, nos debere sic Deo omnia, ut ex libatum, uirginitatem, continentiam, paupertatem E-

E. 5.

E. 7.

uan-

uangelicam, collationem in commune omnium facultatum nostrarum, & id genus alia multa, necessariò debeamus ei, cum ea Christus & Paulus consulant, & c.

DEFENSIO.

Afferui equidem, nec muto, sed ratum habeo, Vota Christianos minimè decere: quia quum iam certò intelligant, & se, & sua omnia pertinere ad Deum, debent absque Voto, & liberè, non modò seipsos, uerum etiam omnia quæ habent in sua potestate, in honorem & gloriam eius impendere. Vnde si quis uouerit, actum agit, quum id offerat Deo, quod iam illi debitum est, & obligatum. Rationem hanc ex lege primogenitorum confirmauimus, qua nemini licuit in Veteri Testamento illa uouere. Nec non à similitudine filij, qui tabulis, & publico scripto sua officia uelit parenti obstringere, quum sit in eius potestate. Hic tu, uir acutissime, cæcutire me clamas, & circa duo hallucinari. Primum quòd arbitrer, non esse liberum nobis, uouere ea, quæ Deo iam debentur: deinde quòd asseram, quæcunque nostra sunt, Deo deberi. Ad disque hac mea ratione Vota Patrum, qui uixerunt ante Christum damnari: quod ut in me non quadret, facile poteras intelligere, si quæ docui, animaduertisses. Ceterum hoc uitio tu perpetuò laboras, ut his quæ scribis, & his quæ audis, serè nunquam adsis. Nonne disertis uerbis tunc dicebam, quum de his ageretur, cæremonia, ritùque uouendi antiquitus pares fuisse uos, ut pædagogia quadam erudirentur, debito perpetuo & nos, & omnia nostra deberi Deo, quo non modò iussu legis, uerum etiam consuetudine uouèdi se ac omnia sua Deo addicta nò ignorarent. Vnde quamuis nunc Vota non sint nuncupanda, inde tamen nunimè colligitur, antiquitus ea non licuisse: præsertim cum Euangelij tempore

De Votis
antiquorū
Patrum

materia illorum Votorum sit sublata, quoad maximam partem. Quid enim ueteres pollicebatur, nisi uictimæ oblationes, donaria, uel Nazareorum instituta. Quæ omnia, quum Christi oblationem adumbrarent, quam Deo patri representauit pro nostra salute, profusus iam euanuerunt. Ideo non rectè facis, quando antiquorum Vota confers cum tuis, nimirum cælibatus, paupertatis, obedientiæ, atque cum similibus, quæ docere nequeas ex scripturis res esse, quas uouere licet. siquidem neque Christus, neque Apostoli talium Votorum mentionem usquam fecerunt. Proinde insigniter mentiris, quando me fingis Vota Patrum ueterum oppugnare. Nam illos umbris, cæremonijs, & pædagogijs Deus uoluit exercere, quibus nos iam luce Euangelij coruscante liberauit. Sed tu ac tui similes, ut qui erga ueritatem indociles, & tardi quàm maximè sitis hæc nunquam uidistis. Desine itaque tandem in nostra disputatione mihi ea obijcere, quæ in ueteri testamento quo ad hanc cæremoniam fiebant, quum intelligere possis, nisi sis plumbeus, ea contra me non quicquam facere. Quum uerò inficiaris ea non esse uouenda, quæ Deo alioquin debentur, aduersus te ipsum strenuè pugnas: ut non multò inferius loco suo monstrabo: nempe quando cuidam interrogationi meæ respondes, gregem tuum Papistarum idcirco dilectionem inimicorum non uouere, quod ad illam Dei lege sint obstricti. Quæ responsio planè, si uera sunt, quæ mihi nunc obijcis, mendacissima esset. Dicis enim modò licere nobis Deo uouere, quæ illi præstare, alioquin astringimur: & rursus, si quæ respondes ibi constent, quæ modò contendis retractanda sunt, & mutanda,

cum

cum seipsa uicissim tollant. Certè mira est ratio, quæ spiritus uertiginis mentem tuam, & cæterorum infidelium exagitat. Sed audiamus, cur liceat uouere, ut iste putat, quæ Deo præstanda sunt necessariò. Quoniam, inquit, Iacobus in libro Geneseos duo rerum genera uouit: id est Deum sibi fore in Deum, ad quod lege astringebatur: deinde se daturum decimas bonorum, quæ Dei benignitate illi obuenerant. Quæ oblatio libera, neque necessaria illi uidetur fuisse. Quare colligit dicendo: Iam uides Deo nuncupari Votum de eo, quod omnino præstandum fuit. At ego de te id scire uelim, unde hoc exemplum habeas, ex Nouo scilicet, an ex Veteri Testamento? Respondebis, ex Veteri. Cur non etiam pari eademque ratione dicas mihi, quia licuit antiquitus uouere sacrificia, & uictimas, nos hodie uoque igitur uoueamus hodie boues, & oues mactandas coram Domino? Nonne uides, ut sæpius dictum est, quàm sit alienum à tua causa, quæ fiebant in Veteri Testamento adducere, cum hominibus eius temporis ego nunquam negauerim, licuisse Vota nuncupare. Neque magni refert, an dixeris eos uouisse, uel obstricta Deo, uel libera, quum & illos in uniuersum affirmem, quemadmodum & nos, nihil habuisse in animo, in corpore, aut in externis bonis, quod honori, atque glorie Dei non esset obligatum. Sed illis uouere idcirco ista licuit, quo eo ritu docerentur, & assuescerent, ultro, sponte, atque alacri animo ea offerre Deo, quæ honori nominis eius alioquin debebatur. Atque hoc satis superque ad tuam rationem diluendam esse potuit: quamuis & alia non desint, quæ tibi respondere queam. Quippe licuisset mihi dicere, Iacobum non uouisse absolute ac simpliciter, Deum sibi fore in Deum.

De Voto Patriarchæ Iacobi.

Nam fuisset impium hoc Voti genus. Effet enim perinde ac si dixisset, Deum non habebō pro Deo, nisi hæc aut illa mihi præstiterit. Quæ sententia reuera fuisset blasphemia, tantum abest, ut pro diuino cultu haberi debuerit: quod Rabbinos Hebræorum non fugit: qui ad hoc citandum scribunt: se, dum in aliena terra degunt, nō posse quodammodo habere Deum loco Dei, quod illic ipsis non liceat sacrificare, & subinde instaurare alias ceremonias, quibus plenè testari possunt, Deum esse suum Deum. Volunt igitur, Iacobum rectè atque ordine fecisse, cum diceret: Si reduxerit me Deus, erit mihi in Deum, hoc est illum colam, illi q̄ sacrificabo: ita ut hoc loco, Deum habere in Deum, significet illum externo ritu, certisq̄ sacrificiorum generibus colere. Et Aben Esra scribit ista intelligenda esse, quoad nomen sanctum tetragrammaton: quasi Iacobus non uouerit absolutè Deum se habiturum pro Deo, sed illum culturum iuxta significationem sancti nominis יְהוָה. Vnde in ea historia paulò superius dicitur, & יְהוָה stabat super eam, nimirum scalā. Vouit itaque sanctus uir, se culturum in eo loco Deum eo nomine, eaque causa, & ratione, quod in uertice scale sibi apparuerit, ac inde sibi tam magnifica promiserit. Quin & uerba Hebræa, si quis ea diligentius inspexerit, hūc possunt habere sensum, ut ista particula sumatur pro conditione, quam Iacobus petierit, & expectauerit. ac si dixisset: Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in uia ista, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad comedendum, & uestimentum ad induendum, & reuersus fuero in pace ad domū patris mei, fueritq̄ mihi Deus in Deo & lapis iste, quem posui in statuam, erit domus Dei, & omne quod dederis mihi, eius tibi decimādo dabo decimam. Vouit itaque iuxta hunc sensum, locum, ubi erexer at, lapidem,

pidem, fore domum Dei, & se daturum decimas, modo illi Deus fuerit pro Deo, hoc est, ipsum iuuerit, quemadmodum conuenit Deo, ea largiendo, quæ prius commemorauerat, ut in uia secum esset, daret panem, uestes, & pacificum reditum. Hæc omnia commodè appositeq; iuxta hebraicam ueritatem ad istum locum dici possunt, quò tua plumbea sophismata refellantur. Quanquam te mirari satis non possum, hominem, qui licet in scripturis diuinis, aut parum, aut nihil intelligas, in scholasticis tamen uideri uelis exercitatus, quomodo uel saltem ab A-quinatè seu alijs, qui scribunt in 4. sententiarum, distin. 3 s. non didiceris, Votum de necessarijs ad salutem nunciatum, in completè, ut illi loquuntur, Voti rationem habere. Nec desunt ex illis, qui huius loci Genes. 2 s. quæ tu tractas, mentionem disertis uerbis fecerint, docuerintque necessitatem excludere Votum propriè acceptum: quòd id non sit, nisi de his, quæ supererogationis ab eis appellantur, ad quod non omnes astringuntur. Vnde quod Iacobus uouisse legitur in Genesi, Deum sibi fore in Deum intelligendum asserunt de Voto, ut dicunt, extensè accepto, uel de aliquo speciali modo colendi, honorandique Deum per decimas, & certa sacrificia. Hæc illi tradunt. Quomodo uerò tu ea uel non uideris, uel dissimularis te uidisse, cogites quæso, ut apud homines tuæ farinae queas excusare, à quibus haberi uis & acutissimus, & totus lynceus, cum planè nihil scias, nisi mendacia, & puerilia sophismata. Et modò tibi aliquid occurrat, quod in me, quocunque modo credas posse dici, nil pensi habes, quàm id uel absurdum sit, uel ridiculum, uel insulsum. Negas deinde, nil esse in nobis, quod Op. max. Deo non sit obstrictum: rogasq; num absque Voto adigamur ad castrandum nos ipsos ob regnum Dei: ad conferendum omnes facul-

An omnia
nostra deo
sint obstric-
ta.

tates in medium, ad uestes induendas ex pilis camelorum
 contextas: cogamurq; non uesci carnibus, neque uinum
 bibere, ut Ioannes Baptista fecit. Itemq; an D. Iacobus Ep
 piscopus Hierosolymorum omnia, quæ præstitit, Deo ab
 que Voto reddere debuerit. Ad hæc ferè omnia iam supe
 rius est responsum. Et in summa demonstrauit, ad ea faci
 enda fideles astringi, quando uis spiritus sancti constant
 persuasi fuerint, ea conducere ad honorem Dei, & sibi
 concessas uires animaduenterint, quibus præstari queant.
 Qui enim intellexerit, hisce rebus Deum oblectari, & ho
 norari, & eas perficere ualuerit, si renuat amplecti, certè
 se declarabit, Deum toto corde, tota anima, & omnibus
 uiribus non amare: ad quod mandatum lege Diuina, ut
 scriptura testatur, uniuersi homines obligantur. Quod si
 mihi præ odio, & inuidia, qua perturbaris, parum adhi
 bes fidem, Paulum certè audias, qui ad Philippenses qua
 to, illud mandatum Dei amplissimum, hæc explicat delecta
 ratione: Quod reliquum est, fratres, quæcunque sunt ue
 ra, quæcunq; honesta, quæcunque pura, quæcunque ac
 commodata, quæcunque boni nominis, si qua uirtus, si qua
 laus, hæc cogitate, quæ & didicistis, & accepistis, & au
 distis, & uidistis in me, hæc facite, & Deus pacis erit uo
 biscum. Quid hæc Apostoli uerba liberum nobis relin
 quunt, cum omnia facienda esse iubeant, quæ pura, quæ
 iusta, quæ sancta, quæ accommodata, quæ boni nominis,
 atq; id si qua sit aut uirtutis, aut laudis cura. Porro cum
 nostra sit infirmitas, si hæc neglexerimus, Deum toto cor
 de non amamus. Nullum sanè opus hominis dare poteris,
 quod, cum faciendum suscipitur, non debeat ad honore
 Dei, quantum fieri potest, dirigi: quem ut ualuerit, qui
 cunque non procurat, cum à lege Dei, tum à Pauli addu
 cta explanatione quàm longissimè discedit: idq; cum per
 petuo

petuò committamus, ideò quotidie orare cogimur, ut debita nostra remittantur. De Iacobo autem fratre Domini facile suspicari licet, non totodisse eum comam, neq; unum bibisse, quòd fortasse uotum Nazareorum obseruaret: quod eo tempore fieri potuit, quando omnes legis ceremonie nondum penitus erant abrogatæ. Multi enim adhuc circumcidebantur: quim & Paulus Vota legalia se dixit habere dissoluenda, Atque isti Iacobo, qui Hierosolymorum post Christum primus fuit Episcopus, incumbere ut sese Iudeis omnibus modis approbaret, & suscipiendum, gratumq; redderet, quo maiori efficacia, & auctoritate, Christum illis, & eius Euangelium persuaderet. Quante autem admirationi Votum Nazareorum fuerit apud Hebræos, utq; conuenerit sacræ functioni, non est presentis loci demonstrare. Adducor etiam, ut de Iacobo istud facilius credam, quòd animaduertam, illum in Actis Apostolicis, Paulo fuisse authorem, ut Votum cum alijs susciperet, quo indicauit, unicam hanc uiam se idoneam putasse, ad fidem, & gratiam captandam apud Iudeos. Argumentum autem ducere ab his, quæ fiebãt eo tempore in Ecclesia quoad Iudaicos ritus, iã ipse, quãuis omnino ad hæc stupeas, uidere potes, q̄ sit ridiculũ, & insulsũ. Etenim sic euinceretur, nũc quoq; homines esse circumcidendos, Mosaiica festa celebrãda, & omnia Legis onera deniq; subeũda. Ad meã rationẽ de primogenitis, respõdes, te fate ri nõ licuisse, illa uouere, q̄ nõ de alieno, uerũ de suo uota nũcupare oporteat. Nõ licet mihi uouere, quæ Dei sũt, inq; fateor: at cælebs adhuc sũ, integrũ est mihi ac liberum nuptias inire, aut omnẽ uitã cælibẽ traducere: hoc est ius meũ: sunt mihi prædia, & gri, facultates: nõne licet uẽdere, largiri egenis, & uotũ deo nuncupare paupertatis? quòd Apost. fecisse, demonstraui ex Augustino. Sic te arbitraris

Iacobus frater domini cur tam austerè uixerit

re expediuisse. Verum ut fateris, primogenita Dei fuisse
 cur identidē te, ac omnia tua, Dei esse nō fateris? An igitur
 ras Christianos omnes ad primogeniturā, ad benedictio-
 nē, atq; hereditatē cū Iacobo, Esau reiecto esse translata
 Si sumus Dei cur nos uouemus? Israelitarū etas, cū puer-
 lis adhuc & rudis esset, ut se Dei esse discerēt, & se totū
 illi deberi, ideo se necessariō reddēdos esse, uouebāt. Nō
 iā hoc manifesto scimus: trāsīuit ūbra, res manet. Quā-
 etiā absq; Voto nos, & nostra, liberrimē, atq; alacriter pro
 petuō reddamus Deo neq; nos quicquā habere arbitre-
 mur, quod illi nō sit obstructū. Iactas, nescio quod, ius tuū.
 At Paulus clamat, nos pretio magno ēptos: & subiicit, nō
 estis uestri. Quōd si nostri nō sumus, ut Apostolus ait, nō
 sis tardus, & indocilis, id agnosce: & quēadmodū dicis te
 fateri, primogenita ex Voto non potuisse offerri Deo
 quōd eius fuerint, concedas etiam tibi non licere, ut Deo
 te consecres Voto: uel neges te Dei esse. Desine, quāse,
 tua iura superbē iactare, ac intellige, ut ad Corinthios ha-
 betur, nos in uniuersum omnes obstringi, ut siue edamus,
 siue bibamus, siue aliud quippiam faciamus, omnia ad
 gloriam Dei faciamus. Videas etiam, oro, quæ tua sit cō-
 stātia: docebas paulō antea posse homines etiā Deo uoue-
 re, quæ illi necessariō debentur: & exemplum Iacobi ad-
 ducebas: uerū hic tui oblitus, fateris te agnoscere, non
 licuisse offerri ex Voto primogenita, quōd Dei essent, &
 illi deberentur. Oportuit certē grauem uirum, eadem, nō
 pugnantia docere. Vide ergo, ne, si pergas, talia commi-
 tere, non disputator habearis, sed procax, & impudens
 uilitigator. Quin potius fateris cuiusque celibatum &
 cuiusque matrimonium deberi Deo, & quēq; obstri-
 ctum esse, ad alterutrum eorum eligendum (modō suppe-
 tant diuinitus uires) prout uiderit magis Dei gloriam
 illustrari

Omnes
 christiani
 & primoge-
 niti sunt &
 Dei sunt.

Matrimo-
 nium & ce-
 libatus an
 sint præce-
 pta.

Illustrari. Liber dicitur *caelibatus* cōmuni lege, quia neutrum præcipitur: cum neutrum omnibus hominibus, omnibusq; tēporibus conuenire possit. Cæterum singulis quibusq; hominibus, quando ad electionem horum generum uitæ acceditur, alterum eorum præcipitur, nimirum quod gloriam Dei magis promoueat: habito nihilominus respectu ad imbecillitatem carnis, & pericula, si qua immineant. Dicis præterea me falli, qui præceptum diligendi Deum toto corde, tota anima, & omnibus uiribus, tam latè accipiam: & arbitraris mandatum illud sic esse intelligendum, ut dicamus Deum toto corde, tota anima, & omnibus uiribus tum diligere, quando omniconatu mandata eius implemus. At mihi tam perspicuum uidetur Dei hoc edictum, ut ista tua interpretatione haudquaquam egeat: quam etiam si admisero, nihil tibi prodesse intelligo. Non enim te adeò peruicacem arbitror, ut insciari audeas, huius mandati uerbis, hominibus præcipi, ut Deum diligant. Iam de hoc inter nos conueniat. Nunc ex tua definitione, illud assumo, quod ais, hîc iuberi ut omni conatu Dei mandata impleamus. Quomodo autem id præstabunt, si ea reiiciant, quæ magis intelligunt Dei honorem illustratura, præsertim si possint, modò uelint, ea facere? Si te ratio ista, quæ alioqui firmissima est, & uerbis tuis innititur, non permouet, saltem ex definitione amici mouearis, quæ ab Aristotele in primo Rhetoricorum traditur, hoc modo: Amicus est, is qui omnia ea, quæ arbitratur bona esse illi, quem diligit, ea facit propter ipsum. Audis, quid sit diligere quempiam, & amicū illi esse? An dubitas, ea lege, de qua nunc agimus, mandari, ut simus amici Dei? Si hoc fateris, uti debes, necessariò quoq; dabis, astringi quem libet ad omnia ea faciendaque Dei gloriæ uiderit expedire: atq; id nō alia de causa,

Quam late pateat præceptū diligendi deum toto corde

Definitio amici.

Aristoteles

nisi propter ipsum Deum. Satis iam uidere potes, causam
 tuam nihil esse releuatam, dum commentitia expositione,
 uel potius deprauatione, uerbi Dei iucundissimum uirum
 conatus es diluere. Quid hoc, inquis, ad consilia? Vnde
 omnia penitus opera, & uitae instituta esse praecepta? Con-
 silia equidem, cum ad opus obeundum uenitur, nulla ui-
 deo, quae libera nobis relinquuntur. Nam quisq; ut dixi-
 mus, ad id eligendum astringitur, quò magis uiderit am-
 plicari, & ornari Dei gloriam. Verùm si loquamur de
 omnibus hominibus in uniuersum, aliqua concedam inue-
 niri consilia, ut cælibatum, & matrimoniũ. Quia non o-
 mnibus præcipiuntur, neq; omnibus conueniunt. Non ta-
 men ad hunc sensum, dabo esse consilia, ut à singulis ho-
 minibus, quibus conueniunt, aut quibus repugnant, liceat
 ea temerè ut uoluerint, uel reijcere, uel amplecti. Quia
 posthæc rursus blateras, de Voto paupertatis, quod affir-
 mas Apostolos nuncupasse, ut somnium confictum ab ho-
 minibus, non à sacris literis proditum funditus respuo.
 Quereris postremò quod sæpius auditorio meo hæc me-
 culcauerim. Id equidè me non ab re fecisse arbitror: quia
 tu, ac similes tui adeò infatuastis, ac dementastis me-
 seros auditores falsa & pestifera opinione, de operibus,
 quæ uocantur (more uestro) supererogationis, quibus
 Vota, quæ defenditis, innituntur, ut nunquam satis ad li-
 berandos animos ex his erroribus, à quoquam nostrum
 laboretur. Neque me arbitror parùm effecturum, si uel
 nunc mea ista lucubratione, stultitiam è corde tuo, quæ
 illi penitissimè insita est, nõ nihil ualuerò excutere: Quam
 certò sciam frustra me conari, nisi Deus efficacis
 potentiq; caduceo spiritus ac uerbi sui uirga te a stupore,
 seu ueterno, quo grauaris excitauerit.

**Cælibatus
 & matri-
 moniũ an
 sint præce-
 pta uel con-
 silia.**

Obiectum.

III O B I E C T V M.

Virginitas, inquit, aut continentia à concubitu cum uxore, est res per Euangelium libera: sed quisquis uouet eam Deo perpetuò duraturam, facit eam necessariã, ergo contra Christi authoris Euangelij institutum abutitur Euangelio. Quis potest hic se à risu, imò à lachrymis potius temperare? cum uideat illum à quo nõnulla spes fuit, Ecclesiam uindicatum iri ab erroribus irrepsis in religionem Christianam, & quem multi pro Deo aliquo suspiciunt, colunt, ac uenerantur, tam diluc dè suam prodere inscitiam crassissimam? Abutiturne is Euangelio Christi, aut eius Legè, qui quod liberum est, facit necessarium? Nõne liberum est, atque integrum cuiq; ante editum uotum, & initas nuptias, concubitu contrahere, uel secus, & tamen cum illud semel contraxerit necessarium est illi matrimonium, obstringiturque necessariò reddere debitam beneuolentiam uxori petiti? Quid ergo? Num hinè colligis non esse licitum inire matrimonium, aut in eum abutì? Euangelio aut Legè Christi contra eius institutionem? Sub hæc, liberum erat Ananix, & Saphyræ uxori eius agri dimediti pretium, uel ad pedes Apostolorum abijcere, uel apud se seruare &c. Et mox: Denique quem fugit, priscos illos patres, qui Mosen uixerunt temporibus, atque sub ipso Legè, ferè semper de rebus liberis fecisse necessarias, cum Deo Vota nuncuparent? quippe qui obstrinxerunt se per Votum, ad id præstandum Deo, ad quod alioqui præstandum nõ erant obligati. Ait enim illis Deus per Mosen Deuteronomio 23. Cum Votum uoueris Domino Deo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus: & si mortuus fueris, reputabitur tibi in peccatũ: si nolueris polliceri, absque peccato eris. Quod semel egressum est de labijs tuis obseruabis, & facies sicut promisti Domino Deo tuo, & propria uoluntate tua, & ore tuo loquutus es. Nõne uel locus hic uniuersam Petri Martyris Itali doctrinam aduersus Vota temerè effutitam conuellit, labefacit, & penitus explodit? Nam uota de liberis rebus facta, ad eò non esse illicita, Deo ingrata, & rumpeda ostendit, ut doceat illum seuerè exigere ea, suppliciumq; de nobis uouentibus eiusmodi sumpturum, nisi ea obseruauerimus, haud secus quàm eramus polliciti. Si non

liceret rem liberam uouere Deo, fuissent omnia necerã
 patrum illicita Vota, atque eregisset Deus ab illis illi-
 citis &c. Visne, inquit Petrus iste, tui principis legem
 tate? Quorsum ista Petre? Immutat ne ille Christi legem,
 qui iuxta illius consilium uouet uirginitatem, aut con-
 tinentiam Deo perpetuam? Nonne dicit Paulus se de
 uirginibus preceptum Domini non habere, sed consili-
 um dare? Vt ergo nolo principis mei iustam legem mu-
 tare, ita cum Vota Deo nuncupo. Legem nullam immu-
 to, sed consilia tantum impleo. Et mox. Quare cum per-
 gendo ait iste Petrus, noluit Christus calibatum tibi et
 se preceptum, suam prodit imperitiam, ac sese doctis or-
 mnibus propinat deridendum, imò descendum potius.
 Quis enim est eum non deploraturus, qui putet orcho-
 doros ideo tueri, Votum continetia esse pium, & semel
 nuncupatum Deo non esse dirimendum, quòd uelint. aut
 eximent, calibatũ esse à Christo præscriptũ, aut iussũ
 & non potius consultum? Etenim ab eo Matthæi 19. &
 à Paulo eius Apostolo primò Corinth. 7. consultur ca-
 libatus: sed Votorum persolutio iubetur, iuxta illud Da-
 uidicum, Vouete (id consilij est) & reddite (hoc præcepti
 Tantane laboras Petre cæcitate, aut malicia, ut dicas
 propterea catholicos asserere, calibatũ esse præceptũ
 à Christo, quod propugnent Votorum piorum saltem
 redditionem esse præceptam? Integrum ac planè liberũ
 esse dicunt, Vouere calibatũ: atqui emissum Votum
 reddere, non item, sed necessarium: sed felix est neces-
 sitas illa, quæ astringit nos Christo arctius inseruire, ac
 ad eum penitus colendum adigit.

D E F E N S I O.

*Virginitas & calibatus, ita Christiano libera manere
 debent, ut inde, cum opus fuerit, absq; ulla nota, infamia,
 uel suspitione peccati, quisq; ad matrimonium semper
 transire possit: ut si quando uerbum istud calibatus non
 capiat, sed, ut Apostol. dicit, aduratur, non sit ei præclu-
 sum matrimonij remedium, & ob inductam Voti neces-
 sitatem, flagitijs innumeris, adulterijs, & scortationibus
 ecclesiam polluat. Vnde qui uult religionem ab errorib.
 repurgare,*

repurgare, ut ipse spurcè, ac barbarè loquens in eam irrepfit, necesse est ut *Votis* hisce temerarijs, pro uiribus resistat. Quàm autem sis purior disputator, & elegantior dialecticus, quàm fueris grāmaticus, ex eo declaras, quòd d uinculum indissolubile, quod matrimonium contractum, excepta fornicationis causa, sequitur, uis conferre cum necessitate, quæ per uestras leges inducitur, ad uirginitatem, & celibatum, ex *Voto* perpetuo seruanda: Cum matrimonij nexus indissolubilis, citra scortationis causam, Deum Patrem, & Christum, atque Apostolum habeat, authorem: Necessitas uerò celibatus, aut uirginitatis ex *Voto* à uobis accersita, nec unum habeat ex sacris literis testimonium. Quòd matrimonium cōstare debeat, & esse firmum, spiritus sanctus manifestè demonstrat. Sed quòd uirginitas, & celibatus *Voto* fiant necessaria, merum est hominum commentum. Quia igitur audacia ista inter se conferre audes? Prætereà non sentis, ut à uero aberres, cum doces, unumquenque liberum esse, antequam nuptiis contrahat, aut uoueat: cum sæpè usu ueniat ut, qui coniugio non est adhuc astrictus, aduratur, labatur, & scortetur scèdissimè, neq; ualeat continere. Istum appellabis liberum? cum *Lege* astringatur ad incundum coniugium, quod postea ex instituto Dei citra scortationis causam non est dissoluendum. Ex quo apparet, Deum uirginitatem, & celibatum, per seipsa non tanti facere, ut uos fingitis. Alioqui, ut uult semper à uirginitate, atq; celibatu patere transitum ad matrimonium, ita uellet à matrimonio reditum patefieri ad celibatum. Sed quia pro inde intellexit, posse homines in matrimonio perfectissimè adipisci salutem, & multis de causis expedire, ut coniuges à se inuicem non diuidantur, honestissimam *Legem* tulit, de non soluendis matrimonijs. E diuerso autem

Scriptura
statuit ma-
troniū
in dissolu-
bile: sed ce-
libatū non
facit neces-
sarium.

Matrimoni-
um est quā
doque ne-
cellarium.

Cōingi nō
patet redi-
tus ad celi-
batum.

quod uideret sæpè fieri, ut qui cælibes, & uirgines degunt, matrimonio deniq; interdum egeant, ideò liberum semper esse uoluit aditum ad coniugium, ne qui sunt infirmiores excidant à salute. De Anania & Saphyra, iam affatim respondimus: & de priscis patribus audiuiſti, quomodo cæremonijs inſeruiertnt ſui temporis. Quare de illis quicquid adducas, quo ad rem noſtram, fuerit, ut dicitur, extra oleas. Potuerunt itaque illi ex rebus liberis, non quidem ut tu uiſ, ſed, ut ſuperius declaratum eſt, neceſſarias facere, cum id tunc temporis à Deo conceſſum fuerit. Denide non iſta uouebant, aut ſibi faciebant neceſſaria, quæ non poſſent ab ipſis abſque animi exitio ſeruari: quemadmodum accidit de ueſtro cælibatu: quem ubi, qui extra uires ipſum retinere conantur, aut per hypochriſin aſſimulant, in turpia, & nefandiſſima ſcælera inciidunt: cuius rei nolo extra teipſum quempiam alium teſtem adducere. Vouebant ſanè illi uictimas, oblationes, & inſtitutum Nazaræorum: qui licet à uino, & nonnullis alijs abſtinerent, non tamen ab uxoribus temperare ſibi cogebantur. Quæ omnia, cum ex Voto Deo promiſſa eſſent, iſ nequaquam accuſandus erat, quaſi exigeret illicita: niſi uelis eum pariter accuſare, quòd pleraſq; alias cæremonias à quibus nos Chriſtus liberauit, ſeueriter tum temporis exegerit. Quare nos idcirco dixi Chriſti, & Apoſtoli ſententiæ parum deferre, imò eam peruertere ac deprauare: ſiquidem uirginitatem, & cælibatum, quæ Dominus & Paulus libera eſſe uoluerunt, quò remedium laborantibus perpetuò eſſet in promptu, uos iure uoti neceſſaria facitis. Chriſtus dixit, qui poteſt capere, capiat. Vos dicitis, imò & ille, qui non poteſt capere, modo uouerit, capiat. Nonne hoc eſt placito & uoluntati Chriſti aduerſari? Paulus ait, præceptum Domini non habeo, ſed conſilium do.

Quibus

Quibus uerbis celibatum consulit, non autem Votum caelibatus. Vos autem caelibatus, & uirginitatis Vota praedicatis, ut res Deo gratissimas. Quibus Votis, quod liberum esse debuit, iam efficitur, uestra sententia, tam necessariam, ut nisi uirginitas, aut caelibatus promissa ex Voto seruetur, qui uouerit aeternum sit periturus. Qui sit, ut, quod Paulus dixit: Melius est nubere, quam uri: & qui non continent, nubant, quoad hos qui uouerunt, incassum prolatum fuerit: cum tamen Apostolus accuratissimus doctrinae salutaris administer neminem exceperit? Paulus ait, se non habere de uirginitate praecipuum. Hoc uos egregie fertis: hoc uos male habet. Ideoque hanc libertatem Christianam non patimini saluam in omni hominum genere: & rationem inuis, ut per Votum, quod ipsi finxistis, necessarium efficiatur, quod sacrarum literarum decreto liberum esse debuit. Paulus ait, se nolle cupiam laqueam iniicere: uos laqueos Votorum sine fine multiplicatis. Cur, quando aliquis uouere decreuit, ei non dicitis: Charissime in Christo frater, quod caelibatus, aut uirginitas tibi arrideat, huiusque commodissime uitae facultatem, donumque diuinitus habeas tibi plurimum gratulamur: caelebs igitur, aut uirgo pure, caste, sancteque degas cum animo, tum corpore: & quod expeditior es a coniugij molestijs, eo magis precibus, studio, atque doctrina, & probis operibus regnum caelorum promoueas: attamen a Voto abstine: cum hoc genus ceremoniae, aut oblationis, in Testamento Nouo, sub quo in praesentia Dei fauore agimus, uerbum Dei non habeat. Quin potius Christus, & Apostolus haec uoluntaria & libera esse ideo uoluerunt, ut semper ualeamus eam uita conditionem eligere, quae magis, tum ad illius honorem, tum ad nostram salutem conducere uiderimus. Hoc nos requirimus: hoc libertati Christianae consonat: hoc

Quibus uerbis
caelibatum
consulit, non
autem Votum
caelibatus.

Quid oportet
dici
cupienti uo
uere.

Quid oportet
dici
cupienti uo
uere.

Quid oportet
dici
cupienti uo
uere.

Quomodo
societates
& collegia
piorum re-
cte haberi
possent.

Collegia
scholastico
rūlaudatur

Pelagiani
iactant se
complevere
legem.

apostolicis, & Euangelicis literis est maximè acōmodatū.
Quid hinc obsecro te, aut saluti hominum, aut diuinæ glo-
rie deccderet? Nihil. Hoc si fieret, & societates piorum
haberi possent, & collegia rectè instituta, ubi homines
quandiu uellent, probè, ac sanctè erudirentur, & quoad
sacras literas, & quoad mores. Deinde si opus esset, absq;
ulla nota leuitatis, inconstantia, aut peccati ad matrimo-
nium transirent. Felix porrò fuit ecclesia, quando in hoc
instituto permansit: felices fuerunt ciuitates, & regiones
quæ talia contubernia olim habuerunt: unde perpetuò ua-
lebāt bene sanctèq; eruditis ciuib. abundare, illisq; pro ne-
cessitate, uel ad ecclesiā regēdā, uel ad rempub. administrā-
dam euocare. Vna porrò hæc est causa, quæ me uehemen-
ter impellit, ut scholasticorū collegia tantoperè diligā, cō-
plectar, & cupiā pro uiribus magistratib. & principib.
cōmendata, quoniam in eis degitur absq; uotorū laqueis,
bonæ artes, atq; utiles doctrinæ percipiūtur: ibiq; potest
pia respu. bonorū uirorū thesaurū semper habere ad ma-
num. Verū duo cum primis diligentissimè curāda sunt
magistratibus. Primum, ut illic sancta disciplina, quoad
mores, & integritatem uitæ floreat, maximòque studio
retineatur: deinde ut qui aluntur ibi, ueræ ac Euangeli-
cæ religioni toto pectore faueant, & obediant. Alioquin
& ecclesia inde grauissimos hostes experietur, & respu-
blica ministros perfidos, & crudeli animo, ac impotenti
erga publicum bonum affectos. Verū hæc obiter. Ad
quæ Smythæus, & similes eius, qui sunt strenui animorum
uencatorēs præ cautibus obsurduerunt. Dicit modò, se uo-
uendo implere consilia. Quis uerba Pelagij, & sensum Ce-
lestij non agnoscat? Legem nemo implet, dum uitam hanc
miseram uiuit: at istis non satis est iactare superbissi-
mè, quòd legem impleant, nisi etiam istud idem prædicent.

cent de consilijs, quæ tamen uolunt longè absolutioris esse perfectionis, quàm est Lex omnibus posita. Sed quàm est ridicula, & stolidà hæc illorum arrogantia? Ut enim longissimè absunt à complenda lege, ita produnt eorum adulteria, & nefariæ libidines, quemadmodum impleat celibatum, & uirginitatem, quæ pro perfectissimis consilijs habent. Et ne procul exëpla quæramus, certè Oxonijs uel tui symmista, quin ipsa quoq; subsellia loquuntur amplissimè, de integra & illabata Smyth. pudicitia. Impingit mihi præterea, quòd ascribam doctoribus orthodoxis opinionè, qua putent à Christo celibatū præscriptum, & iussum, cum tantū contendat necessariam esse uotorū per solutionem. Sed iste homo tanta uertigine laborat, ut iam illi tecta, & plantæ ambulent, quando me dixisse talia opinatur. Nunquã ego superstitiosos huius criminis insimulauit, quòd opus uouendi celibatum dicant absolute simpliciterq; necessarium ad salutem: tam etsi dum nolunt ministros in ecclesia ordinare, nisi uoto celibatus interposito uotū huiusmodi non sinunt omnino esse liberū. Vti enim ecclesia nō potest carere ministris, sic iuxta eorum tyrānidem, uotum celibatus erit prorsus necessariū: quādoquidem nō sinitur per eos quisq; attingere sacrū ministerium nisi prius celibatum uoueat. Quamuis ego, cum docerem hoc loco istud non attingi: ut qui tantum dixerim, per hos animorum crudelissimos uenatores, celibatū qui liber sepe esse debuit, tū Christi, tū Apostoli sententia, ob uotum iam multis factum esse necessarium. Quis præterea non miretur, quum audiat hunc Smyth. eum adducentem Dauidem, cum inquit: Vouete, & reddite, atq; audacia cōsuetà interpretantem, Vouete consiliū esse, Reddite uerò præceptum. Vnde tu acutissime uir, qui uel ipso aspectu oua diiudicare potes ex qua gallina sint nata, ex his

Aduersarij
uotum faciunt in ecclesia necessarium.

Verba Dauid
d's uouete
& reddite.

uerbis Dauidis hanc distinctionem colliges? Fingas, me
 tibi non credere, ut re uera fidem nunquam habeo: quo-
 modo confirmabis mihi, uouete esse consilium, & reddite,
 præceptum? iuxta tuum iudicium, cum Dauid ait: seruite
 domino in timore, equidem pariter dicam his uerbis dari
 consilium: nam priori loco ponitur: & hæc sententia dein-
 de additur: Exultate ei cum tremore, quod affirmabo esse
 præceptum, non alio sanè argumento, nisi quòd postero
 ri loco inducitur. Porro, quòd attinet ad formã inclinatio-
 nis uerbi, utrinq; modus est imperantis. Sed scopũ Psalmi,
 quaeso, attentius intueamur. Aliqua populo Dei contige-
 rat insignis uictoria, qua Dominus hostes Israel deiecit,
 rat, atque prostrauerat. Ideòque populus tanto percepto
 beneficio, ut auctori eius gratias ageret, præcepto strin-
 gebatur. Quæ gratiarum actio, licet in animo primùm
 reperiatur, attamen & uerbis, & prout illa tempo-
 ra exigebant, uictimis, atque oblationibus externis re-
 stificanda erat. Idcirco præcipit, ut uoucant, & red-
 dant. Cereemonia & ritus uouendi non erat in lege de-
 scriptus: sed ut illo tempore erat in usu, inseruiebat gra-
 tiarum actionibus, & precibus. Quum enim aliquid
 uehementer petebant, & precibus à Deo impetrare con-
 tendebant, aliquid uouendum fuit. Nec non percepto ali-
 quo singulari beneficio, quia sæpius erant procul à taber-
 naculo, ubi solium mactari uictimæ poterant, fuerunt uo-
 uendæ. Quamobrem Dauid ut Dei propheta, impulsus
 celesti spiritu, quum commemorat populo datam ali-
 quam salutem, iubet, ut uoucant: & præcipit, ut Vota nũ-
 cupata reddant, quo perfecta sit gratiarum actio. Cete-
 rum isti accidit, ut his qui sunt alicuius rei uehementer
 cupidi: hi enim sibi uidentur eam per omnes uias & an-
 gulos uidere, quum tamen semper fallantur: Ita Smy-
 thaus

theus, quia miro ardore flagrat confirmandi consilia,
 quæ cuique libera sint, & postea ex Voto fiant necessa-
 ria, testimonio diuinarum scripturarum, in omni ferme
 illarum parte, arbitratur se nactum ad suam causam fir-
 mum argumentum: licet in eis locis diuersa, & omnino
 alia pertractentur. Ideo non mirum est, si dum se credit le-
 pore cepisse, canem denique in reti deprehendat. Non
 itaque uerba Prophetæ consulentis, sed iubentis censenda
 sunt. Voluit enim Dauid, ut præclarum acceptum bene-
 ficiū Israelitæ Deo ascriberet, à quo prouenerat. Et quia
 si quem lex requirit, demonstraturi erant, gratū erga Do-
 minum animum, uotiuus litandū fuit uictimis, propterea
 sic eis ut faceret, quasi Dei nomine imperauit. Non potuit
 attamen adeo hic noster dissimulare, quin sentiret ex uoto
 aliquam constitui necessitatem. Idcirco exclamauit: O fe-
 lix necessitas, quæ astringit nos Christo arctius inseruire,
 ac ad eum penitius colendum adigit. Porro nō aliter pos-
 sent latrones, qui manicis, & compedibus iuncti uincti
 essent, exclamare, O felicia, & beata uincula: quando qui-
 dem illa disrumperent, quoties liberet, & solum à stultis,
 & pueris existimarentur uincti, quum re uera solutissime
 agerent, & expeditissime. Sic istos uideo, qui tam perui-
 caciter celibatus Vota laudant, & defendunt, quoties ui-
 sum fuerit, scortari, adulteria designare, uarijs libidinū,
 contaminari: & cum ne per somnium quidē, aut ludū pu-
 tarint unq̄ se teneri uoto celibatus, nisi eò usq; ut castum
 sanctumq; matrimonium nō ineant, facile postea cantillāt
 O felix necessitas, quam uidelicet, quoties arriserit, uario
 multipliciq; genere impuditiæ uincimus. At è diuerso fa-
 cile alios timidos, & superstitione uictos audias, qui rem
 serio agunt, & carnificina conscientie miserè affuctatur,
 seq̄ uidet in obseruādo huiusmodi Voto frustra luctari ac

110 PETRI MARTYRIS

sepe infeliciter cadere, longè diuersa exclamare, dicereq;
*O infelix necessitas, qua cum simus impuro corde, cõtanti
 nato animo, & corpore immundo, ab inuocatione Dei ca
 sta, religiosa, pura cogamur desistere. O calamitosa necessi
 tas, per quam potius necessarium est, ut uramur, quam
 pio puroq; in coniugio liceat uiuere. O miserrima necessi
 tas, qua illos etiam qui non continent, ecclesie crudelissi
 mi tyranni astringunt ad uiuendum absq; legitimis nup
 tijs. Istorum infelicitum uoces, quæ timorem Dei spirant,
 & quod uerum est, non dissimulant audiendæ fuissent in
 tue, ac tue farinae hominum, qui simulatis Curios exter
 na fronte, sed clam uiuitis Bacchanalia.*

III. O B I E C T V M.

E. 7. & 8.

Pergit Petrus iste, non tam ratiocinari, quàm inepti
 re contra uota inquiring: Qui uouent captant hinc perfe
 ctionem. At iniuriam facit Euangelio, quisquis molitur
 altius uergere, quàm illud instituit. Id quod, qui uota ni
 cupat, facit: non licet itaq; uouere. Hic quod assumptum
 quodq; probandum sibi esse, ut in quo argumenti nitens
 cardo uertitur, quamobrem reliquit in tactum? nisi quod
 facultas probandi illud ei non suppetierit: quippe quod
 ex diametro pugnet cum Euangelio Christi, tantum a
 best, ut cum eo pugnent Vota omnia. Dicat enim mihi
 iste, qui fieret, ut ille progredi uelle ultra Euangelium,
 rectè dicatur, qui ea Deo uoueat, quæ consulit Euange
 lium, nempe castitatem, paupertatem, uirginitatem,

G. 2. 3. 4.

Matthæi 19. & c. Et alibi. Iam quod inficiatur caliba
 tum pertinere ad Euangelicam perfectionem nec id pro
 bare conatur, uerisimile est, imò certum, nihil eum in
 promptu habuisse, quo illud prober. Vultne suos audire
 res Pythagoræ discipulos imitari, ut sat habeant, quod
 ait *ὁ θεός*, ipse dixit? Certè hi non adeo repunt humi,
 nec apud illos tanta sunt fidei ac ponderis istius Marty
 ris dictata, ut his citra omnem tum auctoritatem, tum
 rationem sinant se dimoueri ab ea religione, quam iam
 antea imbiberunt, quamq; multis retro seculis catho
 lica amplexa est ecclesia. Et mox. Ut animantes omnes
 quæ

DE VOTIS ET CAELIB. 113

quæ erant extra arcam Noe diluuiò perierunt, ita quis-
 quis est extra catholicam ecclesiam, ab ea per hæresim,
 aut schisma aliquod, diuisus, ac decisus: qualis est iste
 Petrus Martyr in æternum damnari, nisi eam tempestiuè
 introierit, est necesse. Et mox. Cur itaque cælibatus, aut
 spontanea desertio usus rei uxoriæ, non rectè diceretur
 perfectæ uirtutis esse, ac promouere hominem ad Euan-
 gelij perfectionem? Deinde quamobrem, dic mihi sodes
 Petre, non debeat ille uitæ status, ac institutum ad perfe-
 ctionem pertinere, cui redditurus est Deus peculiare a-
 liquod brauium, quod eximium sit, & aliorum longè ex-
 cellat præmia. &c. Et mox. Consilium inquit Paulus do-
 videlicet Petre maiorem gloriam in celo erogandam uir-
 ginibus, quàm coniugibus, aut uidiuis? Augustinus de
 sancta uirginitate, refutat illorum opinionem, Petre,
 quam tu propugnas, quibus persuasum est, statum uirgi-
 nis cõiubio anteferi debere, solùm propter uitæ huius
 molestias, nõ propter maius aliquod præmium cæleste.
 Ut breuis sim, ac reliquorum ueterum scriptorum mis-
 sas faciam de hac re sententias, nõne Christus inuit-
 tat homines ad cælibatum & uirginitatem, tanquam ad
 grande & eximium uitæ institutum, quum inquit, qui po-
 test capere capiat? Et mox. Redeo ad probandum cæ-
 libatum, ac uirginitatem, ad Euangelij perfectionem
 spectare, quod negat iste Petrus: quem rogatum percu-
 pio, num illud dicatur meritò pertinere ad Euangelij
 perfectionem, nec ne, cui Christus daturus est præmiũ
 haud uulgare, sed insigne, & quod aliorum piorum præ-
 mijis sit longè præstantius? perfrictæ frontis oportet
 cum esse, si id neget imò cum indoctum, tum impium.
 Quod uerò hoc genus præmij donabit Christus conti-
 nentem degentibus uitam, ipse ostendit, inquirens Apo-
 stolis, quorum omnium nomine Petrus dixerat: Ecce
 nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te: quid er-
 go erit nobis? Amen Amen inquit Christus, dico uo-
 bis, quòd uos qui sequuti estis me, &c. Et mox. Sub-
 hac, nõne Paulus dixit, unumquemq; recepturum mer-
 cedem secundum laborem suum? Quis nescit plus laboris
 infumere eos, qui expugnâtes omnem libidinem, &
 penitus ab officio coniugali abstinentes, cælibem degunt
 uitam? quàm qui indulgent uxoribus amplexibus? Cur
 itaque non redderet eis maius aliquod præmium, tan-

quam cultoribus arctioris, difficilioris, & perfectioris
 uitæ & instituti? Nonne istorum est perfectior uita, qui
 solliciti sunt, quæ sunt Domini, ut illi placeant, quam
 illorum qui solliciti sunt, quæ sunt mundi? quomodo
 placeant uxori? Illi enim auctore Augustino, ædificant
 super fundamentum aurum, argentum, & lapides pre-
 tiosos: isti lignum, fœnum, st. pulam. Corinth. tertio.
 Nonne ergo debuit te pudere, inficias ire, cælibatum, ac
 continentia statum prouehere hominem ad perfectio-
 nem maiorem, quam conjugatorum institutum? Hie-
 ronymus libro primo capite decimo quarto contra Iu-
 uinianum, colligit ex eo quod Petrus dicit: Ecce nos re-
 liquimus omnia & sequuti, &c. apostolos accitos ad E-
 uangelium etiam uxores, si quas habuerunt, reliquerunt,
 cum tu Caluinum imitatus, negas cælibatum, & Votum
 continentia fuisse eis notum. & c.

D E F E N S I O

*Si quis tibi manus, aut crura præcideret, neq; quicquam
 operari, neque quoquam incedere posses. Ita etiam nõ est
 mirum, si argumenta, & rationes meas dicas nihil effice-
 re, quum eas mutilas, & detruncatas uel audiendo per-
 peris, uel maliciosè ita retuleris. Non enim simpliciter, ut
 in mea patet assertione, affirmavi, non esse uotum cæli-
 batus, ut ipsi fingitis, perfectionem Euangelicam: sed ra-
 tiones adieci, quas tu in omnibus consutationibus, pro tua
 fide, neque attigisti, neque recitasti. Si cælibatus, inquam,
 ut uos uultis, perfectio est, & Deus ipsum non præcepit,
 uosq; illum per Votum facitis necessarium, melius uidebi-
 mini saluti uestre consuluisse, quam ipse Deus: ut qui nol-
 tis ullo modo illa perfectione carere, quam Deus uobis,
 non ut necessariam, sed ut liberam, quemadmodum existi-
 matis, proposuit, Hoc ego asserui pertinere ad iniuriam
 Dei: quum artifex quilibet absolutionis operum suorum,
 q̄ ipsa opera longè sit cupidior. Mea itaq; probatio in eo
 consistit: Deus nõ exigit à uobis cælibatum, in quo est (ut
 uos de-*

uos decernitis) maxima christianorum perfectio: At uos ad calibatum uos ipsos ex Voto astringitis, quod existimetis per illum uos fore, quam citra illum, meliores: Igitur de uestra perfectione plus estis solliciti, & melius constituitis, quam Deus. Nam ille uobis ostendit rem hanc ut liberam: at ipsi uobis facitis eam necessariam. Deus fert ut, si uelitis, ea careatis: uos non patimini ea desitui, eamq; nullo modo uultis amittere. Proinde uestrae perfectionis maiorem curam geritis, quam Deus ipse gerit. Quod ut sit absurdum, ne dixerim impium, ab omnibus intelligitur. Ad haec dicebam mirum esse, quoniam pacto Deus, quae meliora essent, & perfectiora, non iusserit, qui minus perfecta exigat. Certè, qui aliquam rem bene curant, id cum primis prouident, quod illam reddat perfectiorem: ideoq; ipsam maximè exequentur, mandant, praecipiant, & omnino requirunt. Si qua uerò minoris momenti sunt, ea non ita iniquo animo patiuntur abesse.

Vos autem facitis Deum, quae minus ad nostram perfectionem attinent, legis rigore imperasse: ac illa, quae nos perfectissimè reddunt Euangelicos, non exegisse, sed reliquisse libera. Iniuriam praeterea luculentam fieri dixi spiritui sancto, si constituamus hominis perfectionem, citra literas ab eo ecclesiae afflatas. Vnde cum in sacris literis Noui Testamenti, quibus nostro tempore Dei cultus est accommodandus, Voti huiusmodi mentionem non inueniatis, conficitur, perfectionem à uobis quaeri, citra diuini spiritus magisterium. Calibatum, aut uirginitatem poteritis in Nouo Testamento ostendere commendatam: Votum uerò de his nuncupatum, aut nuncupandum nusquam indicabitur. Annón id est, se spiritu sancto iactare sapientiolem? constituere Votum calibatus ad Christianam perfectionem maximè conducere, cum spiritus diui-

Probatur uotum calibatus ad iniuriam Dei facere

Iniuria fit spiritui, sancto cum calibatus uoto nuncupatur.

nus eius nusquam meminerit? Taceo præterea, quia id superius ostendi, quàm isti fallantur, dùm perfectionem affirmant ad præcepta Dei non pertinere. Nam quoties nobis in sacris literis dicitur, perfecti estote? Ac ne arbitreris uulgarem perfectionem requiri adiectum est, ut pater uester celestis. Et Paulus non semel iussit, ad quos scribebat, ut perfecti essent. In his præterea quæ docui, celibatum aut uirginitatem ideò confirmauimus mandatis, quæ in lege continentur, non esse perfectiorem, quòd si ad illa duo præcepta conferantur: Diliges Dominum Deum tuum, tota corde, tota anima, & omnibus uiribus, & non concupisces, longè inuenientur infra iacere. Poterit enim quispiam permultos inuenire, aut uirgines, aut cælibes: at qui Deum perfectè dilexerint, ut lex præcipit, quiq; non concupierint, nullos inueniet. Adieci tandem, celibatum matrimoniumque genera quædam esse uitæ: in quorum utroque summa Euangelij perfectio locum habere queat, quantum in uno sæpè facilius quàm in altero. Atque sic meum assumptum, quod tu clamitas, non probatum, probantis cumque tu rationes adductas non solueris, contra te adhuc fortiter dimicant, & æternum pugnabunt, quandoquidem ueritas perpetuò manet. Atq; patet ex his, quomodo rectè dixerim: ultra Euangelium progredi, qui cæli uocatur Deo, quæ Euangelium consuluerit, nempe celibatum & uirginitatem: quoniam sub necessaria uoti obligatione tentat ea recipere, quæ, ut libera Euangelium commendauit. Certè, ut sæpius dixi, nusquam Euangelicæ literæ uel præceperunt, uel adhortatæ sunt, ut ista uoto nuncupemus. Sed, iuxta insanam grammaticam huius hominis, idem significat uirginem, aut cælibem uiuere, atque ista uoto nuncupare. Propterea cum legit in Nouo Testamento aliquas adhortationes ad celibatum, & uirgini-

Mandata
dei sicut per-
fectiora cæ-
libatu &
uirginitate.

Qui sic uo-
uent ultra
Euangelium
progredi-
untur.

uirginitatem, statim existimat harum rerum Vota suade-
 ri. At bene potuit ex moribus suis, atque ex suo grege fa-
 cile intelligere, hæc inter sese non esse eadem. Quando-
 quidem illi uirginitatem, aut calibatam sanctè uouent,
 cum interea loci, neque uirginitatem uiuant, neque san-
 ctum calibatam præsent. Cum itaque tantùm distent à
 se inuicem, Smythæus non debet mirari, si scripturæ ad
 unum, eos qui possunt, et donum habent, hortantur, de al-
 tero uerò sciant. Miretur potius seipsum, qui hæc non
 distinguat, sed perpetuò, ut sophistæ consueuerunt, mi-
 sceat cælum terræ. Est autem nobis notum disputando
 nusquam magis peccari, quàm ubi diuersum ab eodem
 non separatur. Hanc itaque meæ doctrinæ partem, ut li-
 quet, probauit: quod circa me ut arrogansem iniuria car-
 pit, qui Pythagoræ instar uido meo sermone ab audito-
 ribus credi uelim. Id uitij genus non mihi, uerùm sibi, ac
 sui ordinis hominibus maxime omnium debet ascribi:
 qui, quod semel somniarunt, statim satis probatum cre-
 dunt: Quumque ex aliquo de Patribus, qui homines fue-
 runt, et ideo sæpe labi potuerunt, et lapsi sunt, dixerint,
 ille ita, et ita scripsit: et, quod minus ferendum est, si Pa-
 pe, uel alicuius Decreti nudum uerbum protulerint, sa-
 tis idoneam probationem suorum figmentorum allatam
 putant. Hoc est hominibus intitt, et uelle ratum esse il-
 lud Pythagoricorum, αὐτὸς ἐπα. Nos uerò quum
 sciamus Euangelicam doctrinam non esse ab homine, nun-
 quam arbitramur, rectè nos, aut ordine quippiam docuis-
 se, nisi usque ad uerbū Dei, rationes quas adducimus, re-
 soluerimus: atque ibi demum stamus, ibi pugnamus, ibi si-
 dimus nos nō errare: summaque diligentia curamus, non
 ut ad loca obscuriora scripturæ argumēta nostra, et ratio-
 nes resoluantur: sed ad perspicuam lucem, clarissimasque

Disputatio
 maxime
 peccatur,
 quum idē
 & diuersa
 non distin-
 guuntur.

sententias oraculorum Dei, auditores deducimus, quòd agnoscamur Dei nuntij, non autem humanarum traditionum ministri. Auditores meos Oxonienses prædicas, non usq; adeo humi repere, ut dictata mea temerè admittant. Qua de re aliud respondere nolo, nisi quòd ingentes gratias diu noctuq; Deo meo ago, qui effecerit, ut complures illorum indolis, ingenij, ac eruditionis non pœnitèdæ magno studio Euangelicam doctrinã amplectantur: cuius hinc me Deus pro sua misericordia ministrum constituit: eoque profecerunt & pietatis, & doctrine, ut illis acerbissime dolcat, unquam te apud se docuisse. Verùm de his equè non libenter loquor, siquidem ad causam minimè pertinent: & uideo te nò propter aliud hæc attrigisse, nisi quòd ambitione atque inuidia, qua miserrimè laboras, huc uel imprudens passus es te rapi. Nam cui Deus aliquis uehementer dolet, is imprudens, & uolens, lingua eum perperuò agitat. Deinde facito multos hinc esse, qui mihi non credant, an inde ueritas doctrinæ estimãda uidebitur? Nò arbitror: cùm Paulus dicat ad Romanos: Quid si quidam illorum non crediderunt? nunquid eorũ incredulitas Dei fidem irritã fecit? Absit. Siue igitur auditores crediderint siue non, modò, quòd à me docetur, uerbo Dei suffulcitur perspicuo & certo, nihilo magis, aut minus erit uerũ. Ideoq; scito à me talia non usq; adeo magnifiri: quæ si ta momentum maximum habere arbitraris, non est mirandum, cùm diutina consuetudine assueueris, nò alia de causa iudicare aliquam sententiam Patrum, aut Conciliorum ueram, nisi quia fides ei uulgò adhibetur, neq; ut oportuit eam reuocas ad examen scripturarum. Discce tandem, licet serò, pro ueritate, non ad hominum sensus, sed ad uerum splendor em, lucemq; certissimam uerborum Dei metis aciem conuertere, neq; id spectes, an homines assentiantur, ut

tur, an dissentiant: alioquin in tanta uarietate animorum
 eris incertus, ac nutabis. Vellem præterea libenter de te
 scire, quo iure, quâue ratione me tanquam schismaticum,
 & ab ecclesia præcisum tanta rabie proscindas. Nullas e-
 go scripturas diuinas repudio: sacramentorum perceptio-
 ne, ut Christus illa instituit, & frequenter, & libentissimè
 uitor: omnes admitto traditiones, quæ necessariò ex uerbo
 Dei conuincuntur: in adiaphoris præterea, quæ cum uer-
 bo Dei non pugnant, neque trahuntur in abusus facile cõ-
 sentio. Cur igitur ab ecclesia sum præcisus, aut schismaticus?
 Quia superstitionibus resisto? At ita fuit Christus, &
 eius apostoli ἀκούειν. Fortè me sic traducis, quòd
 à Papa defecerim. Verùm hoc non est ab ecclesia discede-
 re, sed ab Antichristo ad Christum transire, & à maligna
 tium catu, ad ueram Dei ecclesiam se adiungere. Verùm
 heus tu, si hoc est in crimen schismatis incurrere, pur-
 ga te ipsum. Tu enim, non minus quàm ego, à Papa
 descisti, quamuis in præsentia, ut perfidus transu-
 ga, in eius castris, & sub eius signis militare te fingas.
 At non sunt Romanensium ingenia, tam parum na-
 suta, quàm facile sunt olfactura leuissimam tuam incon-
 stantiam. Imò ea iam deprehensa est. Ut enim mi-
 hi significauit & grauis, & ingeniosus uir, ita præ-
 tua sapientia in Gallijs te geris, quasi sis uestertilio, qui
 nec à uolucris Euangelicis, neque à papistis quadru-
 pedibus recipiatis. Hic est Diaboli triumphus in ho-
 mines perfidos, aut ad perditionem illos uasra tentatione
 sollicitet: deinde, illa perfecta, proditores omnibus exosos
 & detestabiles relinquat. Sed ut ad institutum reuertar,
 queris ex me, cur abdicatio usus uxoris non dicatur es-
 se perfectæ uirtutis, ac promouere hominem ad Euan-
 gelij perfectionem? Huic tuæ admirabili percontationi,

Abdicatio
 matrimo-
 nij non est
 res perfe-
 ctæ uirtu-
 tis.

118 P E T R I M A R T Y R I S

ſic paucis reſpondeo. Quia ego ſpecto, quæ per ſe i-
pſa aliquid aſſequuntur, non quæ temerè, aut quem admo-
dum loquuntur, per accidens ei adiuncta fuerint. Vnde
quum hodie ad uirginitatem & calibatam non ſemper,
imò quàm rariſſimè conſequatur Euangelica perfectio, ſi
quidem tyrannide hominum iſta obtruduntur, non ſpiri-
tu Dei ſuadentur: ideo illa perfectiones Euangelicas eſſe
per ſe nego: quum Euangelica perfectio, non in nugis, ſed
in fide præſtanti, atque illuſtri charitate conſiſtat.

Quin ſæpe uideas homines, qui dum fuerunt cælibes, ui-
xerunt perdite: quum uerò ſe ad matrimonium contu-
liſſent, puriſſimè uixerunt. Quod ego malum, ſi malum
dici debeat, tibi imprecor, ut denique impudicitia ac libi-
dinum tuarum pertæſus, quia continere non uales, ad ma-
trimoniij portum conſugias. Iam rationem habes, cur e-
go calibatam perfectionem Euangelicam eſſe negem:
quoniam cum maxima imperfectione frequenter inueni-
tur coniunctus. Aliquibus ad ſanctitatem conſucit,
quòd plurimas auferat carnis moleſtias: aliquibus ue-
rò maximo eſt impedimento, ne in Chriſtiana philoſo-
phia proficiant, quando uel uruntur, uel non continent.

Tu uerò conaris diuerſum oſtendere, quòd Chriſtus pro
eo ſit redditurus eximium, & ſingulare præmium, quòd
alijs piorum mercedibus longiſſimè præſtet. Sed hoc tuum
argumentum, ut modò quæſtionem odioſam, & inuile,
de paribus aut diſparibus præmijs ſanctorum, miſſam fa-
ciamus (nam tantundem ratio tua efficit, ſiue detur, ſiue
negetur) adeo infirmum eſt, ut cauſam tuam nulla ex par-
te adiuuat. Aſſentiri propoſitioni, quam aſſers, me fingito
illam eſſe Chriſtiani hominis perfectionem, cui Deus am-
plioſam mercedem attribuit: Quomodo aſſumptum pro-
babis, cælibatui potius illud eſſe dandum, quàm præclare
fidei

Cælibi &
uirgini ma-
ius præmiũ
non redde-
tur, quàm
coniugato

fidei atq; synceræ charitati? Proculdubio hîc deficiis: nam si reperiantur ista in coniugato, longè meliora quàm in celibe, siq; admittatur inæqualitas præmiorum, coniugato illi plus citra cōtrouersia tribuetur, q̄ celibi, qui minus fidei & charitatis habuerit. Cumq; Paulus dicat, redditurum esse Dominum cuiq; secundum opera sua, uelim mihi abs te demonstrari operum radices, atq; principia. Non poteris profectò alia ostendere quàm fidem, & charitatem: cum dicatur ad Galatas, fides, quæ per dilectionem operatur. Proinde, quia ista tam in matrimonio, quàm in ealibatu reperiantur, in alterutro interdum perfectiora interdum minus perfecta, intelligere potes, falsò assumi, Deum esse redditurū maiora præmia celibi, q̄ coniugato. Posthac itaq; secleris quæ sunt per se, non autē more sophistarum, quæ per accidens contingunt: & animaduertas, diuersitatem præmiorum, si danda sit, propriè respicere dignitatem fidei, & charitatis, non diuersa uitæ genera. Cæterum quod insatūisti probare niteris, quia Christus Petro interroganti omnium discipulorum nomine, Quid erit nobis, qui omnia reliquimus, quò te sequemur? respondit: Vos qui secuti estis me, sedebitis super duo decim sedes iudicantes, &c. Hic uideris oblitus, aut dissimulare, promissionem hanc ad omnes Christianos pertinere: nam Paul. dicit ad Corinth. priore, quòd essent & mundum, & angelos iudicaturi. Et omnes, quotquot in Christum credunt, omnia sua debent relinquere: non modò affectu, ne scilicet illis nimium hæreāt, sed animi quoq; præparatione: ut quoties pro Christo ipsis carendū sit, quæ admodū interdum accidit, q̄do accerbæ persecutiones aduersus Euāgelij professionē excitātur: uel si nobis præciperetur, quæ admodū ab Apost. requisitū fuit, ut ea relinqueremus propti simus ad obediendū, & omnib. reb. nostris cedendū,

Generalis est promissio sedendi & iudicandi tribus Israel.

Quomodo quisq; fidelis pro Christo sua relinquere tenetur.

uti necessitas exposcet. Præmiū apostolis, q̄ hæc fecerint, promissū est, ac redditū: quod idē nobis promissū, ac reddendū intelligitur, si uel idē fecerimus, cū opus fuerit, uel idē facere habuerimus constitutū, si Deus à nobis postulauerit. Quanquam non possum istum hominem satis mirari, qui ex eo quòd apostoli à Christo uocati, eum sequendo reliquerunt uxores, putat confici, sic eos factos cælibes, ut cælibatum uouerint: neque id aliter probat, nisi dicendo. Quid, inquis tu, an id non credis? Hoc asseruit Hieronymus contra Iouinianū. asserit hoc Augustinus, &c. Dicat id, & credat quisquis uoluerit: ego uerò hoc ipsum certò scio, Relinquere, sermone Latino haud significare, uouere. Annon rectè fieri potest, ut quis, quum negotiorum suorum causa cogitur ire aliò, ut sæpe fit, uxorem suam alicubi relinquat: & quò sibi eundum est, proficiscatur? neque tamen ullum uotum cælibatus Deo nuncupet? Sed agè, hoc euincamus manifestissimè, ex illo Matthæi decimo nono: Esto iam, sicut uis, relinquere uxorem, idem esse, atque uouere, uxorem posthac nolle tractare, aut cognoscere tanquam uxorem. Porrò necessarium erit, si constanter ista significatio retineatur, ut eadem similiter in alijs rebus ualeat, quæ à Christo illic enumerantur: inter quas recensentur, pater, mater, & filij. Quid igitur iuxta tuam grammaticam erit patrem relinquere, aut matrem? Nihil sanè aliud, nisi uouere, parentes nunquam posthac se habiturum, aut tractaturum quasi parentes. Item relinquere filios, erit uouere se posthac non habiturum illos pro liberis. Vides itaque denum in quæ detrudaris absurda? Nempe ut hæc tua uota, quæ affingis Apostolis, contra præceptum Decalogi sint nuncupata: quòd mandat patrenes, & uenerandos, & fouendos: liberòsque in timore

Relinque-
re uxorem
non est uo-
uere cali-
batum.

more Domini educandos, à Paulo disertè præceptum est, atque id, quod magis aduersum te facit, requirit ab Episcopo, qui iam ad Ecclesiasticum ministerium est uocatus, ut ad Timotheum, & Titum scribitur. Ad hæc, retia quoque & nauim reliquisse dicuntur. Vnde iuxta tuum sensum uouerunt se posthac neque nauim, neque retibus usuros. Qui tamen postea piscatum iuerunt, quàm Christus resurrexit. Proinde non poterunt euadere, quin abs te accusentur uiolati Voti. Deinde Christus excepto scortationis casu, diuortium prohibet. Verùm si tuam sequamur sententiam, quoties aliquis, uel à Deo uocabitur ad aliquod ministerium, uel eum oportebit, se uiente persecutione relinquere uxorem, illico matrimonium rescindetur, fietque diuortium. Nam quemadmodum tu ais, relinquendo uxorem in huiusmodi necessitatibus, calibatus Voto nuncupatur. Non oportet, mihi crede, perpetuò respicere, quid Hieronymus, quidue alij Patres dixerint, aut de aliquo loco scripturæ statuerint: sed oportet ipsas diuinas literas perscrutari, ac diligenter uidere quænam sensus magis conueniat, quisue dissentiat, & à uero sit remotior: alioquin semper tanquam fistula sic sonabis, ut ab alio insteris. Quòdque subijcis, me negando Apostolos calibatam uouisse, Calimum sequi, bis temeritatem tuam patefacis: principio quidem quòd nescias, an ego ipse per me hoc uiderim, an ex illo egregio doctore, uel ex Lutbero, uel ex Bucero, uel ex Bulingero, pijs & eruditissimis uiris didicerim: deinde quòd pudendum arbitraris, cum pios, tum in sacris literis eruditissimos uiros sequi: cum tamen ipse perpetuò scriptoris cuiusuis ecclesiastici, modò nostram ætatem antecesserit, licet sine authoritate pronuntiet, aut affirmet, sententiam

Christo uocando Apostolos diuortium inter illos, & uxores non iussit.

Quæstiones non sunt ad Patres reuocanda, sed ad scripturas.

quàm leuissimè, ac futilissimè adducas. At quem ipse morem obseruem, si scire cupis, expediam paucis: propono mihi ante omnia sacras literas, quas, ut sequi possim, pro uiribus rimari, & scrutari non desisto, quoad eruan non somnia hominum, sed earum, quantum fieri potest, legitimum sensum. Qui fit, ut à ceteris pijs hominibus, imò à nullis dissentiam, quantum intelligo sacras litteras posse ferre. Quòd uerò tantum uirum, quantus est Calvinus, ac similes eius, maledictis acerbis & odiosis audes insectari, diabolum referes, qui calumnias pijs hominibus perpetuò struit. Ceterum uideamus adhuc, quomodo probare nitatur, quod assumpsit: nimirum celibatum, seu Votum suum (nam ista sepe confundit, & que est nobilis eius dialectica, pro eodem habet) perfectionem Euangelicam esse. Consilium, inquit Apostolus, do: ergo in celo maior gloria eroganda est uirginibus, quàm coniugibus. Quis hic diuinet, undenam hæc argumentatio uiam habeat? Sed ut in pauca refutationem eius conferam, à Smythæo responderi mihi uelim, an precipiatur nobis, potius uitam ponere, quàm Christi nomen abnegare. Scio, non negabit: quum Christus dixerit, cum, qui amat animam suam, illam esse perditurum. Quod quum ita sit, dabo martyrem, qui pro Christo uitam posuerit, è diuerso celebs, aut uirgo statuatur. Vtri dabitur potior merces in patria? Si uirgini dixeris, non solum omnibus Patribus, uerùm & tuis scholasticis sophistis aduersaberis. Sin uerò primum locum dederis martyri, facile inde colliges, plus præmij habere obseruationem mandati, quàm consilij. Cur igitur tam inconsultè argumentaris: consilium do, inquit Apostolus, ergo maiora præmia dabuntur uirginibus

ginibus, quàm coniugibus? Quasi Deo magis placeat, ut consilia faciamus, quàm ut obseruemus præcepta? Iam cernis quàm apertissimè tua sophismata deprehendantur. Rursus idem stabilire conaris, quum inquis, Christus quum ad cælibatum nos inuitat, ad grande, ac eximium opus uocare se ostendit, quum dicit, qui potest capere capiat. Difficile genus uitæ in quibusdam cælibatum esse, non nego. Haud tamen illum concedo sic Deo gratum, quemadmodum est toto corde, tota anima, & omnibus uiribus ipsum diligere, aut, sicuti mandatur extremo præcepto, non concupiscere. Adhuc in eodem uoluitur luto: & licet parum feliciter, procedat, attamen inde uult euincere, deberi maius præmium uirgini, quàm coniugato: quia si Deus reddet unicuique secundum opera sua, quis non uideat, inquit, maiorem esse laborem, expugnare omnem libidinem, quàm ab uxoribus non abstinere? Redditur itaque illi maius præmium, quòd arctius, difficilius, & perfectius institutum sequatur. Vitam cælibum non diffiteor aliquibus laborare difficultatibus: sed pium matrimonium sæpe longè maiores habere contendendo. Pingamus (ut esse potest) pauperem, qui quum animaduertat se aduri, neque posse continere, ita ut pudicè, castèque uiuat, uxorem ducit, liberos procreat: Dumque familiam sibi à Christo commissam alere studet, plurimum diu noctuque laborat, deumque assidue precatur, ut suis laboribus det successum: is omnia hæc si patienter ferat, paupertatis, inquam, incommoda, neque disciplinam, eruditionemque liberorum piam negligat, inò curet summa cum diligentia, ut in timore Dei educantur, proculdubio negare non poteris, talem hominem, & graues, & arduos labores ad honorem Dei sub-

An in cælibatu, an in coniugio grauiiores labores perferantur.

ire. Idemq; si tantum sua commoda spectasset, & voluptates, non duxisset uxorem, sed (ut pleriq; uestrum faciunt) scortando, & adulteria committendo, naturali cupiditate satisfecisset: nec magno labore, quantum ad proprium uitium sufficeret, necessaria sibi uni comparasset. At ita facientibus scriptura minatur exitium. Dicitur quippe à Salomone: Meretrix profunda fouca: & Paulus regno Dei cum scortatores, tum adulteros excludit. Alteri uerò qui sanctè coniugium colat, & pro sustentanda familia plurimum laborat, in Psalmo promittitur, quòd labores manuum suarum sit manducaturus, habiturusque uxorem instar abundantis uitis, & filios quasi plantulas oleæ circa mensam. Ita, inquit propheta, benedicetur uir qui timet Dominum. His iam exposuimus, non carere magnis uariisque laboribus, & Deo sanè gratis legitimum matrimonium. Ex altera parte nunc spectemus uirginem, aut cælibem, qui donum continentia à Deo sit nactus. Illum planè multis curis negotiorum atque familiæ regendæ sentiemus carere, plusque otij ac temporis ei dabitur, ut studijs sacræ doctrine, sacrisq; concionibus habendis uacet, & publicis precibus: habebitque fortasse expeditiorem mentem ad res Euangelij tractandas: & licet aliquibus laboribus non careat, facilius tamen uitæ genus adeptus erit, atque docendo, & concionando frequentius, imò assidue forsitan utilior erit ecclesiæ. Sed quòd alterius labores atque molestias, & quidem pias & sanctas uincat, non facile dixerim. Neque dabo maiorem huic cælibi, quàm coniugato, aut fidem, aut charitatem necesse riò inesse. Id autem à pijs hominibus cum primis intelligendum est, summam difficultatem, aut laborem, non in hoc, aut illo genere uitæ ponendam esse à Christianis, sed in abnegando ac mortifi-

mortificando seipsum. Quod, cum omnibus credentibus debeat esse commune, non est, quòd quisquam id magis in cœlibatu, quàm in matrimonio quærat. Infiniti reperiuntur in coniugio, qui multò plus huius mortificationis, & abnegationis assequuntur, quàm uirgines, & qui de cœlibatu sibi uehementissimè placent. Is igitur magis in regno Dei laborat, qui unà cum Christo magis crucifigitur mundo, quodcunque sortitus fuerit uite genus. Maior, deinde dicitur, merces illis dabitur, qui solliciti sunt eorum, quæ sunt Domini, ut illi placeant, quàm his qui solliciti sunt eorum, quæ sunt mundi. Non docet Paulus istis maiora deberi præmia, quàm illis, ueluti abs te additur: sed tantum ait, sollicitudine istos distrabi, & illos minime. quod euerit priorem tuam sententiã, qua pronuntiabas magis laborare cœlibem. Nam si utrumque tam cœlibem, quàm coniugatum uerè pium, & sanctum dederis, coniugi maioris labor sollicitudinis obstrepet: quia plus mundi sollicitudines excruciant, quàm eorum quæ Dei sunt: quandoquidem nisi quis rectè cauerit, & illis moderate, ac prudenter utatur, uerbum Dei præfocant, ne fructificet: quod Christus in parabola seminis in terram iacti de spinoso loco docuit: atque iste timor piòs mirificè reddit anxios. Verùm hìc uideo, in quo ut plerique alij tui gregis, hallucineris. Etenim putas his uerbis à Paulo mundum pro uitiosa re accipi: quum ipse mundi nomine prauas cupiditates, aut libidines minime intelligat: sed tantum curas de necessarijs ad uitium, & ad rem domesticam tuendam. Cælebs ab his curis liber esse ostenditur, coniunx uerò illis detineri, quod perinde non ita potest interdum, sicut alter, sacris promptè uacare, sed propterea non imminui-

Quis in regno Christi magis laboret.

Mundus nisi scripturis nõ semper uitiosam rem notat.

tur necessario eius fides & charitas erga Deum, propter quem uxorem duxit. Nam cum dono uirginitatis aut celibatus animaduertent se destitutum, ne fornicaretur, & adureretur, subiretque curas & deterrimas, & turpissimas, laboriosum conubij suscepit institutionem: & sollicitudines inhonestas, impulsus dilectione Dei, committavit cum alijs honestioribus, & melioribus, quas habet plerumque matrimonium sibi adiunctas. Et idcirco tanta fide tantaque charitate potest eas perferre, quam a celeberrimo potest sacris perpetuo incumbere. Caue itaque plures mundi sollicitudines, quas Paulus memorat adiunctas matrimonio, uitiosas, aut iniustas Deo esse, quasi ad peccatum pertineant: siquidem uox mundi, quemadmodum est dictum, hoc loco uictum corporalem, & rei familiaris curam significat: à quibus curis neque sanctus celebs, quod homo sit, prorsus est alienus, quamuis illis minus occupetur coniugato. Neque te preterea lateat, Apostolum, cum dixerit, maritum sollicitum esse quomodo placeat uxori, non eas respicere sollicitudines, quibus adducti nonnulli stulti mariti committunt, & ornant sese, ac magna uanitate corpus expoliunt, ut uxoribus forma, uultuque, ac muliebri cultu plus commendentur. Ista non sunt Christianorum coniugum, sed infidelium, mollium, & lasciuiorum ethnicorum. Sed Paulus placendi uxori sollicitudinem uocat honestam, sanctam, prudentemque conuersationem, qua iustis uis pax coniugalis procuratur. Et enim uirum cauere oportet morositatem, ne sit difficilis, ac temerè coniugem suam afficiat tristitia: curare quoque debet, ut Petrus pie monuit, ut infirmiori uasculo iustum honorem deferat: quod maximè fit, cum in his, quæ honesta sunt, quæque de pietate nihil imminuunt, aut detrahunt, bene

Quæ sit sollicitudo placendi uxori.

hant, benevolentia coniugali assentitur uxori: quæ sollicitudo, cum multa quotidie accidat, quibus unus coniugum facile alterum possit aut irritare, aut afficere tristitia, neque parua est, neque leuis momenti: non tamen haberi debet ex illo curarum numero, quæ Deo displiceant, aut inter peccata censeantur. Imò si ob tales uitandas curas qui opus habet matrimonio, ipsum detrectaret, is animam suam lederet, & Deo non leuiter displiceret dumque ex fide, utque Deo pure seruiat, subit istas molestias, magna Deum prosequitur charitate, ac apud eum non uulgarem inuit gratiam. Proinde Apostolus nil aliud uoluit, atque in matrimonio grauiores esse sollicitudines, & circa uilliora, quam in celibatu: quod manifestius paulo infra expressit, cum diceret, carnis tribulationem huiusmodi habituros: nilque præterea subiicit, unde tu colligas, maiora præmia deberi calibi, quam coniugato. Id autem falso tu putas confici ex maiori facilitate uacandi sacris. Sed obsecro, mihi dicito, si diues, cum opibus abundet, facilius eleemosynas largiatur, quam inops, num ea de causa plus illi mercedis affirmabis deberi, quam inopi, qui & paucas det eleemosynas, & nulla cum facilitate, quandoquidem uix habet, unde quippiam interdum queat dare? Certè Domini testimonio uidua, quæ tantum duo minuta obtulerat, plus laudis meruit, quam illi diuites, qui opulentissimas oblationes inferebant. Iam uides ad quæ principia rationes tuæ resoluantur: ut semel dicas difficilioribus operibus deberi maius præmium: deinde tui oblitus, uelis mercedem potiore reddi celibatui, quòd expeditior sit, & paucioribus curis distrahatur. Audiuimus nonnunquam esse quandam bestiam, quæ se ipsam deuoret, sed eam nunquam uidi. At nunc intelligo, argumenta tua esse tale

Circa difficiliora est maior uirtus.

quippiam, cum seipsa inuicem perdant, atque dissoluant.
 Neque multum me mouet, quod Augustinum adducas in-
 centem, coniuges edificare lignum, saxum, aut paleam,
 cum cælibes edificent aurum, argentum, & lapides pre-
 tiosos: quia omnes ferme intelligunt, quam Augustini ex-
 positio illi loco parum conueniat. Agitur quippe illi
 de doctrinæ diuerso genere, non de statu cælibis & coniu-
 gata uite. Vnde cum discedat interpres à uerborum Apo-

Locus Au-
 gustini.

stoli sensu, non mirum si error in colligendo accidat. Non
 August. in loco quem adducis, de fide & operib. ca. 16.
 in sua expositione, quam (ut audiisti) non admitto, do-
 cet coniugatos omnes edificare saxum, lignum, aut sapa-
 lam, sed tantum illos, qui uxores nimio, atque ideo uitioso
 prosequuntur affectu: neque dicit, uirgines esse, aut cæli-
 bes, qui edificent aurum, argentum, & lapides pretiosos.
 Sed priusquam desinam, opus esse uideo, ut me ipsum de
 quodam crimine purgem, quod mihi, ut soles, iniustissime
 impingis: quasi defendam cælibatum præferendum ma-

Quare cæli-
 batus aut
 uirginitas
 interdum
 suscipienda
 sit.

trimonio, tantum propter uitæ huius molestias: quam, ut
 refers, opinionem Augustinus in libro de sancta uirgini-
 tate manifestissime constat. De Augustino autem, & alijs
 Patribus, quid ego iudicem sentiendum, præcipue quoad
 istam questionem, suo loco exponam. Nam decreui nunc,
 quemadmodum sum præfatus, ea tantum loca, seu ratio-
 nes, quas ex scripturis sanctis adduxeris, tractare seorsum
 ac diluere: postea dicturus, quid mecum, uel quid contra
 me faciant Patres. Nunc ad id, quod mihi ascribis, sic
 habeto: me nunquam cogitasse, dixisse, aut scripsisse, cæ-
 libatum, aut uirginitatem pro alicui suscipiendam, solum
 ob huius mundi curas, & molestias fugiendas: nam hoc
 esset procul dubio nimium se amare, ac sua tantum que-
 rere: cui sanè proposito, quantum leges charitatis ad-
 uersentur,

uersentur, omnes planè intelligunt. Quis nõ uideat Christum explicatissimè dicere, propter regnum caelorum euachos Euangelij sese castrare? Sed eo loco regnum caelorum non accipitur, ut multi arbitratur, quasi isti sese contineant ad obtinendam æternam uitam: aut, quemadmodum tu putas, ut habeant in ea mercedem opulentiorum. Non huc Christus respexit: quoniam & æternam uitam Christianus potest in matrimonio assequi: & si præmia beatorum sunt imparia, eorum magnitudo non penes cælibatum, & matrimonium sunt metienda: sed, ut iam docui, penes fidei atque charitatis excellentiam. Sed locutus est Christus de promotione, augmento, & amplificatione regni caelorum, quam inter homines quotidie accipit, dum plures trahuntur spiritu, docentur uerbo Dei, orationibus, & precibus inuuantur: quibus rebus cum cælibes expeditius uacare possint, quam coniugati, ea causa illis qui ualent, & à Deo facultate continendi sunt donati, uirginitas, & cælibatus proponitur expetendus. Quam Christi sententiã sic intelligendam, Paulus perspicuè demonstrat. Præmiorum enim caelestium nullam mentionem facit, sed solum, inquit, uirginem curare, quæ sunt Domini, ut sancta sit & corpore, & spiritu, & ut Domino adhereat, absque ulla distractione: quæ conditiones atque uirtutes his maximè usui sunt, qui perpetuis doctrinis, precibus, & diuinis functionibus ad regnum caelorum propagandũ sunt addicti. Non quòd & in matrimonio Christiano esse non possint istæ uirtutes: uerum, ut diximus, in cælibatu atq; uirginitate & facilius & expeditius in sunt. Proinde non sentio uiro Christiano cælibatum tantummodo expetendũ, ob molestias euitandas: quanquam uideam gregem, quem tu sequeris, impudicorum sacrificorum, & monachorum, id genus uitæ, non ad sanctita-

tem, uel ad regnum Dei augendum detorquere: sed potius matrimonio se abdicasse, ut mollius atq; dissolutius uiuant. Quamuis non sum adeo stultus, ut à uestro consilio atque proposito regulam quam pij sequi debeāt, statuat sumendam, quam duntaxat ex uerbo Dei trahi oportet. Hoc hæcenus disputauit tecum, concedendo præmia sacerdotum inæqualia, de qua sanè quæstione nunquam existimaui acriter digladiandum: cum illud tempus animo tranquillo expectare ualeam, quo nos docebit experientia, quomodo res habeat. Vnum tamen te monebo, & orationem atq; etiam rogabo, ut stultam superstitiosamq; opinionem de meritis operum denique abijcias, qua cum periculosissimè labores, hinc fit ut in uotis, supererogationibus, & disparitate præmiorum commemorandis & defendendis frequentissimè uerferis. Ea tamen diuersimodè mercedis hæcenus tibi permissa, intelligere iam facile potes, ut nihil in causa tua profeceris.

V. O B I E C T V M.

G. A. Tu quòd extenuas cælibatum atq; continentiam. citasti ex Athanasio, fuisse quendam coriariam Alexandinum & maritum, oraculo diuino Antonio monacho & quatum: hinc decerpens, sed indoctè admodum cælibatum, aut continentiam nihil præstare nuptijs, quod ad uitæ attinet perfectionē. Istud nemo pius & doctus inuiciatus est unquam: nempe posse esse, & fuisse coniugatos multos, quorum uita & sanctimonia nihilo erat inferior uita continentium, & uirginum: ac propterea Augustinus ait, de bono coniugali, capite uigesimo quarto. Non est impar continentia meritum in Ioanne, qui nullas expertus est nuptias: & in Abrahamo qui filios genuit: nam ut Ioannes in opère, ita Abrahamus in solo habitu continentiam colebat. Melior est autem castitas cælibum, inquit, quàm nuptiorum, quarum unam Abrahamus habebat in usu, ambas in habitu: castè enim & conjugallyter uixit: hæcenus ille. Hinc liquet, quamobrem uita coniugum queat aliquando perinde grata esse Deo atque

atque calibum & uirginum, non quod horum status & uita institutum non præstet illis, nec quod calibatus & uirginitas non debeât anteponi nuptijs: sed qui coniunx est, poterit fide, spe & charitate, atq; reliquis uirtutibus pensare. imò excedere aliquando calibatam & uirginitatem, ac simul aliarum uirtutû chorum. Proinde historia illa de Antonio & coriario, nihil prorsus tuat causam istius Petri, contendentis uota piorum nihil adferre perfectionis. Quum enim calibum, uirginû, aut continentium fides, spes, chatitas, obedientia, & reliquæ id genus uirtutes queât æquo Marte certare cum iisdem uirtutibus cõiugum, quis nisi aut impudens, aut prorsus cæcus ibit inficias uitam illorum, horum uita præstabiliorem esse, atque Deo longè chariorem?

D E F E N S I O.

Nulla unquam ego laboraui cupiditate extenuãdi dona Dei, inter quæ purum etiam calibatam annumero. Quare cum me traducas iniuste, tu ipse mendacij atque falsi potes accusari. In eum finem historiam Antonij recitauit, ut uirginitatem, aut calibatam per sese, ac natura, sua nõ esse Christianã perfectionem ostenderem. Quam in re nõ existimo, uel à ueritate, uel à doctorû uirorum iudicio me dissentire. Semper enim audiui ieiunium, calibatam & uirginitatem, sua natura uirtutum rationem minime habere, nisi opere ac re ipsa instituantur, & dirigantur ad aliud bonum, quod sit per seipsum expetendû: id est, uel ad preces, uel ad sancta studia, &c. Quod si tu idem non sentis, pro tuo insito stupore, in luce clarissima caligas. Ebuccinas me indoctè ista colligere ex allata historia. Quid hoc est? si summa perfectio, & æqualis tam in coniugio, quam in calibatu reperitur, nõne appositè confectum est, neque matrimonio, neq; calibatu perfectionem esse propriam? Si enim alterû illorum sua natura perfectio esset, certè in eo in quo reperitur, perfectio nem augeret: sed illam non auxit in Antonio, qui calibs

erat, & prædicatus est à Dei responso æqualis coniugii: quare bene sequitur, sua natura cælibatum non esse perfectionem: si quod attinet ad fidem, spem & charitatem, quæ sunt ueræ perfectionis Euangelicæ mensuræ: Antonius & coriarius fuerunt pares, certè cõsequitur, cælibatum non fecisse Antonium Deo gratiorem. Verùm quid hiis me laborare oportet, cum ipse fatearis quorundam coniugatorum uitam, posse nihilo esse inferiorè, uita cælibat, & uirginum? Vnde mihi uidetur, argumento euidentissimo (ut dialectici loquuntur) à cõiugatis probè sequi: cælibatus natura sua est perfectio: ergo iste cælebs est perfectus. Quòd si rectè hoc pacto non argumentamur, cælibatus per se non erit perfectio, sed illam oportebit alibi querere. At iste homo Lynceus argutatur, ideo istos æquari posse, quòd nonnulli coniugati, licet opere coniugio seruiat, attamen habitu uirginitatem, seu cælibatum cõplectuntur: unde meritò ac iure dicitur quandoq; coniugatus æquari cælibi, quia uitã eius habitu, licet nõ opere habet. Et Augustinum, de bono coniugali, sententiã hanc mihi producis testem, qui æquet Abrahamum in nuptijs Ioanni, qui fuit absq; coniugio. Quam ego Augustini sententiã pro me accipio. Nõne de pijs & sanctis coniugibus modò agitur? alioqui iste coriarius non posset æquari Antonio, nisi pius fuisset. At quinam piorum hominum, si sint in matrimonio, uehementer non cupiant esse cælibes, & uirgines habitu, si facultatem donumq; continentia à Do nacti sint, uideantq; se posse uirginitate, aut cælibatu latius regnum Dei promouere. Imò eodem habitu optant in cælo esse, ubi sancti neq; uxores ducunt, neque sanctæ nubunt. Equidem pro certo habeo, neminem esse, modò sit pius, qui seruitute coniugali curarum, fieri possit, & Deo placeat, liberari non cupiat: æquatur dignitas

dignitas Abrahami, & Ioānis: equatur Antonius coriario
 calibatus itaq; non est per se Christiana perfectio. Hic mi
 hi rursus occurris. Acquantur, quoniam quod uni deest,
 quo ad uirginitatē, aut calibatū, suppletur fide, spe, atque
 charitate, seu bonis operib. inde consequentibus. Verū hic
 te percūtabor, an affirmare audeas, plus fidei, spei, & cha
 ritatis habuisse Abrahamū, q̄ Io. Baptistam? & coriariū, q̄
 Antonium? Vide, quid agas, si neges, iam non erunt pares:
 quia fidem, spem, & charitatē habebunt equalem, & al
 teri eorum, prater illas uirtutes, accedet uirginitas, quæ
 ut tu decernis, perfectio est Euangelica. Quare iam erunt
 inæquales, contra testimonium Augustini, & aduersus hi
 storiam, quam tractamus. Sin uerò affirmaueris, Abra
 hamum plus habuisse fidei, & charitatis, cum tota ratio me
 riti (quemadmodum tu, atq; scholasticorum grex cōstituit)
 à charitate pendeat, superabit Abrahamus Ioannem: &
 quia plus habuit charitatis, plus omnino habebit meriti.
 Ignoscat hic mihi pius lector, si ei uidear admittere uocem
 & rationem meriti: quando quidem id non accidit, q̄ ita
 sentiam, sed quia istos oportet ex sua hypothesi; atq; suis
 principijs cōuincere, et ad ea, quæ manifestè absurda sunt
 deducere. Argumentū autē, quo illū nunc premo, ita se ha
 bet: uel Abrahamo tribuit iste parē charitatē cū ea, quam
 Ioannes habuit, uel disparem. Si parem, tum perfectior e
 rit Ioannes, quia illi citra charitatem uirginitas acce
 dit, quam perfectionem Euangelicam hic esse contendit.
 Sin habeat Abrahamus charitatem maiorem, tūc habebit
 plus meriti, q̄ Ioānes: nanq; meritum, ut illi testantur, non
 à uirginitate, sed à charitate petitur. At Augustinus, quē
 ille adducit, paris meriti fuisse scribit coniugium in A
 brahamo, & continentiam in Ioanne. Non autem po
 tuit esse paris meriti, nisi par utrinque fuerit charitas.

Argumenti
 efficacia.

Quamobrem, ut arbitror, iam apparet, Euangelicæ perfectioni, tã coniugium, quàm cælibatum conuenire, sed re-
 merè, siue, ut loquuntur, per accidens, cum in utroq; repe-
 riatur. Neq; habet uirginitas per sese, atque ex natura sua
 & in seipsa, uim reddendi hominem Deo gratiorem, sed
 tantum ex eo: quod interdum illi coniungitur, nimirum ex
 fide, atq; charitate, quod etiam idem est in matrimonio se-
 tiendum. Quemadmodum se habet paupertas, & diuitiæ,
 cum in utraq; conditione perfectio Euangelica reperiri
 queat: nisi uelis facere Abrahamum Francisco minorita-
 rum institutore deteriorem. Quodq; omnibus modis cõ-
 tendis, uirginitatis, & cælibatus conditionem, seu statum
 præstare matrimonio, facile dabo: at nõ eo nomine, quod
 sit Euangelica perfectio: sed quia est, quoad nonnullos, li-
 cet non quoad omnes, uita expeditior ad regnum celorum
 propagandum. Te uerò non satis mirari possum, qui con-
 cedas omnes uirtutes ex æquo posse in coniugato, & cæ-
 libe certare, quod est, ut ipse intelligo, æquales esse, quum
 uirginitatem status esse Euangelicam perfectionem. Por-
 rò si potest utrinq; cumulus uerarum uirtutum esse, non
 superest matrimonio, aut cælibatui, nisi ut sint uite status
 & conditiones, cum quarum utraq; stare possit ex æquo
 Euangelica perfectio, licet in una interdum facilius, quàm
 in altera. Qua de re iam me sentio plura dixisse, quam o-
 portuerit prudẽti lectori: quamuis isti Smythæo propter
 lethargum profundum, quo altissimè stertit, uix putem
 satis dictum.

F. 5.

VI. O B I E C T V M.

Cur non uouent, inquis, ut inimicos diligant? Hoc e-
 bi responsum uolo, Christianos istud non facere, quod
 Dei præcepto ad illorum dilectionem sint obstricti.
 Nunquid perinde Dei mandato aliquo obstringuntur
 Christiani simul uniuersas opes suas effundere pauper-

bus, & uotam calibé transigere, ac cætera peragere, quæ
 nusquam præcipiuntur, sed tantum consuluntur? Quare
 te non pudet tam futilis ineptiæ, ac inanis nugamenti?
 Puduisset certe te, qui labefactatæ pietatis uindex cu-
 pis haberi, ac cornicum oculos, ut habet prouerbum,
 configis, coram conferto, ac stipato doctorum uirorû
 confessu, qui coactus in Oxoniensi theologico Musæo
 te prælegentem contra uota audierit, tam frigide, & in-
 doctè rem illâ controuersam tractare, si non exuisses o-
 mnem prorsus pudorem, ad instar meretricis, &c.

DEFENSIO.

Equidem de dilectione inimicorum non interrogauit,
 quemadmodum abs te simpliciter, imò frigide ponitur. Sed
 quasiui, cum multa sint iuxta uestram sententiam consilia
 Euangelica, ut benefacere inimico extra casum necessitatis,
 ita enim loquimini, percutienti alteram maxillam obuer-
 tere: iniurias non persequi: desistere à litibus, & consimi-
 lia, quare ista non uocatis? Quum tamen ea seruando à
 uobis longè magis edificaretur Ecclesia, quàm abstinen-
 do à coniugibus? tantum autem circa tria uota pauper-
 tatis, calibatus, & obedientiæ uersimini quasi propria
 hic sit Christianæ religionis prora & puppis. Hæc sanè
 fuit mea questio, utq; arbitror, non absurda, quamuis tibi
 fuerit ingratissima. Ut autem pulchrè te de illa expedie-
 ris, operæ pretium est audire. Si non uones dilectionem
 inimicorum, quòd ad illam præcepto Dei astringaris,
 quid te oportuit paulò supra tantoperè mihi obstrepere,
 qui dixerim non esse Deo aliquid uouendum, quod omnia
 quæcunq; præstare ualeamus illi ex præcepto debeantur?
 Nonne ibi asserebas quàm fortissimè, licere etiam illa uo-
 uere, quæ Deo essent debita? atq; contra me uotum Iacobi
 producebas, qui Deum uouisset in deum sibi fore? Magnoq;
 conatu nitebaris argumentationem euadere, quam de le-
 ge primo genitorum opposueram? Cur nunc ita mihi con-

Contra scilicet
 ipsum Smy
 thausaper
 tissimè pu
 gnat.

sentis respondendo, ea non debere nuncupari uoto, quae sub precepto cadant. Non arbitror te mihi repente factum beneuolum, aut furorem oppugnandae ueritatis deposuisti. Verum, in hanc sententiam descendis, quoniam deerat, quid aliud responderes: et potius hoc loco uoluisti pugna re tecum, Vertumnus fieri, et Protheus, atque arundo uentis agitata, quam desinere mendacijs quoquomodo patrocinari. Dignus profecto es uotorum papisticorum defensor quo non decuit, uel fortio rem, uel elegantio rem habere patronum. Nonne sentis ad meam quaestionem adhuc te non respondisse? Aut nega illa, de quibus interrogo, consilia Euangelica esse, atque ita tuos omnes sophistas in te prouocabis: aut causam dic, quare illa non uocatis, cum tanti sint ponderis, ac tanto perere faciant ad aedificationem. Non autem opus est, ut modo tibi respondeam, quo precepto astringamur, quando possumus, et uideamus ad gloriam Dei conducere, opes nostras in medium conferre, caelibes uiuere &c. Nam satis, superque id audiui tibi, quum ad multam nauseam (ut uereor) de eo egerim: tu uero interim audiendus, qui semper oberras eadem corda. Nam sepius dicis Deum consulere, ut opes nostras relinquamus, quum nullibi hoc reperiatur consultum in uniuersum, sed aliquibus priuatim est a Christo preceptum: nimirum adoloscanti, quo suae cupiditatis prauitatem, se latentem disceret. Idem quoque requisitum ab Apostolis, quum eos ad se uocauit: nempe, ut statim se sequerentur, quod fieri non potuit nisi sua desererent, nepe nauim, et retia, quae tunc temporis tractabant. Quod si ab ijs praestitutum non fuisset, obstrinxissent se peccato grauisimo. Id autem uos in consilijs non recipiendis, minime audeatis dicere: in qua opinione, ut erretis, quicumque paulo attentius rem considerat, facile intelligunt. Quis enim cum peccare non dicat, qui homi-

hominem sibi prudenter, atque salubriter consulentem au-
 dire nolit: ne dum ipsum uerum, & summum Deum, præ-
 cipue si possit, ea quæ consuluntur efficere: ut uos de celi-
 bato estis persuasi, qui omnibus illum possibilem arbitra-
 mini. Sed hoc interim omisso, id libenter scire uelim, cur
 me irrideas, quod uideri cupiam labefactatæ pietatis uin-
 dex, cum talem famam, uel istum titulum nunquam ambi-
 uerim. Quamuis inter alios, qui curant, & admonent, ut
 religio instauretur, operam dedi pro uiribus, ut nõ essem
 postremus. Hoc uerò quid obsecro est uitij? Nonne omnes
 ad id lege Dei astringimur, ut pietatem, religionemq; ser-
 uam tectam uelimus? Neque uos ipsi negare potestis, in
 religionem perpetuò irrepere uaria & diuersa uitia,
 quæ expurgari oporteat. Alioqui in uinea Domini quid
 egerent operæ? Quare, si odiosa tibi uidetur, & arrogas
 hæc uocatio, te ipsum quoq; theologum esse nega. Cur no-
 men profiteris, si rem nominis putas ridendam? Fortè i-
 deo me rides, quòd hoc profitear, & non præstem. Primum
 hoc tibi responsum habeto, id melius te posse illos dijudi-
 care, qui me hoc loco esse uoluerunt. Dei cum primis iudi-
 cio, deinde illorum quoad doctrinam, aut stabo, aut cadā,
 non tuo cum inuido, tum indocto suffragio. Præterea, si
 quæ doceo iure uis arguere, quasi ad religionem instaurā-
 dam minime ualeant, oportet sanè, ut melioribus rationi-
 bus agas, quàm ille fuerunt, quas hætenus produxisti. De-
 inde cum testaris me contra uota ista quæ refers dixisse in
 Museo Theologico Oxonijs, coram supato, & conferto do-
 ctorum uirorum confessu, quomodo non es tui oblitus, ne
 que te ipsum redarguis, qui passim in libellis tuis mihi non
 uerearis insultare, quasi frigeam, nulliq; aut paucissimi au-
 dire me uelint, nisi iuueniculi, atque idem imperiti? Sed ut
 pugnes tecum, adeo tibi est familiare, ut id captaro de in-
 dustria

dustria uidearis. Inuidia, atq; odio, quo aduersum me in-
 citaris, aliquem finem, modumq; tandem ponito: & memi-
 neris opera mea non esse factum, ut loco tuo deiectus fue-
 ris. Cum enim uenirem in Angliam, iam à docenda theo-
 logia publicè per maiestatem Regiam eras amotus, & nò
 iniuria, cum sanæ doctrinæ pro uiribus, quamuis indoctis
 & imperitis, ne dixerim, insanis, resisteres. Quid malum
 tua refert, an stipatum confertumq; habeam auditorium
 doctissimis uiris, an exhaustum, tantumq; frequentatum
 ab indoctis iuuenibus? Hæc ego, ut omnes, qui mecum de-
 gunt, testari possunt, nunquam de te inquisiui, nunquam
 sum percuntatus. Nostra interest in hoc unum incumbere
 ut Euangelicam Christi doctrinam quisq; pro sua uirili or-
 net, & promoueat. Neque à nobis id requisiturus est Do-
 minus, an coram paucis, an coram multis: coram doctis,
 an indoctis: iuuenibus, an senibus docuerimus: sed an uerè
 & salutaria: an superstitiosa & papistica. De his, theologus
 uenerabilis cogites, quandoq; tibi esse serio respondendum
 in eo, inquam, iudicio, ubi hominum fumus, ambitio, &
 astutia sophistica nihil contra fulmina, & tonitrua Dei
 ualebunt. Atque tunc quis nostrum utriusque sit pudor,
 & uerecundia, quibus me passim blateras prorsus exat-
 uniuerso orbi patefiet.

VII. O B I E C T V M.

p. 7.

Quod, inquit, fit ex Lege, non fit ex fide, at uota sunt
 ex lege, non itaque ex fide prodeunt. Hic tuam prodi-
 inscitiam in re theologica, ut qui ostendas te ignorare,
 quid sit Paulo, fieri ex lege. Aut ut uerius dicam, illud
 nusquam apud eum legi. Sub lege esse hominem, & ex le-
 ge, epistola illius habent: uultq; hominem esse sub lege,
 & ex lege, qui iustitiam sectatur ex operibus legis, non
 ex fide, Rom. 9. Et quærit suam statuere iustitiam, id
 est, quam iactat, & gloriatur ex sese sibi esse, non ex Deo
 impertitam. Et Dei iustitiæ hoc est, quam ille hominibus

iustificando largitur, non est subiectus. Denique quis-
 quis habet persuasum, se viribus liberi arbitrij posse ab-
 que Dei gratia adminiculatrice implere illius iussa, ci-
 traque fidem, & Christi meritum aspirare ad æternam
 salutem, rectè dicitur Paulo esse sub lege, seu ex lege. Ve-
 rnas Paulum usum esse, cum hæc scriberet, antithesi,
 & quadam oppositione inter fidem, gratiam, & legem:
 ut apud eum esse ex lege sit non esse ex fide, & è contrà
 Sed quomodo docebis tu illos, qui uouent, hoc pacto
 esse sub lege, aut ex lege? Quis enim adeo cæcurit, & hal-
 lucinatur, ut credat per uotum, & aliud quoduis illius
 opus, iustificari absque fide, & gratia Christi, & sic iusti-
 ficatum, posse Dei mandata implere, uitamq; illam æter-
 nam sine Dei auxilio, & Christi merito assequi? Qui ex
 lege sunt, inquis, maledicto existunt obnoxij ad Gala. 3.
 Verùm huiusmodi sunt, qui uouent Deo, sunt itaque ma-
 ledictioni, & execrationi obnoxij, ut sciamus, quàm im-
 pia sint uota. Assumptum istius bellæ, scilicet collectio-
 nis, nempe uotarios omnes esse ex lege, quàm falsissimū
 esse, uel id abundè luculenterq; demonstrat, quod supra
 dictum est, de eo, quod est, esse ex lege, & sub lege, ut hic
 repetere, esset actum agere, & in cassum sudare. Petat er-
 go illinc, quisquis uolet hunc responsum.

D E F E N S I O.

Licet in argumento meo refrendo, & mentiaris, & is
 iuste me traducas, non tamen in te redarguendo huius cri-
 minis multum laborare statui. Satis enim assertio, quam
 præfixi testatur, me in summa ex eo refutasse uo-
 ta, quòd Christus uoluerit nos uel morte sua, ab oneribus
 legis, & infinitorum eius mandatorum asserere: cuius uo-
 luntati, ac studio, par est, ut quisquis pietate ornatur, non
 se opponat, imò illi obsequatur. Sed qui uouent ea, quæ li-
 bera erant, iam sibi obseruanda ex lege, ac præcepto consti-
 tuunt: quare se non exuunt onere mādatorum: sed potius
 de industria se magis impediunt. Atq; adieci ex diuina le-
 ge, quæ reliqua est, nempe morali, si quis nõ intelligat, sa-
 tis esse præceptorum, eum minime legem considerasse. Vñ

de colligebam satius esse, ut homines conseruarent se liberos, & in ea libertate starent, qua eos Christus donauit: citarenturq; fide adiuncta charitate, ad omnia exequentia pro uiribus, quæ agnoscerent, ad Dei gloriam magis facere. Quoniam illi, qui nisi lege astringantur, hæc bonorum genera facere nolunt, se declarant sub lege potius esse, sub gratia, & fide. Quod ut sit euitandum, Paulus docet qui ad Galat. inquit, eos qui sunt sub lege maledicto esse obnoxios. Et ne isti dicerent, se quoq; fide uouere, suffragio huiusmodi eis intercepti. Non enim fide, id constare potest quod non habet uerbum dei, cui possit inniti. Quare cum ex Euangelicis literis uotum astrui non possit, ad illud nuncupandum humana ratione, aut si malunt instituto ceremoniarum ueteris legis incitantur. Ista sunt adeo clara, & perspicua, ut quicquid iste sophista otiosus aduersus ea modo cantillet (quod sanè dico, quoniam in tanta causa mihi uidetur nihil seriò agere) sit strophæ, & stipulis, & feno contexta. Sed facito, me dixisse, ut refers uota ista quæ iustitatis, non ex fide, sed ex lege fieri: quid hinc peccassem? Quæ fides in Christum homines impellit, iam sub Euangelio constitutos, & sacro baptismo tinctos, ut ceremonias ueteris legis iam abolitas resumant? Certè dicebat Paulus si circumcidamini, Christus uobis nihil prodest. Nò potest quisquam ex fide uouere, quum neque Christus, neq; Apostoli uspiam uota probauerint. Cum itaq; rationem meam sic protulerim, & explicauerim, quicquid modò tu adferas de antithesi inter illos, qui sunt ex lege, & ex fide, modò non suscipiam excutiendum: quia mihi non est animus, quæstiones ad causam istam non necessarias trahere. Hoc tamen unum dicam, te adeo in controuersia de iustificatione à uero dissentire, ut omnibus planè pijs facile perspicuū sit, te ne intelligere quidē, quid sit iustificatio.

Qui uouet
nidentur
uelle agere
sub lege.

Et tamen de re, quam funditus ignoras, non puduit te libellum scribere, cui nonnulli uolebant, ut ego responderem, quibus adhuc uolui acquiescere, partim quod non arduerit aduersum me nugae, uel potius blasphemias illas esse conscriptas. Accedat Petrus Martyr, qui fuerit Carthusianus, & dicatur Vermelinus, isque tibi se ἀνταγωνιστὴν exhibeat. Ego enim inter Carthusianos nusquam uixi, ut in Italia habeo infinitos testes, & hic in Anglia non paucos. Neque desunt in Gallia, ubi tu nunc agis, qui hoc nouerint. Verum ipse, quum sic mendacissimus, constituisti scribere cuilibet, quicquid libuerit. Ideoque mihi non es ueritus affingere genus uitae, à quo ego uixi tam alienus, quam tu à bono uiro longissime distas. Deinde, quae tua est sapientia ineffabilis, librum inscribis, contra tuum illum Petrum Martyrem, quem Lucensem facis, quum tamen ego sim Florentinus. Postea uerò in progressu disputationis omnium aliorum sermè dicta, & sententias, atque pro libidine citra iudicium exagitas, & nusquam aut sermè rarissime, tui eius aduersarij ullam facis mentionem. Putastine adeo bardos, fungos, & stupidos fore lectores, ut non intelligant, quae nunc edidisti, ea te longè antè multos annos malè consarcinasse? Quae ut es ineptus, atque stupore ipso stupidior, quum illa statueres, contra me scribere, non uoluisti ullo modo transformare, ut saltem speciem prae se ferrent aliquam, uel simplicibus, & imperitis, qua contra me scripta uideri possent. Eas igitur, & illum, quem finxisti, ἀνταγωνιστὴν tibi quaeras. Sed ad praesens negotium iam redeo. Vis fortassis ex me audire, quomodo hi, qui uouent, sint ex lege, quòue pacto illis accommodetur, quod Paulus habet ad Galatas, nempe maledictioni esse obnoxios, quòd sint ex Lege, quoniam ut ipse quoque fateris, ex Lege sunt, qui

Qui uouent
quare dicā
eurellē sūb
Legē.

Legem ipsam aggrediuntur exequi suis uiribus, ceteraque sic prestare nituntur, ut tamen neque gratia, neque Christo hæreant. At uotarios huiusmodi esse, inde perspicuè apparet, quod fide, aut gratia non possint ad uouendum impelli, quum in Euangelio iste cultus locum non habeat: neque instigari possimus, uel gratia, uel fide, ad ea facienda, quæ Deus uerbo suo non approbat, Vnde, quum isti, quoad hoc, fide non agant, sub nuda lege relinquuntur, & iure meritoque inter illos recensendi sunt, de quibus Paulus ad Galatas loquitur. Proinde iam constat, & istum uitiosè argumentum retulisse, & uerè illos, qui uouent, sub nuda lege, quoad hoc opus, relinqui, nisi dicere uelint, sciatum huiusmodi humanam traditionem absque scriptura, quum agant, sectari. Postremò erga Legem plus æquo illi affici demonstratum est, quòd ea, quæ libera esse debebant, & sponte seruari, quum fieri possit, atque sit ex re diuinæ gloriæ, necessitate uoti superinducta in præceptorum rerum naturam conuerterunt,

VIII. O B I E C T V M.

F. 6.

Porro quum niteris probare uota esse illicita, quia Paulus ait, quòd non est ex fide, peccatum est, Lutherum multarum hæresum Lernam egregiè exprimit, ac cum illo miserè detorques locum Pauli, à suo naturo sensu. Non enim hoc agit ibidem Apostolus, quòd nos somnias: nimirum quicquid nõ est ex fide theologica, quæ basis, & fundamentum est totius Christianismi, id esse peccatum: alioqui consequi oporteret legem Mosaicam esse peccatum, ut quam ille ad Galatas pronuntiat, non esse ex fide. Audi itaq; germanum illius Paulini loci sensum: nepe id uerti in scimen, ac uerè esse culpam morte æterna dignam, quòd molitur homo renitente seu refragante sua ipsius cõsciëntia. Differit enim Paulus ibi de esu carnium, quæ erant à Mose uetita, aut

idolis immolatae, volens persuadere Romanis, nullā esse omnino speciem carnis per se, ac suapte natura impuram: hominīq; Christiano licere vesci quibuslibet, modo id fiat citra imbecillis proximi offensionem, atque suae ipsius conscientiae renisum. Hinc est illud Agathensis synodi axioma: quicquid contra conscientiam fit, aedificat ad gehennam. Quod autem hic sit Paulinae mentis germanus sensus, non tantum ipsemet contextus, sed optimi quique interpretes dum eundem edisserunt locum perspicue ostendunt. Et mox: Quae ibi dixit Paulus, extra illius scopum, non sunt transferenda ad quidvis. Et mox: Jam obsecro te Petre egregie *καρὶ συνείδησι*, cordisq; cognitor, qui scis an vota nuncupentur Deo reclamantibus hominum conscientijs! Imò qua fronte aude illud de quo quam pronuntiare? quum quae sunt hominis, nemo sciat, nisi spiritus hominis, qui est in ipso, & solus Deus sit hominum cognitor: at conscientiae, in quis approbatio, vel improbatio, libet enim tuis utriusque verbis, quibus tum differens utebaris, ex Dei verbo tantum pendet, &c. Et mox: Veruntamen donemus fidei hoc Pauli loco in ea significantia debere accipi, qua Paulus usus est Hebr. II. & quoties de hominis iustificatione differit. Quid hinc, quaeso, consequi oportet? num nota esse vitio danda, quod non sint ex fide? Bella profecto obsecutio haec. Cedo mihi, obsecro, quomodo convincas, vota non esse ex fide theologica? Nonne te pudet ut ex tua officina, qui in Angliam concesseris, accitatus, & inuitatus salario non exiguo, assertum, & vindictatum Christianismum, tam elumbis, nec unis Anticyris digna, exiliat probatio haec? Et mox: Quin hoc quoque admonuisse non pigebit, turpiter per inscitiam hallucinari eundem Petrum Martyrem, & quotquot ex illo Paulino axiomate, Quod non est ex fide, peccatum est, colligunt omnium infidelis ac peccatorum opera, esse verè ac proprie in crimen vertenda. Nam inuerecundum ac frontis perfrictissimam hominem esse oportet, qui ethnicum, aut alium quemuis peccato obnoxium, peccare dicat, si proximo inopia oppresso, aut inedia periclitanti de vita, stipem elargiretur. Deinde verba isthuc Paulo fieri quis nescit, non de fide, quae primaria est virtus theologica, ac quae fundamentum ex extruendi aedificij spiritualis in hominis anima. Cor. II. 3. Hebr. II. Sed

de fide humanorū operum, aut dictamine conscientia
ut affatim supra est declaratum. Proinde cum confite-
incredulos ac peccatores multa ex fide, hoc est, ex con-
scientia recti honestiq; facere, falsum esse, est necesse, om-
nia ipsorum opera fieri non ex fide, id est, ad eū non
respondente, ac consentiente conscientia, ut illa recla-
met. Recine itaq; Petre Martyr, dum integrū est, quod
perperam, inconcinnè, ac malè haftenus cecinisti.

DEFENSIO.

Quamuis huc multa uerbose congeras, ut meum elu-
das argumentum, non tamen cum his omnibus laruis et
fictionibus te potes explicare. Paulus apertissimè loqui-
tur: & quicquid non est ex fide, affirmat peccatum esse.
Illius ego sententia hanc alteram addo: sed uota non sunt
ex fide, igitur sunt peccata. Quocunq; te torqueas, uel in-
nolis, ratio hæc perstat. Sed age, uideamus quid proficiat
sophismata. Fides hic, inquit, non accipitur à Paulo pro
theologica uirtute, quæ basis est Christianismi, & funda-
mentum totius ædificij spiritualis: sed hoc loco significat
conscientiæ dictamen uel assensum: & ne parum sibi cre-
datur, addit rationes, quare incitanda sit huius uocis signi-
ficatio. Primum quia nisi sic interpreter, Lutherum inuol-
tabor, qui est omnium hæresum Lerna, torquendo uerba
Pauli à suo natiuo sensu. Tanta fuit præstantia & facili-
tas tractandi sacras literas in Luthero, ut hic meo patro-
cinio non indigeat. Sed tu qui ei tam facile obstrepis mor-
tuo, sic persuasum habeto, ei non parum honoris ac dig-
tatis ex eo accedere, quòd à Thersitis & rabulis, quorum
turbæ tu uilissima pars connumeraris, conuicijs & in-
coaxatione proscindatur. Est iam eius gloria, disrumpta-
ris licet, extra inuidiam. Talem profectò uirum in uestra
Papisti hæresi, nunquam sol uidit, neque unquam (certū
scio) uisurus est. Illum tu dicis pro spurcitiæ tui oris, nau-
tarum hæresum Lernam: quem nos haud iniuria dicere
possimus

possumus pelagianismi atq; papatus, quibus duobus mon-
 stris tu impensissimè delectaris, fulmen terrificum, & in-
 uictum malleum. At non patitur iste locus, ut de illo uiro
 plura dicam: quem etsi non sequor in re sacramentaria,
 eius tamen iustas laudes nusquam obscuravi. Sed iam re-
 uertar ad institutum. Detorqueri Pauli locum à genuino
 sensu arbitratur iste, nisi fidei significationem sequamur,
 quam nonnulli confinxerunt. Videas lector, quam sit is uir
 peruersi iudicij, qui non putet uerum sensum & propriū
 haberi posse, nisi ab usitata uocum consuetudine deflexe-
 rimus. Et quia nos per fidē intelligimus, quod sancta scri-
 ptura & Paulus intelligit, contortores & peruersores lo-
 corum diuinarū literarum ab eo uocamur. Fides, inquit,
 non significat uirtutem theologiam, sed conscientie di-
 ctamen. His enim scholasticorum flosculis perlibenter uti-
 tur: sed iuuat hoc loco Protheum nostrum fortiter pre-
 mere, quò me certissimum faciat de hac noua fidei signi-
 ficatione: nam si scripturam non ostenderit euidentissi-
 mis locis hoc modo fidem usurpare, sic opinanti etiam
 si habeat consentientem expositorum turbam, qui, ut ho-
 mines erant, & labi potuerunt, & sepius lapsi sunt, nihil
 credemus. Neq; enim humani arbitrij est, ut iste sibi per-
 suadet, uerba Dei fingere ac refingere pro libidine, nisi
 omnia in scripturis uelimus redire ad Anaxagoræ philo-
 sophiam, ut ex quolibet fiat quodlibet. Vbi, inquam, uir
 doctissime, in sacris libris cōmonstrabis fidem significare
 conscientiam? uel, sicut loqueris, eius dictamen? Legas,
 queso te, priorem epistolam ad Corinth. octauo capite:
 ibiq; deprehendes Apostolum, cum ageretur de conscien-
 tia infirmorum non turbanda esu immolatæ carnis, nun-
 quam uocem fidei pro conscientia posuisse: uerum dixit
 perspicue, ac aperte: & nomine conscientie non semel est

Fides an si-
 gnificet cō-
 scientiam.

usus. Inquit enim, nonnulli uerò cum simulachri conscientia, usq; ad hoc tempus, tanquam simulachris immolatum edunt: & cōscientia illorum cum sit infirma, pollutur. & paulò post: Si quis conspexerit te, qui habes cōscientiam, in epulo simulachrorum accumbentem, nōne cōscientia eius qui infirmus est, edificabitur ad edendum? & deniq;: sic autem peccantes in fratres, & uulnerantes cōscientiam illorum infirmam, in Christum peccatis. Ex his agnoscere potes Paulum uoce conscientia cum fuerit opus familiariter uti. Atq; hunc locum præcipuè adduxi, quoniam sermè ibi tractat eadem quæ ad Romanos disputabat, cum ea scripsit, de quibus agitur in præsentia. Quare cum sint loci consimiles, sicut in uno nō abhorruit à uoce conscientia sæpius repetita: ita nō est uerisimile, quod in altero pro eo nomine substituerit fidem. Vnde quousq; mihi non probabis Apostolum tali consueuisse uti significatione, fidem asseuerabo hic propriè usurpatā. Neq; mouet, quòd scribis esse cōsectarium, si fides hic propriè sumatur, Mosaicam legem peccatum esse: quoniam ea, ut Paulus dicit ad Galatas, non est ex fide. Declarat opposita ista connexio quam inducis, ut nihil intelligas, quid Paulo sit, legem non esse ex fide. Ponas tibi aliquantisper locum illum quem citas ob oculos. Eo capite uoluit Apostolus demonstrare nos ex lege non iustificari, quoniam Propheta inquit: Iustus ex fide uiuit: & statim subdit: Lex autem non est ex fide. Ac si diceret: Lex non proponit nobis iustitiam, & uitam ex fide, sicut Propheta, quem iam adduxi: sed si opera præstiterimus, quæ in ea scripta sunt. Iustitia uerò, quam habemus per Christum, de qua Propheta uaticinatur, est ex fide. At lex & iustitia eius, quam promittit, ex operibus est, & non ex fide. Hoc Paulus eo loco uoluit, conclusitq; nos ex lege non iustificari, quòd

Quo pacto
intelligatur
Legem
non esse ex
fide.

ri, quòd ipsa non sit contenta fide, sed perfectam absolutamq; operum à se descriptorum perfectionem requirit, ad iustitiam suam obtinendam. Quòd nos prestare cum minimè ualeamus, id superest, ut ex fide iustificemur, quemadmodum Propheta dixerat: Hic est germanus loci ad Galatas, quem induxisti, sensus. Et ad hæc, libenter dabo legem ipsam, hoc est, opera ibi descripta, si eis ademeris fidem in Christum, quemadmodum tum temporis Iudæi, contra quos Paulus disputabat, ademerunt, (nam erant Christi persecutores) esse peccata. Et constantissimè affirmo, quòd tu pro absurdissimo mihi obijcis, neq; cum omnibus mei similibus in eo foedissimè hallucinari asseris, quòd omnia opera, quæ absque fide in Christum fiunt, arbitror esse peccata. Quandoquidem omnis actio, cui deest conditio necessariò requisita, à scopo, & à iusto fine aberrat, atque ideò peccatum est: quòd sanè definitur, non esse aliud, quam sic aberrare. Homines uerò astringi æterna lege omnia sua opera in gloriam Dei, & Christi per fidem dirigere, palàm scriptura testatur. Quare opera infidelium iure dicuntur, & sunt peccata. Neque solus ego, & mei similes, ex illa Pauli sententia, Omne quod non est ex fide peccatum est, colligimus, opera infidelium esse peccata: sed idem nobiscum Augustinus contra Iulianum maxime contendit, ac fortiter conficit. Neq; te iuuat particula illa, propriè aut uerè quam addidisti: cum inquis nos falsò existimare opera infidelium esse uerè, ac propriè in crimina uertenda. Etenim nos ea idcirco uerè proprièq; dicimus peccata, quæ à fine iustitiæ in scripturis pposito aberrant. Oportuit ergo te probare, opera illa nõ deficere à recto scopo, & ex necessitate requisito in actionib. humanis, si demonstratū cupiebas, nos, ut fingis, adeò hallucinari.

Quæ sunt
circa fidem
Christi sūt
peccata.

Augustinus.

Sed interim uideo te non posse à mentiēdo temperare: quandoquidem talia opera nusquam crimina, sed tantum peccata diximus. Te uerò tantum theologum discrimen inter peccatum & crimen latere non debuit. Quod si nosti, et uolueris abuti uocibus, quo magis grauaremur, uilitiam & fraudem satis prodis. Niteris præterea demonstrare, fidem in isto Paulino contextu significare conscientiam: quòd sit Apostoli mens docere, nullam speciem carnis per suam ipsius naturam immundam esse, modò absque offensione infirmorum comedatur, & ipsius comedentis, ut eleganter loqueris, conscientia renisum. Me uerò non latet, Apostolum uoluisse, ciborum quantilibet naturam esse mundam, & cauendum ne infirmi offendantur exemplo: et, ne quid contra fidem agatur. Neque propter ista oportet ut significatio fidei trahatur ad conscientiam. Est enim facilis & aperta interpretatio, si dixeris, quando credimus ex uerbo Dei persuasi, aliquem cibum esse mundum, licet ipsum usurpare. Dum uerò ita non credimus, neque uerbo Dei sumus persuasi, comedendo peccabimus, quoniam illud opus ex impulsu ueræ fidei non proficiscitur. Certè, ut paulo antè dixi, Paulus hoc loco si uoluisset conscientiam significare, uocabulo eius fuisset usus: sed Romanos docere studebat, non esse satis ad peccatum euitandum assensum cuiusuis conscientia: nam permultæ sunt admodum peruersæ, & ut uulgò à uobis dicitur, erroneæ. Et uideas per sepe aliquos nonnulla praua committentes, quæ praua esse illorum conscientia non iudicat: nec tamen propterea peccatum effugiunt. Sed tunc recta & iusta fieri à nobis Paulus ostendit, quando conscientia fide uerbi Dei munita, & bene instructa non reclamatur, sed potius ad opus efficiendum impellit. Ex his iam, ut arbitror, uides, Apostolum per fidem non intellexisse

Differunt
peccatū &
crimen.

Assensus cō
scientiæ nō
est satis ad
euitandum
peccatum.

xisse conscientiam, sed ipsissimam fidem, qua cuiusque nostrum animos, & conscientias regi oportet, cum aliquid faciendum suscipimus. Neque repugno Agathens. Concilio, dum ait, quicquid contra conscientiam fit, ad gebenam edificat. Hoc etenim philosophi & ethnici dicerent. Noster uero Paulus altius philosophatur, & cum fidem nominat, sane conscientiae curam firmamque regulam demonstrat, extra quam quicquid egeris, licet millies conscientia tua consentiat, peccaueris. Quod si satis esset nostrae rationis, & conscientiae regula, quid opus fuit legē, & diuinam scripturam hominibus dari? Non ad conscientiam seu rationem Deus nos remittit, sed ad uerbum suum, quando consilium de fugiendis, aut expetendis in nostris actionibus ineundū est. Proinde tua metaphora, qua contendis, fide significari conscientiam, non illustratur Apostoli sermo, uerum potius obscuratur, corrūpitur, atque torquetur. Quamobrem oro te, scripturam sinas, natua et simplici uerborū significatione uti, quo ad analogia fidei, & alia scripturae loca non te ad tropum adigant. Neque facile dimouearis a dilucido planoque sensu diuinorum sermonum, auctoritate quorumuis interpretum, aut conciliorum. Quis praeterea non miretur, adeo te cōfidere, atque insolescere, quasi optimam habeas causam, ut mihi te fingas donare, Paulum de theologica fide, quae scribit, intellexisse: atque dicas, nihil inde adhuc haberi, quod pro me faciat cum non sim *ναρδιωπώστος*: & scriptura dicat, nenuñ ea nosse, quae sunt hominis, nisi spiritum hominis, qui est in ipso? Primum hic moneo, nil te mihi donare, quod non prius ratione firmissima obtinuerim: fidem, inquam, proprie ac simpliciter a Paulo accipi: deinde ut colligā, Vota ex fide non esse, quid opus est, ut sim conscius cordium? uel ut cognoscā ea, quae sunt spiritus hominis? Haec non

Agathens.
concilium.

ad me, sed ad Deum pertinent. Facito illos, qui uouent
 quam pulcherrima, & speciosissima hypocrisi, dum uo-
 uent, suum animum componere, quasi ad id solo deside-
 rio nominis, & honoris Dei, adducantur: an propterea
 ex fide uouebunt? Hæc est uestra pietas, ut in his, quæ
 agimus, tantum humanus animus, ratio, uel, ut dicitur
 conscientia respiciatur, nulla uerbi Dei ratione habita.
 Nos uerò ubique constantissimè asserimus, nihil ex fi-
 de ab hominibus agi, nisi, quod faciendum suscipiunt,
 ex diuina scriptura commendetur. Et quia, ut iam se-
 pius dixi, neque tu ualueris contrarium probare, scri-
 ptura sancta in Nouo Testamento nusquam uouendi ri-
 tum tradidit, idèò, quoties uouemus, id absque fide con-
 tendimus fieri. At hoc itaque, ut, quod agimus, & iustum
 sit, & Deo placeat, duo requiri necessariò intelligentia
 est. Primum ut scripturarum autoritate genus illud
 operis approbetur: deinde, ut animo sincero ac recto fi-
 at. Vtrum istorum actioni defuerit, caret fide, quæ illius
 & anima, & uita dici potest. Sed uos ab hac orthodoxa ue-
 ritate, plusquam ab angue abhorretis: & dicitis, ut iam
 modo scribebas, multa rectè fieri à peccatoribus, & ab
 ethnicis, ex fide, hoc est, ex conscientia, recti atque ho-
 nesti: ita ut scripturæ diuinitus inspiratæ non sint uobis
 ad rectè uiuendum usque ad eò necessaria, & quibus ue-
 luti dicit Paulus ad Timotheum reddamini ad omne opus
 bonum instructi: postquam multa sunt bona opera, quæ
 ut à uobis rectè fiant, ut habeatis conscientiam recti &
 honesti sufficit, quamuis nulla fide, spe, aut charitate,
 in honorem & gloriam Dei nostri dirigantur. O plus-
 quam Palagianà capita. Pelagius ipse non est infidelis
 ad rectè agendum, saltem opus esse illustratione mentis
 per legem Dei, atque scripturas, quæ gratiam appellabat.

Duo exi-
 gunt ad no-
 strarum a-
 ctionū ue-
 rā iustitiā.

• Pelagius.

Istis uerò ad hoc ut eleemosyna iusta sit & recta, satis superque est ut conscientia boni atque honesti sint præditi. Videbitis aliquando, mihi credite, atque uestro magno malo sentietis, quemadmodum opera uestra se tueri poterunt in Dei iudicio ista conscientia recti & honesti. Quamquam & ipse haud negauerim, grauius ethnicos & peccatores damnandos, nisi eam saltem secuti fuerint, neque ut ad Romanos gentes accusantur, egerint contra quam natura lumine faciundum iudicauerint. Hoc tamen non est satis ad euitandum peccatum, cum ad sanctitatem nostrorum operum, quæ à Lege Dei exigitur, altius principium, quam sit humana ratio, aut naturalis conscientia requiratur. Porro non potuisti esse tam hebes, quin uideris rectis sanisque iudicijs non satisfactura quæ dixeras. Etenim undiq; sese produnt, quam infirma sint, & parum sana. Quare inops consilij ad aliam responsionem æquè arundinè te conuertis. Quæ ibi dixit Paulus, inquis, non extra illius scopum transscrenda sunt ad quiduis. Hic dilucidissime te prodis non esse dialecticū, sed ut ego, & cordati homines passim mecum dicunt, sophistam. Quomodo non agnoscis, Paulum suæ argumentationis propositionem priorem constituisse, quemadmodum oportet in uero syllogismo, uniuersalem? Cum dicit, Omne quod non est ex fide peccatum est? cui statim altera subiicitur: sed infirmus, qui adhuc non multa cognoscit ex scripturis, si exemplo tuo comedat, absque fide comedit, igitur peccat. Verba uerò Pauli sunt, qui diiudicat, si ederit, condemnatus est, quoniam non edit ex fide. In hac argumentatione minorem pulchrè habes priori loco positam, & postea maiorem: ut apud bonos scriptores fieri sæpissimè cernitur. Quare si debuit illa uniuersalis propositio, Omne, quod nō est ex fide peccatū est

instituto Apostoli rectè seruire, necessarium est, ut idem
 semper conficiatur, quoties aliquid subiicitur, quod ex
 de non fiat. Alioquin & paulo negari potuisset sua con-
 xio, tanquam non legitima, ut in qua propositione uni-
 uersali uteretur, quæ re uera non esset uniuersalis. Exem-
 plo tibi sint Apostoli, qui dum in scriptis Euangelicis quæ
 uobis reliquerunt, uetus testamentum adducunt, si ea te-
 stimonia expendantur probè, sæpè illos deprehendes, ab
 hypothesi ad thesin ascendere: & quæ ibi de priuata, &
 singulari quadam re interdum pronuntiantur, ad omnia
 membra Christi uidebis utiliter, atque prudenter accom-
 modari. Interrogatur Christus de diuortio, & respondet
 per uerba, quæ circa Genesios initia scribuntur. E at nite
 Smytheus, & dicat: Domine Iesu, illa fuit oratio, quam
 habuit Adamus de uxore sua Heua: ideo non oportet
 illam extra scopum historie trahere. Rogatus
 dem ieruator noster de resurrectione, ait: Ego sum De-
 us Abrahami, isaaci, & iacobi. Dicat illi similiter
 de illis tribus patriarchis quando sermo instituitur:
 Quid tu magister extra propositum & Moseos, & hi-
 storie illius applicas hæc ad omnes defunctos? Atque
 ita nihil ferè licebit ex scripturis conficere. Nam sem-
 per dicetur, iste locus tantum inseruit isti rei, de qua
 tum scribebatur. O præclaram theologiam. Si quid ad-
 ducatur dictum Abrahamo, Apostolis, aut Dauidi, aut
 alicui prophete, nostris rebus id nihil inseruiet. Disce
 tandem, disce saltem ista ætate, aliquid sanè iudicare.
 Sunt quidem nonnulla in scripturis, quæ non licet in e-
 xemplum trahere, aut aliò transferre: quòd priuati sunt
 aliqui diuini affiatus, quorum exempla si uelit alius u-
 surpare, pugnet cum mandatis à lege in uniuersum
 præscriptis. Vbi uerò tale periculum non imminet,
 quisque

Scripture
 sancte utili-
 ter ab hi-
 pothesi ad
 thesin ascen-
 dunt.

quisque quod ad rem suam presentem facit, debet ex scripturis elicere. Quanto magis hoc loco id faciemus, quum a Paulo propositio adducatur uniuersalis, sub qua ille sumit, quod idem est fere, atque id quod nos accipimus? Qui fit, ut si responsiones priores frangebant, hæc postrema concreta sit, atque tota frigore congelari. Exprobras mihi ad hæc, quod ex mea officina tam elumbes rationes prodeant. At ne posthac erres, te moneo, sanos theologos non opus habere officinis ad aliquid fabricandum, quum in armamentario scripture uideant satis superque telorum sibi esse ad hostes ueritatis conficiendos: propterea paratis armis à spiritu sancto, libenter utuntur. Vobis, inquam, opus est officina Vulcani, in qua diu noctuque una cum Cyclopibus, qui tantum uno oculo rationis humane utuntur, arma inuentionum humanarum, sophismatum, traditionum, stropharum, & captiunum uobis fabricamini, ad mendacia tuenda, quæ suscepistis, magno cum uestro dedecore, atque scandalo Ecclesie propugnare. Deinde, quasi sis Latini sermonis acerrimus uindex, ita me rides. At conscientie approbatio, uel improbatio: libet enim, inquis, tuis uti uerbis, quibus tu differens utebaris. Quid te hic offendit, approbatio, & improbatio? At istarum uocum apud bonos auctores est usus. Nunquam ego mihi politam elegantemque orationem arrogauit, non quod eam in alijs, aut uituperem, aut improbem. Donum quippe Dei preclarum, & insigne, quid ego damnare ausim? imò sepius uita mea orationis incultæ sum deprecatus, & dolui quandoque mecum, quod ea facundia, & eloquentia, qua merentur tractare sacra, non queam. Fui tamen semper adeo facilis erga theologos, ut in eis ueritatem, cum primis, & pietatem spectauerim in sacris literis interpre-

tādis: orationis uerò cultū, nō adeo morāer, sed certe in
intererat, quādo tam magnus es Ciceronianus, & musical
uocum in alieno sermone captas, in tuis cōpositionib. &
uerbis non adeo lutulentum fluere. Sed quia pudet me
his tecum agere, unum tantum dicam, ut prius tuos barbaros,
ē sinibus Romanis exulare facias, & postea ciues anti-
quos pellas ex urbe, si Censoribus uisum fuerit. Postea tibi
sis à uerborum examine, ad seria, consulisque satis gra-
ter, ut dum integrum est recinam. Verūm mihi est difficile
quod suades: si quidem nondū didici παλινοδια: ab-
fortasse doceri possem, qui recitationibus non semel affe-
uisti. Fortasse dixi: quoniam sensi te recitando nonnunquam
errasse, ita, ut alia palinodia rursus opus fuerit. Attamen
credote adhortari alios ad recitationē, ut socios permi-
tos uidearis habere inconstantia ac leuitatis, non quod
tua papistica dogmata multum tibi sunt cordi, ut qui ad
Papam ab Anglis, & ad Anglos à Papa centies in quar-
que horam sis paratus transfugere, modò fortune me-
lioris aliqua spes affulserit. Abeas igitur, quò dignus
es, cum tuis recitationibus, ad quas necessarium est,
ut frequenter adigamini, quotquot hominum traditio-
nibus, quæ inconstantissimæ sunt, nitimini. Qui autem
uerbo Dei, quod æternū durat, adherent, nequaquam
omni uento doctrine, quemadmodum tu, atque tuæ fa-
rine homines, agitantur. Quid autem inter piæ D. Au-
gustini retractationes intersit, atque tuas palinodias, ne
illo pretextu, uel exēplo te defendas, liquidò patefacere,
si locus ferret, ut nūc ea de re agerē. Sed spero facile uis-
ros id esse per seipsos, qui falsa possunt à ueris diiudicare.

IX. O B I E C T V M.

E. 8. Iam illud Pauli ad Colossenses 2. ubi appellat ille ri-
tus Mosaicos Græcè ἰδ. τοῦ νομίμου, hoc est, superstitionem,

nem, uoluntarium cultum, aut spontaneam religionem quam indocte, impudenter, ac impie detorquet iste aduersus uota Euangelica. Quod de obseruatione caeremoniarum ueteris Legis, id debeat intelligi, uel solum perlegentem caput illud fugere nequit: quippe, quod in eo differitur de ciborum delectu, obseruatione feriarum, quae sunt umbra, inquit Paulus, futurorum, ut indocti, ac impij fuerit hominis ea detorquere, contra ieiunia indicta à proceribus ecclesiae, & Christianas ferias: quod fecit Ioannes Caluinus in suo antidoto, imò ueneno potius, contra Tridentinum concilium. Quis enim dixerit, umbras hæc esse rerum futurarum, qui sacras literas, uel à limine salutauerit unquam? Deinde attexit ibidem Paulus mentionem luculentam aliarum caeremoniarum Iudaicarum, inquiens, ne tetigeris, ne gustaueris, ne contrectaueris, &c. Ac è uestigio subiungit, uocabulum illud, quo abusus est Petrus iste Martyr contra piorum uota. Nam sic habet illico Paulus, quæ sunt quidem rationem habentia sapientiae, in superstitione. Græcè etenim est *ἡ ἀλογιστία*, hoc est, in libero cultu. Licet non inepte, nec male habeat uerus traductio, in superstitione. Quandoquidem ritus ipsos Mosaicos obseruare, postquam Euangelium Christi prodierit in apertum, perinde est, ac si sine horum obseruatione, nemini pateret in caelum aditus, quid aliud fuerit, quam superstitio ac uanus, imò noxius Dei cultus? Proinde quanta est impudentia, imò potius indocta impietas, hoc tam dilucido abuti loco, contra uota piorum hominum, quibus colitur Deus?

DEFENSIO

Duo hic mihi faciendâ uideo, primum, ut Apostoli mentem in eo capite secundo ad Colossenses, breuiter atq; succinctè attingam: deinde ut demonstrẽm ad uota quoq; de quibus nunc agimus, illa *ἡ ἀλογιστία* pertinere, de qua Paulus tum scripsit. Voluit citra controuersiam in eo capite Apostolus ab his omnibus asterrere Colossenses, quæ à Christo possunt homines alienare. Ea uerò non tantum erant obseruatio utrumq; caeremoniarum legis Mosaicæ, sed etiã, quæ eũq; hominum uanitas, & uersutia excogitabat,

Locus Apostoli ad Colossenses.

uel subinde à Philosophis, & sapientibus huius mundi ac-
 cipiebat, & ab initio primi capituli illius epistolæ propo-
 suit Paulus non tantum circūcisionem iam nos habere, nō
 manu factam, uerum, & inanem philosophiam depra-
 ri animos. Accirco in processu epistolæ, utrunq; eorum pro-
 sequitur, & non tantum, ut fingit Smythæus, cæremonia
 ueteres exagitat, sed etiam quæcunq; alia citra uerbum Dei
 hominum inuenta damnat, quæ prætextu diuini cultus in-
 uehuntur, quamuis & speciosa, & pulchra sint humana
 rationis iudicio. Sed ut hæc dilucidiora fiant, ad singulas
 capituli partes descendamus, quas erit satis, ut lectori, et
 oculos tantummodo ponam: quia in illis facile uidebit, quis
 quis iudicio penitus non caret, quæ ibi dicuntur, non om-
 nia esse referenda ad ueteris legis cæremonias. Primum a-
 cit, Videte, ne quis uos depraedetur per philosophiam, &
 inanem deceptionem, iuxta constitutionem hominum, iux-
 ta elementa mundi, & non iuxta Christum. Hic ritus tra-
 xantur per philosophiam inuecti, quam manifestissime:
 quorum naturam qui uelit intelligere, Augustinum legat
 De Ciuitate Dei, ubi multa contra Porphyrium habet,
 qui purgationes per sacrificia, & familiaritates demo-
 num instituebat. Neque nos latet, ut suis Pythagoras iusse-
 rit non uesci carnibus, fabis, ouis, & c. Postea quoque
 reprehendit Mosaicarum cæremoniarum obseruationem
 quum inquit: In quo & circūcisi estis circūcisione, quæ
 fit absque manibus, & c. Volebant enim pseudoapostoli ob-
 trudere circūcisionem esse necessario retinendam, ut pa-
 tet, & ad Galatas, & ad Philippenses. Abrogationem ue-
 rō legis, præsertim, quoad cæremonias, postea, his uerbis
 attigit: Deleto quod aduersus nos erat chirographo, quod
 erat contrarium nobis per decreta, illud sustulit è medio
 suffixum cruci, & c. Pergit adhuc de cæremonijs: ne quis
 igitur

Augustin.

Pythago-
ras.

igitur uos iudicet in cibo, aut potu, aut in parte diei festi, aut nouilunij, aut sabbatorum, quæ sunt umbra rerum futurarum, corpus autem Christi. Quod uerò postea sequitur, minime ad ueteres cæremonias attinet, sed potius ad superstitiones, uel à scribis, & pharisæis, in suis traditionibus inductas, uel (ut potius ego suspicor) ab Ethnicis, & philosophis, ut superius dicebam, inuectas. Dicit enim: Ne quis uobis palmam interuertat, data opera, per humilitatem & superstitionem Angelorum, in his, quæ non uidit, fastuose incedens, frustra inflatus à mente carnis suæ, nec obtinens caput, & c. Hic dicat nobis Smythæus, quas superstitiones, ac humilitates Mosaicæ cæremonie erga angelos habuerint. Certè in tota lege ueteri nihil de cultu angelorum scribitur: quare necesse est hæc aliud respicere, quam ritus Israeliticos. Pergit adhuc, & inquit: Itaque si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid quasi uiuentes in mundo decretis tenemini? Ne tetigeris, ne gustaueris, ne contrectaueris: quæ omnia ipso pereunt uel secundum præcepta, & doctrinas hominum, quæ uerbotenus quidem habent speciem sapientiæ, per superstitionem ac humilitatem animi, & lesionem corporis, non per honorem aliquem ad expletionem carnis. Quis non intelligat hæc omnia non posse respicere legales cæremonias? quando quidem in illo discrimine ciborum Mosaicorum nulla subibatur lesio corporis, ita, ut ei non haberetur honor, ipsum sustentando, aut carnem exhaustam non replendo commodis, & idoneis alimentis. Pauci enim admodum erant interdicti cibi. Imò dixit semel in Leuitico Deus, ut carniuum tantum comederent, quantum desideraret anima eorum. Propterea necessarium est ea, quæ hic dicuntur, alios ritus, & inuenta hominum spectare, ob quæ corpus humanum insigniter læderetur, ut ca-

ro ieiunij, & abstinentijs hypocriticis conficeretur, & deo que fatendum est, Paulum simul coniungere, quae eunque absque uerbo Dei, siue Gentes, siue Iudei uolebant admitti, & recipi, ab Ecclesia Christi, ut ritus, & cultus diuinos, quantacunque id niterentur eloquentia, philosophia, & uerisimili ratione. Ab his omnibus simul Apostolus reuocat, ut Christum unum, ut summam totam, caputque nostrae salutis, praedicat. Neque Paulus his uerbis Legi a Deo latae maledicit, aut detrahitis, siquidem fuit suo tempore necessaria: neque philosophiam honore suo, & dignitate spoliatur. Contemnenda quippe non est, modo sese intra suos fines contineat. De natura disputet, item de Deo, quantum ex rebus creatis maiestatem eius, & uim indagare potest. Hostiamen ei non concedatur, ut pro suo cerebro, & inuentis, Dei cultum instituere nitatur. Solus ipse Deus in his est audiendus, colendusque, ut ipsemet praecipit, non ut hominibus, aut commodum, aut speciosum uideatur. Porro ex his, ut arbitror, liquet, Smythæum iniuriarasci, uel Caluino praestanti, nobilique nostrorum temporum sacrarum literarum expositori. Si haec papisticis ieiunij, delectuique ciborum accommodat, uel mihi, licet alijs de causis ei odio sim, si ad Vota, praesertim caelibatus, & monastica, quae in eo capite a Paulo traduntur, refero: quum haec omnia figmenta sint hominum, testimoniumque uerbi Dei non habeant. Deinde, si adeo staret sententia eius, de Mosaicis ritibus abrogatis ista esse intelligenda, ea causa me reprehendere non debuit, qui uouendi ritum, contendam, Iudaicam esse caeremoniam, quae apud Christianos hodie locum non habeat. Quocunque igitur se uertat, immemoro mecum de his uerbis Pauli digladiatur. Attamen, ut

omnia

omnia, quæ ibi dicuntur ab Apostolo, sciat non esse intelligenda de iudaicis ceremonijs, iuuat aliquos ex Patribus ascribere, quibus ille tantum tribuendum censet, ut scripturam sanctam putet ad illorum amussim dime-tiendam, non è diuerso, eorum sententias scripturæ norma examinandas. Chrysostomus illic habet iuxta tradi-tionem hominum, iuxta elementa mundi, & non iuxta Christum. Tandem correptionem attingat, propter obser-uationem dierum, Solem & Lunam uocans, quemadmodum in ea, quæ ad Galatas est, dixit: Quomodo denuò con-uertimini ad infirma, & egena elementa? Non dixit au-tem iuxta dierum obseruationem, sed totum omnino præ-sentem mundum inuoluit, ut uilitatem ostenderet. Si enim mundus nihil ualeat, multo minus ualebunt ele-menta. Et mox: Conuersis primùm Gentilibus obserua-tionibus, tunc & iudaicas aufert. Nam plura obserua-bant, & Gentes, & Iudæi, sed illi quidem ex philoso-phia, isti uerò ex lege, & c. Iam ista declarant satis atque abundè, non omnia, quæ ibi perstringuntur, ad legales ce-remonias pertinuisse, ut iste sibi fingit. Hæc habet Chry-sostomus, quæ iam retuli, homelia sexta. Verùm postea in septima subdit, interpretando illud in humilitate, & su-perstitione angelorum: Sunt nonnulli qui dicunt non o-portere per Christum reconciliari, & ad patrem ac-cedere, sed per Angelos, & c. Istamne opinionem tri-buet Smythæus Veteri Legi Moisis? Cedat locum, Vn-de tantum nephas colligat, quem si dare non possit, fateatur liberè, hic reprehendi hominum inuenta, quorū-cunque illa fuerint. Et mox idem Chrysost. ibidem, In his quæ nõ uidit incedēs: Angelos enim, inquit, nõ uidit, & ta-mè ita afficitur illorū superstitione, ac si uidisset, & c. Atq; rursus, iuxta præcepta, & doctrinas hominū. Quid dicis?

Chrysostr.

inquit: Etiam si Legem obijcias, ea tamen ipsa iam deinceps humana doctrina est, elapso uidelicet temporis sui prescripto: aut hoc ideo dicit, quod illam corrumpentibus, aut traditiones Græcorum taxat. Totum, inquit, humanum dogma est, & c. Verbotenus, inquit, non efficacia, non ipsa ueritate. Itaque etiam si sermonem sapientiae habueris, auersamur. Videtur enim talis religiosus, quidem esse, & modestus, corpusque contemnere. Non aliquo honore, ad expletionem carnis: Deus enim corpori honorem suum contribuit, ipsi uero illo non cum honore utuntur. Ita solet enim quando dogma attinet. Ignominia, inquit, carnem afficiant, priuantes illam honore debito, & potestatem concessam auferentes: nec permittentes, ut spontaneè illi imperetur. Carnem Deum honestauit, & c. Hæc ex Chrysostomo retulisse sit satis. Nunc aliquid ex Ambrosio licet colligere, quo magis iste uel ex suis ipsius testibus, se falsum intelligat. Exponit illud, in humilitate animi, & superstitione Angelorum, & ait: Quod superius sub nomine philosophiae cauendum monuit, nunc apertius docet obseruandum, ab his, qui terrenæ sapientiæ studentes hæc colenda asserunt, quæ obtutibus adiacent, uel apparent, ut horum detentæ culturis animæ sub firmamento teneantur obligatæ, ne se supra firmamentum tendant ad superiores cælos, ad Deum omnium adorandum, & c. Dic obsecro Vbinam Lex Dei præcepit in Veteri Testamento, ut uisibiles creaturæ adorarentur, quod hic reprehendi asserit Ambrosius? Et mox: Rursum de Iudeis dicit, quia & ipsi sub elementis seruiunt, non elementis. Hoc loco de paganis. Et post hæc: Usus enim culturæ ipsorum interitum generat, quia præcepta, & doctrinæ nõ Dei, sed hominũ sunt, in quibus uana spes est: quippe cum ea aduersus

Ambrosio

sus creatorem inuicit error humanus, ut prohibens ab
 unius Dei fide, multorum deorum superstitionem indu-
 eat. Et mox: Hinc se sapientia rationem habere putant,
 quia traditioni humane nomen religionis applicant, ut
 religio appelletur, cū sit sacrilegiū, &c. Ex his iam ma-
 nifeste apparet, quā iste sine iudicio, & insanē Calui-
 num, & me prosciderit, cum sui iudices sacrosancti illum
 condemnent, & eum locum Pauli non in uniuersum de
 ritibus Mosaicis doceant intelligendum. Ignoscat hoc lo-
 co mihi lector, quod præter institutum sim eum remo-
 ratus in adducendis Patribus, cū decreuerim certo quo-
 dam loco de his agere, nimirum, quando meam assertio-
 nem ab isto rabula, scripturis, & rationibus firmissimis,
 & solidis defendissem. At nunc uideor quodammodo nõ
 stesisse pactis: quod certè fateor non debuisse fieri, cum
 talia sim præfatus. Sed, ut uerum dicam, temperare mi-
 hi nõ potui, cū istum sentire a deo petulāter de hoc loco
 Pauli nobis insultare: cū tamen & ipsam uerborū conte-
 xtum, & Patres contra se habeat? Quare si uocaui: *de-
 rogans* Vota uestra, rectè feci: quia ex uoluntate
 humana, non ex uerbo Dei cultum uouendi nunc usur-
 patis: & per uestram paupertatem, obedientiam, ie-
 iunium, & celibatum, quæ uouetis, corpora ignominia
 afficitis, & suo destituitis honore.

X. O B I E C T V M.

Nec minori impudentia, & impietate asserit, obniti F. 8. & G. 1.
 uouentes legi diuinæ, quod suas traditiones obseruent.
 Nam quod attinet ad uotorum nuncupationem, homi-
 nis non est traditio uouere, sed consilium Christi, &
 Pauli. Quoad redditionem eorundem semel Deo nun-
 cupatorum, præceptis Dei obstricti tenentur uouentes,
 ut quæ uouerint, persoluant: iuxta hos locos scripturæ:
 Cui uotum uoueris Domino Deo tuo, non tardabis

reddere, &c. Redde altissimo uota tua: Vouete, & reddere dice Domino Deo uestro, omnes qui in circuitu eius offeritis munera. Si quid uoueris Deo, non moreris reddere: displicet enim ei infidelis & stulta promissio: sed quodcunque uoueris, redde. Celebra Iuda festiuitates tuas, redde uota tua. Ruina est homini deuozare factos & post uota retractare. Prætereo multos huius generis locos, qui conuincunt necessariò debere uota Deo nuncupata semel reddi. Euasit satis itaq; perspicuum, uouere non esse reniti diuinæ legi, quò contra eam statuantur ullæ hominum traditiones, &c.

DEFENSIO

Mirum est, quomodo negare audeas, uota nunc esse habere manas traditiones, sed ut cõsilia Christi & Pauli affirmes habenda: cum neq; Christus, neq; Paulus ullam eorum mentionem usquã faciãt. Consulunt quidẽ his, qui possunt ut celibes uiuãt, aut uirgines, ad regnũ celorum promouendum. Voti aut neuter eorũ uerbũ alicubi fecit. Multa sanè loca citat Smythæus de uotis nuncupatis feliciter persoluẽdis: at nullum ex nouo Testamẽto adducit, de quo tãtum in præsentia cõcertamus. Quis unq; illi negauit fuisse uota persoluẽda, modò iusta essent, quando facultas uouendi fuit integra, & ratione temporis in usu mansit? Ideo autem ego dixi, eos, qui hoc pacto uouisse se diuinæ legi subducere, quoniã si uideris quempiam sacrificium, aut monachum impudẽter scortantem, illumq; monueris ut desistat, uel si non potest continere, ut uxorem ducat, iuxta præceptum à Deo per Apostolũ promulgatum, statim respondet, id sibi non licere, quòd ad celibatium sint astricti per uotum. Si ego hinc mētor, neque talia responsa unq; dantur bene mouentib; argui non recuso. At si frequẽter hoc accidit, Smythæum concedere oportet, se pharisæum esse, qui hominum traditiones uelit plus ualere, q̃ diuinam legem. Certè negare nõ poterit.

terit, Deū mandasse parentes honore afficiēdos: filiosq; astringi diuino praecepto, ut illis obediant. Cuius māda-
 ti si admonueris iuuenem, qui parentibus inuitis mona-
 sterium sit ingressus, & Abbati uouerit obedientiā, nōn-
 ne respondebit, & quidē piē, si Smythæo credimus, iam
 uoti religione se impediri, ne patri obtemperet? Quid
 est igitur, propter humanas iraditiones legem Dei con-
 temnere, si hoc non fuerit? Proinde hīc humana temeri-
 tas bis decipitur. Primū in eo, quod iudicat uota, de his
 nūcupata, quæ Deus prohibuit, firma esse, cum nullo
 unquam tempore fuerint rata: quemadmodum est, non
 obedire parentibus, & calibem uiuere, si continere ne-
 queas: Deinde, quōd eo tempore uouere audet, quando
 iam genus illud cultus diuini est abolitum.

XI. O B I E C T V M.

Si dixeris mihi, quod Lutheri cum sis mysta, & disci-
 pulus, dicturum te nihil dubito, neminem absque Dei
 haud vulgari dono posse continentiam colere, & tueri, C. 2.
 tecum hoc nomine digladiari non libet: quando non
 sum nescius libro Sapientie hoc prodi nobis axioma, &
 proloquium. Nemo potest esse continens, nisi Deus
 dederit. At quid tum postea? Num hinc probè college-
 ris rumpēda esse uota cōtinentiæ? aut fas esse sacrificis,
 & nonnis matrimonia contrahere? Certè indoctissimū
 esse oportet, qui eiusmodi ex eo loco nectere conetur
 syllogismum: Nemo potest credere in Christum, spera-
 re, resipiscere, Deum, & proximum diligere, forti, & in-
 fracto animo aduersa perpeti, mandata Dei obire, aut
 denique quicquam peragere boni, citra Dei opem &
 auxilium, ergo hæc non sunt, iuxta tuam ratiocinandi
 normam, à nobis seduld præstanda. Quis hoc pacto col-
 ligat unq; cui pectus sapitimid, caput nō habet opus, ut
 helleboro purgetur? At hæc, inquis, ad salutē sunt neces-
 saria, atq; à Deo præcepta, & propterea Dei, quō ea ser-
 uentur nulli deerit patrocinū. Huiusmodi quiddā nō est
 cōtinenter uiuere, perpetuoq; uxoris carere amplexu.

Ceterum impudentem, & pudere nescium esse oportet, qui ea inficias reddenda esse uota necessarium curis, qui ea Deo nuncupauerit, postquam tot tamque conspiciunt cui extent de hac re in sacris biblijs loci, qui hoc clare doceant, & magis peccet qui Deo, quam qui homini non seruet fidem: peccetque, qui adulterium admiserit, quod fidem uxori praestitam non liberet. Vouere necne uelit, cui libet integrum esse, nemo nescit. At non item uota persoluere semel data, &c. Quod uero nulli desit castitatis uiuendi facultas, utcumque is ad libidinem sit propensus, uel illud mea quidem sententia affatim reuincatur, quod Paulus testatur, Deum neminem pati tentari superbia, quod potest ferre, sed facere unam cum tentatione prouentum, uel exitum, ut queat sustinere. 1. Corinth. 10. A quo nec illud. Genes. est alienum, nempe, subterterit appetitus tuus, nimirum sceleris designandi, aut pertrahendae caedis fraternae, & tu dominaberis illius. Nam si mihi continenter iuxta uotum meum non liceat traducere uitam, si neret me Deus tentari, si praeter id, quod ferre liceat, nec faceret tunc cum tentatione exitum, seu prouentum, ut queat tentationi mens mea reniti, eamque uincere. Rursus si nequeo, ut maximè uelim, omnem intendere conatum continentem transigere uitam, confectarium esset me inuicem ac reclamantem peccare, neque subditiōni meae peccatum, & Dominum me illius non esse, quod pugnat ex diametro cum Genesio citato loco: nec cum illo solo, sed cum compluribus alijs locis, quae produntur in sacris uoluminibus. Errant itaque qui inficiantur homini non esse integrum, uitam traducere calibem, & perpetuè continentem. Et mox:

C. 3. Quamobrem da operam, candidè lector, non indiligenter ut caste uitas: adhibe libidinis designandae antidota: propelle procul, quae ad eam designandam extimulent, pelliciant, adigant: aut cum continentia sit, ut alta omnia bona, Dei munus, hanc quoque ardentibus à Deo efflagita uotis: & tum demum non est, quod ambigatur traducturum, quatenus fuerit necesse uitam. Nam Christus dixit, Petite, & accipietis, & rursus: Quodcumque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam. Paulus etiam cit se omnia posse in Deo, qui eum roborat. Denique ille testatur se ter Deum rogasse, ut sibi auferretur stimulus carnis: ac Deum sibi respondisse, sufficit tibi gratia mea.

nam uirtus in infirmitate perficitur. Indicant ista, posse hominem continenter uiuere modò uel t, idq; dum sedulo precibus à Deo impartiri sibi ambierit. Noli ergo post hac conqueri falsò de naturæ imbecillitate, seu de carnis tuæ in malum propensione, ut hanc tuæ libibini obtendas, causerisq; per eam tibi integrum non esse, continèter degere uitam, sed tuam potius incusa, & traduc supinitatem, atque inertiam, quæ id nolis. quod possis, modò tuo uolueris fungi officio, ut par est, & licet. Caterum hîc conuenio, compelloq; Lutheri assclas, & consecutores quid captarent consilij, aut quid agerèt, si postquam uxores duxissent, illis non liceret per morbos reddere debitam beneuolentiam, aut fugam arriperent, aut deniq; aliter contingeret, ut cum his rem habere nò foret integrum? Num causentur hîc, non posse se continenter uiuere, & ided uxores alias, prioribus adhuc superstibus, atque aura uescantibus æthereæ, liceret sibi ducere, citra omnem conscientia: laesionem, atque pietatis iacturam? Arbitror illos non esse usque adedà dementatos, ut hoc illis uenerit unquam in mentè, utcumque fuerint in multis crassissimè lapsi. Verùm abudè hætenus de his locis d'sseruimus, nunc ad reliqua progrediamur: atque illud Christi à Matthæo his prodictum uerbis, breuiter expediamus. Non omnes, inquit Christus, capiunt uerbum hoc, scilicet de sui castratione per perpetuam continentiam propter regnū celorū, sed, quibus datum est: Qui potest capere, capiat. Verba hæc miserè sunt à Lutheranis detorta à suo genuino ac uatino sensu, ad dogmatis sui assertionem, quod euulgant aduersus cleri calibatum, cum illa hunc statum at, ac confirmant: tantum abest, ut dericiant, atque infirmant eura, ut Lutherani splendidè, atque impudenter mentiuntur. Nam quòd non omnes sint capaces calibatus, aut perpetuæ continentie, sed illi duntaxat, quibus datum est à Deo continentia: donum, nemo it inficias. Sed hinc posse statui clericorum connubia esse licita, nemo germanè pius unquam dederit: quippe quòd qui castè & continenter nequeat uiuere, inueniri possit nemo. Et mox: At id, inquiunt, quòd illic appingit Christus, nempe: Qui potest capere, capiat, deterrentis est, ac dehortantis ab ineundo ac cape cendo hoc tam arduo uitæ instituto. Et mox: Non est autem quod putet

C. 4.

C. 5.

quispiam, uiolentius esse atq; coactius in hunc locū interpretamētum, quādo posse, & nō posse, pro eo quod est uelle, & nolle accipimus. In pluribus enim scripturæ locis necesse est ut ingenuè fateamur, si uelimus illorū genuinū assequi sensum, hoc genus expositionis admittere. Nā cū ait Christus, quomodo potestis bona loqui cū sitis mali. ac rursus: Non potest mundus odisse uos, posse, & nō posse, prouelle & nolle usurpauit. Ut illud est, nō potuisse illic Christū facere signa, propter eorū qui acciperent incredulitatē. In hanc sententiam Christus loquutus est illud Ioannis. Quare loquelam meam non agnoscitis? quia non potestis audire sermonē meū: hoc est, quia non uultis audire, cum liceat. Haud secus accipi debet illud Ioan. 12. Propterea non poterant credere. Nam Ioan. 5. legimus Christum ascripsisse incredulitatem istorum Iudæorum eorum uoluntari, cum dicitur, Nō uultis uenire ad me, ut uitam habeatis, &c. Potestis uenire ad me per fidē & resipiscentiam. Sed cū licet, nō uultis. Alioqui quorsū attinisset Christū illos toties ad credendū extimulare, si integrum nō fuisset illis credere? Adde q̄ alias in crimē non fuisset illis uertendum, quōd non crediderint, nisi licuisset illis credere. Postremō potuisset illos credere, sed noluisse, uel illud Christi est argumento, quod prodit Matthæus his uerbis: Hierusalē, Hierusalē, quoties uolui te cōgregare, sicut gallina cōgregat pullos suos sub alis & noluisti. Nā si cōgregari nō potuissent hi, ut libētissimè, & maximè uoluisset, Christus, quem hoc latere minimè potuisset, quippe omniscius est, in quo & oēs thesauri sciētix sunt recōditi, nūq̄ id operæ insumpsisset, ut eos colligeret. Proinde posse, & nō posse, pro uelle, & nolle, sumi in his locis necesse est, quēadmodum in his quoq;: Non poterō celare Abraham quæ gesturus sum. Nō poterō facere quicq̄, donec ingrediaris illuc. Quocirca quisquis uelit, ac sedulō petat gratiā & donū continentix, potest uicā transigere cōtinentem, ut hoc telum, quo suas nefarias Lutheristæ tutati sunt nuptias, illorū iam manibus sit prorsus excussum. Ac propterea uideamus iam, quibus adhuc in hoc certamen descēdentes se defendāt armis. Pauli m adeunt, atq; ex eius armario petunt, quibus armati pugnāt. Propter fornicationē unusquisq; suā uxorem habeat. Hic immeritō atq; uanè acclamāt isti ueluti re grauitè & feliciter peracta, illud Ouidianū. Disci-

te io pzan, & io bis dicite pzan, Incidit in casses præda
petita meas. Nam nihil dubitò, quin doctissimus quis-
que auditis, semel aut lectis, quæ isti in hunc locum cõ-
municantur, depromitq; ex illius deprauato sensu di-
cturus sit illa Plautina. Pulherè dixti, belle narras: quæ
ille de re dictu uehemèter absurda solebat usurpare. Ve-
rùm his missis, ré experiamur. Habèt isti persuasum, a-
lijsq; conàtur persuadere, Paulū hoc loco sèssisse, liberū
esse atq; integrū, cui libet cõtrahere matrimoniu, quan-
do in sta libido eū pellexerit ad Venerem: cum Apосто-
lus nihil eiusmodi uel somniauerit, ut qui nuptias his
uerbis nec præcepit, neq; cõsuluir, quippe q; horum u-
trunq; ex diametro pugnet cum his, quæ mox apud eū
sequitur. Nõne disideret Apóstolus à seipso, pugnã-
tiaq; nõ iniuria extulisse dicendus esset, si nuptias aut præ-
cepisset, aut cõsuluisset, cum uirginitatē cõsulit dicens:
De uirginibus præceptum Domini nõ habeo, cõsiliũ
autem do. deinde optat omnes sibi esse similes, id est,
uirgines. Nõne ibidem hortatur ut mares, & scemine,
qui liberi & soluti sunt à uinculis connubialibus, his nõ
sint alligari? Quomodo itaq; aut consuleret, aut iuberet
nuptias celebrari? Cum dicit, propter fornicationem
unusquisq; uxorem suam habeat, &c! Nõne ergo cuiq;
obscurū esse potest, quàm hĩc tota, ut dici solet, uia, to-
toq; celo aberrant isti egregij ardeliones, atque insi-
gnes Christianorum Epicuræi, dum locum hunc per ca-
pillos, ut aiunt, renitentem trahunt? Sed longè aliud
sensit Apóstolus, nimirum, non esse his, qui paganismo
deserto, sua nomina Christo dederant, diuertendum à
suis uxoribus, quas duxerant antequam Christianismũ
fuerant amplexi. Hoc enim multis persuasum erat ne-
cessariò faciendum: de quo alij hæserunt plurimum, ac
propterea per literas Paulū cõsulebant. quid esset illis
faciendũ, cũ causa cõtinentiæ uel religionis prætextu, C. 7.
deserendæ essent suæ uxores an retinendæ: Quib. respon-
det Apóstolus, bonũ esse, hoc est cõmodũ esse, & expe-
dire, mulierẽ nõ tangere hoc est, à reddēda debita bene-
uolētia, etiã suæ ipsius uxori antea ductæ penitus absti-
nere, ut molestia muliebri & sollicitudine uacuis, quie-
tius atq; cõmodius Deo inseruiret. Ceterũ ne stuprum
designet, aut adulteriũ patret, habeat, hoc est, retineat,
atq; utatur ducta prius uxore ad eò ut hĩc nihil prorsus

C . 8.

fit scriptum de ducendis uxoribus, sed retinēdis tantū
 & nō deserendis causa religionis illis cōiugibus, qua
 ante susceptum Baptisma, & initum Christianismū cō-
 xerunt. Et proinde locus inductus nihil omnino suffra-
 gatur Lutheranorum exitioso dogmati, quo contem-
 dunt sacrificiis licere uxores ducere. Et mox: Quid
 quōd dicitur *uxoribus* quo hic uerbo utitur Apostolus, non habet
 re tantū, sed tangere, iuxta esse, hærere tenaciter, ad-
 hærere, aut coniunctum esse significat? ut uel eius cry-
 mologia ostendat uerba fecisse Apostolum, de tenaci-
 ter adherendo uxoribus prius ductis, deq; illis non a-
 biiciendis, non de ducendis. Postremò hoc manifestissi-
 me conuincit uel ipse Pauli contextus, ut qui hæc habet
 è uestigio post adductam sententiam à Lutheranis, qua
 asserunt sacerdotum connubia. Vxori uir debitum red-
 dat, similiter autem uxor uiro. Mulier sui corporis pote-
 statem non habet, ut nimirum absque eius cōsensu ab-
 stineat à reddendo debito, sed uir. Similiter uir sui cor-
 poris potestatem non habet, sed mulier, ut citra eius cō-
 sensum nō liceat illi cōtinenter uiuere, &c. nolite frau-
 dare uos mutuo. Nōne mōstrant hæc Paulum in exor-
 dio illius capituli differuisse de habendis, id est, retinen-
 dis uxoribus? Id quod uel irrefutabiliter conuincet,
 quōd Apostolus ipse Sole clarius ostendit, se differuisse
 di coniugatis, quando præfatam scripsit sententiam,
 cum hæc adiungit, Dico autem non nuptis & uiduis: ho-
 num est illis si sic permanserint, sicut & ego, quōd si se
 non continent, nubant, &c. Et mox: Contextunt rur-
 sus hunc, si dijs placet, syllogismum, planè elumbem, &
 beraceum. Paulus ait, Vnusquisque donum suum habet
 ex Deo: Vnus quidem sic, hoc est, ut continenter uiuat,
 & uirginitatem tueatur: alius uerò sic, hoc est, ut ducat
 uxorem, cumq; ea ducat castam uitā: ergo non licet om-
 nibus continenter perpetuò uitam traducere, quia non
 omnibus est illud continētię donum impensum, ut hic
 uult Apostolus. Quām furilis sit, & imbecillis hæc ra-
 tiocinatio, ostendit huius Paulinæ sententię natiuus
 sensus: de quo fateor perquam libenter cum doctissi-
 mo quouis interprete, uirginitatem esse donum Dei pa-
 riter atque nuptias, seu castitatem conjugalem, ut uult
 hoc loco Paulus. Vtrunq; à Deo poscendum, nec dubi-
 tandum, quin ille, qua est in omnes inuocantes cum in
 ueritate

ueritate propensione atque benignitate, *Votis nostris,*
 annuet, iuxta illud *Christi, Perite & accipietis,* de quo
 fufus fuprà. Et mox: *Scruiunt præterea mei antago-* D. 4.
niftæ, & colluctatores ratione ex his *Apostoli uerbis,*
Quòd si se non continent, nubant: melius est enim nu-
bere, quàm uri. I. *Corinth. 7.* Locus iste irrefutabilis ui-
 detur meis aduersarijs *Lutheri confectatoribus:* cum
 procliuè fuerit, atque facile refutare contextum ex eo
 quemuis syllogifmum. Nam uult ut mulieres nondum
 nuptæ, ac uiduæ, quæ se non continent, nubant, ne per-
 trahantur ad fornicationem. Quid cum postea? Num id eò
 conuincas, ut uirgines Deo consecrata ac nuptæ, atque
 facrifici post nuncupatù Deo *Optimo max. uotù per-*
petuæ continentia, matrimonio sese dedant, alligent,
& astringant? Non certè, cum uerba *Pauli* solùm perti-
 neant ad non pollicitos, neque uoto astrictos, &c. Et a-
 libi: *Alium nobis struxit Petrus syllogifmum,* oppi- G. 5.
 dè quàm ineptum, & indoctum, hoc pacto: *Illud tantù*
uouendum est, quod est in nostra potestate situm: sed
huiusmodi non est calibatus, uirginitas, aut continen-
tia, ut quæ sunt Dei dona: cur itaq; uoueã ea Deo? Cui
primum hoc respondeo, nò ignorasse priscos illos in-
tegerri mos Patres, utriusque testamenti, hæc Dei mu-
nera esse, haud secus quàm omnia bona. Roga igitur il-
los cur uouerint, quod nò erat illis liberù præstare, aut
quod non erat situm in illorum potestate. Nunquid nò
exigebat ab illis Deus uotorum suorum redditionem,
ut fuprà diximus? At exigite ille aut mala, aut quæ scit
penes hominem non esse præstare? Deinde consulit scri-
ptura uota cum ait: Vouete, & reddite, Christus, & Pau-
lus. At consulunt hi illicita? aut quæ perfolui nulla parte
ab homine possunt? Deniq; uotum: quod nuncupant
homines Deo, dum baptizantur, & fides, spes, charitas,
ac reliquæ uirtutes omnes, ut omnia piè facta sunt do-
na Dei: non possunt itaque præstari à nobis, aut non est
penes nos potestas ista præstandi. Nam si pondus habe-
bit ista tua collectio, eodem modo ista mea non care-
bit: quando neruus tuæ collectionis in hoc situs est,
quòd continentia sit donum Dei, & idèd non esse in no-
stra potestate posita. Verum est itaque, còtinentiam ac
uirginitatem esse donum Dei, iuxta id Sapiëntiæ 6 Et ut
sciri, quoniã aliter còtinens esse non possent, nisi Deus

det, & hoc ipsum erat summa sapientia scire cuius esset hoc donum, adij dominū, & deprecatus sum illum. Docent hæc uerba non modò continētiam esse donū Dei, sed etiam illam ab eo precibus esse ambiendam & postulandam. Id quisquis ardentè, indefinenter, ac pie fecerit, non patitur repulsam, sed exorabit indubiè iuxta illam Christi pollicitationem, Petite, &c. Omnis qui petit accipit. Accursus Iacobus ait: Si quis uestrūm indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non impropèrat, & dabitur ei. Proinde licet continentia ac uirginitas sint dona Dei, sunt tamen in nostra sita potestate, quemadmodum omnia benefacta, quatenus licet illa impetrare precibus à Deo, atq; facultatem obseruandi eadē, semel nuncupato de his uoto. Excussum est itaq; è manib. Petri hoc telum, &c.

DEFENSIO.

Nulla ferme alia pars huius questionis est, in qua iste antabata cōtendat uerbosius. Sed nō secus illi accidit, atq; his qui per labyrinthum errant. Nam quò magis proficiscuntur, eò magis & perturbātur, & sibi ipsis exitū impediunt. Cum negare nō possit uirginitatē & cælibatum dona Dei esse, uidetur id sponte, & ultrò uelle fateri. Sed, ut uides, optimè lector, ita hæc dona Dei esse cōcedit ut tamen ea omnib. dari existimet necessariò, modò ea uelint, & petant. Semperq; clamat ea posita esse in nostra potestate. Quare concludit: neminem esse illis frustrandum, si ea precibus nitatur impetrare, ac in eis acquirendis laborem nō recuset impendere, Hæc planè summa est eorum, quæ nobis modò sophistica huius loquacitas proponit examinanda. Primum ualde admiror istum parū cōsiderasse inter dona Dei notissimum & uulgatum discrimen: quod ego tradidi sepius cum docerē, et is modò retulit, quāuis imperfectè, ut solet cetera. Dico itaq; aliqua dona Dei ad salutem esse necessaria, atq; ideò ex ratione omnibus Christianis communia: de quibus etiā generalis in sacris literis extat promissio, ut

Donorum
Dei uelut
distinguitio.

fides, spes charitas, patiētia, & alia id genus. Et diuerso
 aut sūt quaedā ad salutē nō necessaria, ut prophetia, ge-
 nera linguarū, uis edēdi miracula, sanādi egrotos, &c.
 Quae ut peculiaria sunt, neq; dātur omnib; neq; omnibus
 credētib; omniq; tēpore promissa fuerūt. Cū itaq; uerū
 sit castitatē, si sumatur in uniuersum, ut est calibū, uirgi-
 nū, & coniugatorū, necessariā esse ad salutē, & p̄tinere
 ad primū donorū genus, Ideō quilibet pro ea impetrāda
 debet orare magna fiducia, quod aeternus pater eā sit ele-
 ctis cōcessurus: prout illā existimauerit cōducere, aut in
 calibatu, aut in uirginitate, aut in matrimonio. Nec est
 cuiq; nostrū quicq; Deo p̄scribēdum. Nā ad quascunq;
 partes uel species castitatis iam enumeratas descēderis,
 nulla earū est ad salutē necessaria. Unō uirginitas & cæ-
 libatus inter dona Dei singularia cēsentur, quae nequaq;
 omnib; cōueniant, neq; omnib; p̄cepta sint. Propterea
 si quis ea precib; conetur impetrare, fortasse laborabit
 incassum, & illū hominē Deus, ut fieri potest, decreuerit
 sanctū colere matrimoniū, ut de multis patriarchis in ue-
 teri Testamēto negari, nō potest. Hāc distinctionē cum
 Smythaeus nūq; didicerit, aut attētē cōsiderarit, omnia di-
 spūādo confundit, atq; p̄ssimī turpiſsimē aberrat: mul-
 taq; referūtur ab eo lōgē aliter, q̄ ego unq; uel dixerim,
 uel cogitauerim. Putat me ita colligere: Castitas uirginū
 aut calibum est donū Dei, igitur rumpēda sunt uota: cū
 a me prorsus aliter dictū sit nempē, calibatus est donū
 Dei nō cōmune omnib; fidelib; nō ad salutē necessariū, igi-
 tur calibatum non debemus uouere. Quōd autem ipse
 dicit me concludere, huiusmodi uota rumpēda esse,
 cum opus fuerit, equidem non negarim ex his omnibus
 consequi simul coniunctis. Vota enim de his rebus nun-
 cupata, quae promittenda non sunt, haberi debent

apud Deum pro iryitis. At istam huius questionis partem modò non agitavi: postea de illa fauente Deo, quantum necessitas requirit uidebimus. Sed iste magnus dialecticus questionem, quam appellant, quia est, cum questione, an est, permiscet. Primum ego tractandum suscipi, an uotum inter Christianos dandum sit: postea, an hec uota celibatus nuncupata, rata sint necessario seruanda. Quare licet id, quod ipse insert, ex omnibus partibus antecedentis iam à me declaratis, sed ab ipso non expositis, consequatur, ipse tamen bis peccat. Primum quòd antecedens, non totum, neq; distinctum, sed confusum & mutilatum arripit: deinde quòd non in tempore mihi hæc obijcit, quum id, quod ab eo inducitur, non sit à me dictum, nisi cum prius, quæ modò tractantur, exposui, ac dilucidauit. Est itaq; mea ratio, si cui dixi: Celibatus est donū Dei singulare ad salutem nō necessarium, non omnibus commodum, neq; omnibus commune, igitur nullus ipsum debet uouere, præsertim liberè, absolute, absq; ulli conditione: cum ignoret, an status huiusmodi salutis sue conueniat, uel posthac semper possit congruere. Deinde quàm est illud extra oleas, cum dicit, credere in Deum, sperare, proximum amare, patientes esse in afflictionibus, & alia id genus, absq; Dei ope non possumus, ergo ista non sunt, iuxta meam sententiã sedulò præstanda. Primum uide, quomodò se torquet. Ego ex illo antecedente integro & perfecto cōficio: Igitur celibatus non est uouendus. Ipse uerò concludit, ista nō sunt à nobis sedulò præstanda. Professio nunquam ego docui, celibatum, ab his qui donum eius habent, & eo bene uti possunt, non esse præstandum sedulò: Verum tradidi non uouendum. Cur tu argumentaris, ergo ista non sunt à nobis sedulò præstanda, cum dicere debueris, non

sunt uouenda? Fortasse hoc dicere noluit uir circumspectus, ne secum pugnaret, qui superius dixerit, nos ideo non uouere dilectionem inimicorum, quòd Lege Dei ad illa astringamur. sed interim nisi hoc pacto concludat, nihil contra me dicit, cum ego non de obseruatione, sed de uoto agam. Quòd si hoc loco sit usus hac uasfricie uel astutia, attamen infra sententiæ suæ oblitus, mihi obijcit, nos in Baptismo hæc omnia bona uouere: quæ cū nō sint in nostra potestate, non erunt, ut cōcludit, iuxta meā rationem seruanda. Quàm stultè ista conferuntur cum cælibatu: cum, ut liquidò apparet, hæc ad salutem sint necessaria, & omnibus, qui uerè Christiani sunt, cōmunia. Quid euincet similitudo eorum, quæ tam diuersi sunt ordinis? Præterea iā affatim docui superius, nos in Baptismo propriè nō uouere, nisi p uotū intelligas aut preces aut ardentissimū desiderium ea præstandi, quæ ad regenerationem in Christo pertinent. Ideoq; fidem, spem, charitatem, patientiam, & consimiles uirtutes, cum requirantur necessario, & sint perpetui fructus regenerationis, omnes fideles pro uirili præstare debēt: nunquam tamē, ut ego iudico, uoto ullo sunt nuncupanda siquidem ea, uelimus, nolimus, Deo debemus. At contendit parem uoti quoq; debere esse rationem, quoniā reddere uotum nuncupatum ad salutem necessariū est, ut multa loca scripture attestantur. Et si fidem hominibus datam uiolasse, criminum uertitur, ut in adulterijs, multo magis id est, in his damnandum, qui Deo nō reddunt, quæ uouerint. Sed quia ut asseruimus uota in nouo Testamento locum non habent, quomodo sunt persoluenda? Primum necesse est, ut aliquid extare demōstres, postea poteris progredi ad ostendendum, quæ de illo existimas credi oportere. Idcirco tamisper uerba tua probatio, quoad reliqueris ambi-

In baptismo non dicimur propriè uoueri.

guum, an uotū cōcedendum sit Euāgelij tempore. Neq̄
 mihi probes id oportet hominum uerbis, quoniā ritus &
 cultus Domini, uerbo quoq; diuino cōfirmandi sunt. Per
 tuissimū uno uerbo etiā respondere, uota ea nō esse reti-
 nēda, quæ de his nuncupātur, quæ uouere nō licet, quæ
 admodum fuit in Lege ueteri de primogenitis, & hōi-
 sunt, uester cēlibatus, paupertas, et obediētia. Sed quoniā
 hoc in altera parte assertionis tractandū differo, idcō in
 respōsione, quæ iā allata est, acquiesco: nimirū, quōd cū
 nostro tēpore, nō sint uota corā Deo rata, idcō frustra
 de illis p̄soluendis agitur. Quōd nō ita est de adulterio,
 aut de p̄fidia in homines cōmissa: quia ista literis cū no-
 uī, tū ueteris Testamēti, et damnātur, & prohibētur. Nō
 enim ad cērimonialia ut loquūtur, sed ad moralia pre-
 cepta p̄tinēt. Cōcedo itaq; nō inuitus, eū qui à Deo de-
 cit, longē grauius peccare, quā qui uxore adulterio sul-
 lit. Verūm hoc, quid ad uotū facit? Monent quidem no-
 diuinae literæ spirituale matrimoniū inter Deū & fide-
 les eius iniri, quæ admodū, quoad corpora, inter uirū &
 uxore. At q̄ aliquid sub Euāgelio Deo uouendum sit, ni-
 hil prorsus habēt. Et quæcūq; testimonia Smythæus ad-
 ducit, semp̄ ea ex ueteri Testamēto ad causam derivata.
 Idēq; dū citat diuinas scripturas, partim adducit ea quæ
 cōtra se faciūt, partim ea, quæ à causa sunt q̄ remotissi-
 ma. Paulū scio ad Corint. pijs hominib. spē facere, Deū
 nō permissurū, ut ultrā uires tentētur, non quidem pro-
 prias: nā quoad eas tētatio quis leuissima nos ualet illic-
 co prosternere. Verūm intelligēdus est Apostolus de uir-
 rib. à spiritu sancto collatis, quæ suppeāntur copiose
 Dei electis, ut supra modū nō tententur: & ipse Deus
 est qui cū tētatione facit exitū. Quæ sentētia ita prom-
 facit, ut ad meā causam nihil dici potuerit accōmoda-
 tias

tius. Quando aliquis uiuendo caelebs sic tētatur, ut adurū
 experit, uideatq; suae castitati periculū imminere, Deus
 illi sanctū parauit matrimonū, ut ibi certū & fidelē exi-
 tū reperiatur in tētatione: neq; patitur Deus tētari eū, su-
 pra q̄ ualeat. Smythaeus intelligit, quia donū largietur
 calibatus: ego uerò alterutrū dico futurū: uel ignes cupi-
 ditatis noxios in ipso Deus restinguet, si eū calibē uolue-
 rit, ut in suscepto instituto ualeat pseuerare, Dei gloriā
 & Euāgeliiu promouēdo, uel pacē eius cōscientiae in san-
 cto matrimonio cōcedet. Quid uerò huc faciat locus ex
 4. cap. Genesios, Ad te erit appetitus eius, et tu domina-
 beris illius, nemo facile intelliget, nisi qui nouerit, sophi-
 stas his uerbis abuti ad liberū arbitriū aduersus gratiā
 Christi cōstituendū: atq; hinc elici uolūt, sitū esse in ma-
 nu cuiuslibet, ut appetitus, et cupiditates peccati repri-
 mat, quoties, quomodo, & quādo uoluerit, & oēs arbi-
 trantur, homines, pro ipsorū uolūtate, ac iudicio, domi-
 nos esse in materia prauitatis. Quae ut sint falsa quilibet in
 seipso experitur. Verū quidē est, hominē Dei gratia, &
 spiritu iā regeneratū, sepius efficere, ut peccatū, quod
 ex cindere nō potest, ne in suis mēbris perpetuū aliquid
 malē cōmoueat, mortificetur, & quē admodū Paulus di-
 cebat ad Rom. in se nō regnet. Verum ut natura nostra ui-
 tiata est, & corrupta hoc homini p̄ seipsum nō cōgruit,
 neq; iuxta ingeniū, quod à suis maiorib. traxit. Deus autē
 in Genesi, loco abs te adducto, naturae humanae uitiū de-
 scribit, quādo inquit: Appetitus eius, uidelicet peccati,
 ad te: semper enim prauos illius motus experimur, et uel
 imprudētes, aliudq; agētes, prauae cupiditates inuadūt:
 quae etiā, si gratia Dei non adsit per Christū, necessariō
 praevalent: nisi uelimus, ut isti Pelagiani sentiunt, exi-
 stimare hominem adhuc non regeneratum, per seip̄.

Locus ex
 quarto ca-
 pite Gene-
 sios.

Præceptis
nō ostendi
tur quid
possimus,
sed quid fa
ciendū sit.

sum posse uniuersam Dei legem seruare: cōtra quē per
uersum errorem scriptura ubique re clamat. Descripta
itaq; hominis natura, quæ perpetuò à peccato, & illius
cupiditatib. agitur, subiecit Deus legē, & inquit, Domi
naberis eius. ita enim per futurū tempus indicatiuū modi
præcepta Dei nobis proponi cōsueuerunt. Nō occide
rēs: nō mœchaberis: nō furaberis: Quibus mā datis nō ostēdit
tur nobis, quātum possimus, sed quid faciēdum sit, quid ab
a nobis exigatur. At isti uerbi cū omnium significata ita lo
co mouēt, ut nihil iam natūā propriamq; significationē
per eos ualeat retinere. Illis pinde est, Tu dominaberis
peccato, & appetitui eius, ac si diceretur, potes modo
uelis, peccato dominari, et stimulos eius restringere. Nō
Deū diliges toto corde, tota anima, & omnib. uirib. est
his hominib. ac si dicatur, Potes modo uelis diligere Deū
toto corde, tota anima, & omnib. uiribus. Cū tamen ista
præcepta sic ponātur, ut intelligamus quid requiratur
à Dei lege, quid faciat ad hominū actiones corrigēdas.
Nō tamen sequitur, neq; significatur illis uerbis, nostrum
quēq; per seipsū ista posse. Nisi enim Deus gratia Chri
sti iuuerit, uel minimū mandatū nunq; absoluemus. Data
est lex ad cognitionē peccati, utq; nos ad Christū tāq; pe
dagogus adducat: & quò sciamus, quid nobis desit, quid
uē à Deo sit petendū, & orandū per Christū Dominū no
strū. Cuius gratiā qui cōsecuti sunt in regeneratione, ali
quo modo peccato dominātur, nō tamē ita perfecte quē
admodū lex requirit. Atq; idē semper clamāt, remittat
nobis debita nostra, &c. Norūtq; illud ioānis, q; si dixerit
mus quia peccatū nō habemus, ipsi nos seducimus, & ne
ritas in nobis nō est. Sed redeamus ad pseudothecologū.
Christianus iā regeneratus nō ex suis uirib. natura iā pec
cato corruptæ, sed per gratiā Iesu Christi habet, ut libi
cū

dini adurenti dominetur, ne se perdat, aut in damnationē
 præcipitet: quod in ijs facit, quos ad scortationes & adul-
 teria cōmittenda impulerit. Hoc nos libenter damus: qui
 enim uxores ducunt, nequaquā libidini fræna laxant, sed ho-
 nesto sanctoq; remedio cōiugij diuinitus instituti se tuen-
 tur: quod cū faciūt Deo parent præcipiēti per Apostolū,
 Qui non cōtinent, nubāt: siquidē melius est nubere, q̄ uri,
 Quare tam loca ad Corinth. q̄ uerba ex Genesi adāucta,
 nequaquā persuadent in manu esse omnium celibatum ser-
 uare. Tunc, inquit, adigar inuitus peccare, si non ualeo li-
 bidini resistere. Quasi ducere uxorem sit peccatū. Ad ma-
 trimonium adigeris, quando continere non uales, non ad
 peccandum. Sed obstat uotum: nam ei qui uotum nuncu-
 pauit, peccatum est matrimoniū contrahere. Verum dice-
 res, si modō liceret uouere: & si uotum de re licita fuisset
 nuncupatum: sed cum utraq; desit cōditio, uotum non
 obstat, quin pareas necessitati. Neq; adhæc tacendum est
 quā in eo plurimum fallaris, quod cū dicitur homines
 per seipso non posse mandata seruare, aut libidini resiste-
 re, aut pudicē agere, concludis euestigiō consequi, recla-
 mantem & inuitū peccare: quod minimē uerum est. Qui
 enim scortantur, inuiti non coguntur, sed uolentes & ul-
 trō se contaminant, & polluant inter dicta libidine. Imō si
 quis tentaret eos impedire, aut reuocare, uehementer ira-
 scerentur. Atq; hæc illorū peruersa atq; effrænata uolun-
 tas, sufficit ad rationē peccati (ut loquuntur) actualis con-
 situendam, ad quam nō requiritur, ut per seipso queant
 secus agere, hoc est, pudicē & continenter uiuere. Quot
 enim sunt, quæ à nobis uolētibus quotidie fiunt, quorū ta-
 men oppositū non possemus efficere? Nullus fermē est qui
 libenter et cupidē nō dormiat, quādo à somno inuaditur:
 quāuis nequeat illi non parcere, nec in manib. eius positū

Qui scortā-
 tur, nō pec-
 cant inuiti.

Multa libē-
 ter facimus
 quorū op-
 positū non
 possemus
 facere.

sit, ut uigilet. Quòd si dixeris, hanc quam adduco, esse nat-
 uræ necessitatē, id fatebor. Sed interim addam longē ma-
 iori necessitate nos esse peccato subditos, per uitiatā cor-
 ruptamq; originem, q̄ necessitatibus naturæ simus obno-
 xij. Qui enim sanam theologiā perceperunt, ultrò con-
 fitebuntur, neminem esse qui per seipsum à peccatis expe-
 diri queat: quiq; suis uirib. possit ea quæ Deo grata sint,
 aut uacua peccato præstare: cum tamen omnes quicquid
 agunt, uolentes agant, & non coacti, eaq; de causa pecca-
 torū qui alieni sunt à Christo, ad tribunal diuinū rei per-
 aguntur. Pij autem, quoniā reclamāt, aduersantur, & do-
 lent, ob multa quæ in seipsis perperam fieri sentiunt, &
 Christo adherent uoluntate, ac spiritu, ideo à peccato ab-
 soluuntur: & ea quæ natura sua peccata essent, illis non
 ascribuntur. Deinde peccato non concedūt, ut in corpore
 suo mortali dominetur. Nō enim spiritu ac mente unquā
 probant ea, quæ cum lege Dei pugnare intelligunt. Non
 itaq; sequitur, ut aduersarij putant, ex infirmitate uel in-
 potentia liberi arbitrij, quempiam inuitum, coactum, aut
 reclanantem peccare, præsertim quoad externa facta:
 sancti enim, ueluti diximus, quando naturali se impetu
 uinci senserint, commoueri, & aduri, non ita patiuntur
 cupiditates in se uincere, ut adulterijs, uel scortationibus
 sese contaminent: sed propositum à Deo matrimonij re-
 medium amplectuntur: atque ita Deum sentiunt exitum
 fecisse in tentatione, dominanturque peccato & eius ap-
 petitui. Suadet uerò Smythæus, & alij suaserunt ante i-
 psam, ut cælibes ad frangendum libidinum impetus, &
 flammæ restinguendas certis remedijs utantur: nempe
 uictu frugalissimo, ieiunijs & castigatione carnis, & pre-
 cibus, quæ sanè omnia ut laudabilia, & exercitia pietatis
 uehementer approbo. Sed ab eo quero, eum ea sint omni-
 bus prom-

bus propta & exposita, cur illis uotarij sacrifici nō utan-
 tur? cur, uti uulgò dicitur, ita se turpiter subinde uinci pa-
 tiuntur? Aut impè nō uolunt uti remedijs, quæ iste propi-
 nat, aut nugas & sumos esse intelligūt quæ uendit, atq; cū
 uiderit se his pharmacis quandoq; parū profecisse, potius
 scdissimis cupiditatib (quemadmodū fama est) laxant ha-
 benas, q̄ uelint sanctū inire coniugiū. Ea Deus in reprobū
 sensum eos tradit, qui se non ritè colunt, quiq; suam gra-
 tuitan, & merè liberalem misericordiā in merita & su-
 pererogationis opera commutant. Certè spiritus sanctus
 nusquā (quod ego sciā) his qui nō continent, quiq; aduri
 tur, talia proposuit remedia: sed omnes istos per Paulum
 ad sanctū matrimoniū ablegauit. Petite, et accipietis, dice-
 bat Dominus: & quicquid petieritis patrē in nomine meo,
 dabit uobis. Has ego sententias ut à spiritu sancto in sa-
 cris literis prolatas, amplector, & uerissimas esse fateor.
 Quis tamē ut rectè saneq; intelligamus, opus est ut alter
 locus apud Paulum in mentē ueniat: ubi dicitur, quid pe-
 tendamus, quemadmodū oportet, nescimus. Propterea si quæ
 petenda sunt, ignoramus, fieri potest ut interdum roge-
 mus noxia. At Deus, qui bonus est, & nostri amās, num
 illi concedet? Hoc esset irati & crudelis Dei, non bene-
 fici & clementis. Quum autem non dat quæ sunt no-
 xia, & uidet non expedire, quomodo erit uerum illud:
 Quicquid petieritis patrē in nomine meo dabit uobis? Ne-
 cessaria est porrò distinctio rerum petendarum. Aliqua
 enim spiritualia sunt, & ita spiritualia, ut ad salutem re-
 quirantur necessario: ueluti est remissio peccatorum,
 liberatio ab æterna morte, atque uita felix deniq; per
 Christum obtinenda. Quæ omnia electis fidelibusq; sunt
 promissa unā cum medijs, per quæ Deus ad ista suos per-
 ducit, ut fides, spes, charitas, bona opera & huiusmodi.

Distinctio
 rerum quæ
 à Deo petē-
 tur.

Hæc absolutè ac simpliciter absq; ulla conditione postulatur. & qui uera fide in nomine Christi ea petit, omnino auditur. Alia uerò sunt minimè ad salutem necessaria, ut liberari à febre, quum laboramus: aut ditari, quum sumus pauperes. Hæc à Deo petenda sunt, non quidè ea certa & inconcussa fide, quòd ea omnino sint nobis danda: quamuis persuasissimum ex fide habere debeamus, quòd absque dubio à Deo nostro audiemur, nosq; circa controuersiam seruabit, licet nò fortasse eo modo quo ipsi nunc uelimus, quemq; orando petimus. Propterea quæ sunt huius generis, petenda sunt ea cõditione, quam dominus docuit nos dicens: Fiat uoluntas tua. Vt autem ad causam redeam, quando cælebs petit, ut in tentatione libidinis adiuuetur, & ab adustione quam patitur, eximatur, quod postulat, nò est ex earũ rerum genere, sine quibus æterna salus non possit haberi. Celibatus est genus uitæ in quo cõsæpius, ut facillè concessimus, maior facultas promouendi Euangelium, per prædicationem, doctrinam, & similia, quam in matrimonio: licet id non sit perpetuum, & quoad omnia hominum genera: non tamen est necessarium, quãdoquidem salus in matrimonio quoq; obtineri potest, & regnum Dei per sacrum ministeriũ amplificari. Proinde illius donum minimè petendũ est liberè, absq; ulla conditione. Verum addendum est, Si Deus tales nos uelit, & si efficacius quam in matrimonio eius nomen sumus sanctificaturi. Atq; ita inuocando uera fide certi esse debemus, Deum precibus nostris minimè defuturũ, neque permissurum, ut ultra uires tentemur. Imò si uoluerit nos in cælibatu uiuere, suppedabit ad ipsum purum cæsiumq; seruandum robur: sin uerò cælebs esse noluerit, eam concedet pudicitiam, qua pacata & tranquilla conscientia in matrimonio uiuamus, quæ etiã proculdubio est Dei sim-

Dei singulare donum, quod nullus habet, nisi cui Deus concesserit: & de hoc in libro Sapientiae scribitur sub nomine Salomonis: qui non celibum, aut uirginum continentiam à Deo petijt, ut quæ neque suo regio statui, ex ipso enim Messias erat nasciturus, neque conditioni Veteris populi conueniebat. Et, ut sermonem paucis absoluâ, manifestè apparet, ista loca nihil euincere contra meam sententiam, cum ulla promissio singularis à Deo non extet de nostro celibatu: ideoque non potest esse firma fides, qua nos credamus omnino audiendos, de illo genere uitæ obtinendo. Quique remedium habet paratum, & expositum, si conqueratur, Deum se non audire, neque concedere quod petit, ut à tentationibus, quæ celibatum impediunt liberetur, non euadit, quin illum dicatur tentare. Non enim est nostrum Deo præire, sed potius illum ducentem sequi: cumque celibatus, & matrimonium, & alia genera uitæ sint in manu eius, tuum est illud institutum sequi, quod ab eo tibi conceditur, & in eo conari pro uiribus purè ac sanctè Deo inseruire. Sed ibi putat se iste homo captiosus, me tenere medium, quando coniugem opponi, aut ægotam, aut absentem, aut alio modo impeditam, ne uiro debitam beneuolentiam reddat. Quid ibi erit, inquit, faciendum uiro si aduratur? Numquam aliam uxorem priore supersite ducet? Hæc ita obijcit, quasi huic Achilli muscarum nihil possit responderi. Neque præ furore, quo aduersus Deum insanit, potest discernere quantum sit discriminis, inter celibatum, quem uouendum suadet, & matrimonium. De matrimonio quippe statuit Deus, ut qui non continent, illud ineant. Ipsum prætereà uoluit indissolubile, nisi adulterium intercesserit: & cuique prohibuit, ne cum aliena misceatur. Vnde quisquis in has necessitates incidit, nequaquam illas est sibi

fabricatus. Iussus quippe fuit à Deo matrimoniū subire, cum eo indigeret: cui statui, & generi uite hæc uincula re perit annexa. Non itaque ipse sibi uinculum iniecit, sed à Deo talis necessitas continēdi tunc ei est imposta. Quare si fideliter illum orauerit omninò audietur, cum alia ratione saluus fieri nequeat. Isq; audacter dicere potest, se in hanc necessitatem non præcipitasse, uerum inciðisse, ordinariam uocationem à Deo propositā sequendo. Non autem dubium est, Deum his, qui se uocantem sequuntur, nunquam deesse. Qui autem uouit cælibatum, si aduratur & non contineat, pergatq; Deum precibus temere fatigare, an dicere poterit se à Deo coniectum in has necessitates? Profectò non poterit. Quin potius Deus illi iussit dixerit: Quis hæc requisit de manu tua? Votum in Nouo Testamento nusquam posui. Deinde neq; in nouo, neq; in Veteri suasi alicubi, ut cælibatum, aut uirginitatem quis uoueret. Ideòque cum hoc tuum Votum sit hominū, irritum & nullum est. Preterea autem cum tibi sancti matrimonij refugium pateat, quid me tentas, & quotidie frustra obtundis? Hæc ego in assertionem meam, ut loco suo dicitur clarissimè retuli. Quorsum itaque iste impostor, quasi nunquā ea cuiquam in mētem uenerint, illis gloriatur, & cum ad meam responsionem non habeat quid reget, se uicisse quā stultissimè iactat, & expectat, ut ui huius argumenti potius fateamur, licere scortari, & adulterium committere, quā iustam coniugem iusto matrimonio sibi coniungere? Paulus uerò cum ait, Omnia possum in Christo, qui me corroborat, non ait, se omnia quæcumque uelit, posse facere: sæpius enim cum Romam ire decreuisset, prohibitus fuit usque ad tempus, quo ad eos epistolam scribebat. Optasset præterea sibi auferri stiuulum carnis, quod tamen consecutus non est. Quin & in seipso

Locus Pauli.

An Paulus omnia potuerit.

non poterat facere quod uolebat, sed cogebatur agere quod oderat: quòd in eius carne bonum minimè habitaret. Omnia tamen potuit in Christo, quæ ad suam Apostolicam uocationem & propriam salutem pertinebant. Ad hæc animaduertere oportuit, quod prius dixerat, se his contentum esse in quibus erat: & se nosse et humilem esse & excellere: & saturari, & esurire: & abundare, & inueniri pati. Ne hoc uideretur ex iactantia dici, adiecit, omnia quæ posset, se in Christo posse, qui se confirmauerit. At isti Pelagiani ubique torquent, & crucifigunt scripturas. Nam quacunque occasione modicula ex uerbis accepta, liberum hominis arbitriũ uellent omnipotens constituere: ac si quid gratiæ Dei unquam concedūt, id ita faciunt, ut gratiam in naturam transforment, quam sibi fingunt instar cuiusdam habitus, aut uestis uniuersalis, atque communis, quæ sit in acre pensilis, ut qui uult induere, per se ipsum induere ualeat. Et electioni diuine fermè nihil tribuunt, & quamuis id uasfrè dissimulent, omnia uiribus humanis fermè ascribunt. Hac sanè de causa nos tam petulanter insectantur, quando uerba Christi, quibus dixit apud Mattheum: non omnes capiunt uerbum istud, qui potest capere, capiat: simpliciter accipimus affirmates munus hoc seipsũ castrandi propter Euangeliũ, neq; omnibus hominib. conuenire, neq; omnib. ingenijs esse utile: quòd hanc facultatẽ Deus non omnibus, pro cuiusq; arbitrio largiatur. Illi uerò audent dicere neminem inueniri posse, qui castè, et continenter uiuere nequeat. Et licet gratia Dei fateantur id hominib. cõcedi, eam tamen omnibus expositam clamitant: & eos tantũ distant, donũ continentie non habere, qui ipsũ nõ uelint. Ceterum ab eis hoc libèter audirem, An omnia Dei dona ita sint comparata, ut quilibet habere possit ex eis quod

Dona dei
non sunt in
nostra po-
testate

cunque uoluerit. Quis nesciat dona Dei esse regna, diuitias, pulchritudinē, & robur corporis? quæ tamē omnes fatebūtur in nostra potestate nō esse: nēpe ut simus reges diuites, pulchri, aut ualido copore. At dicent, ista esse res externas, & quæ ad corpus & carnem attineant, & idcirco non debere conferri spiritualibus. Sed hoc dicere, est nihil dicere, quando quidem in spiritualibus uideor mihi deprehendere, non secus euenire. An putabunt isti positum in mea facultate, ut scientiam legis, & omnium rerum diuinarum tantam habeam, quāta Paulus fuit à Deo donatus? Certē non est. Quamobrem non omnia Dei dona collocanda sunt in nostra potestate. Quia tamen isti sunt lubricæ anguillæ, rursus elabi conantur, ac dicere solent: Ista sunt dona gratis data, seu gratuita: nos autem loquimur de cælibatu, qui est inter dona gratum facientia collocandus. In erroribus istorum nullus est finis: semper abyssus abyssum inuocat: quando quidem nulla opera seu dona, excepto Christo, nos gratos Deo faciunt. Imò potius quia sumus Deo grati per mediatorem, inde fit ut dona ab eo nobis tribuantur. Sed iam operæpretium est illum audire, quomodo uerba hæc Domini, nempe: Non omnes capiunt uerbum istud, sed quibus datum est. Qui potest capere, capiat: quæ plana sunt ac dilucida exponat, hoc est, obscuret, uitiet, atque corrumpat. Primum fingit, nos dicere, his uerbis, qui potest capere capiat, Christum uoluisse homines deterrere à cælibatu: quod mihi reuera nunquā in mentē uenit, ut qui potius uideam Christū hortari eos qui possūt. Primum, inquit, nō omnes huius rei sūt capaces. Vbi oportet intelligas è diuerso aliquos capaces esse, de quib. illicò subdit, q potest capere capiat. Nō itaq; ut iste mētitur, aio Christū deterrere, sed ad hortari, nimirū illos qui dono huiusmodi præditi fuerint.

De uerbis
Christi qui
potest ca-
pere capiat

Et quo-

Et quoniam subtilissimus vir animaduertit obstare sibi uerbum, potest, illud cōtendit, hoc loco accipiēdum esse pro, uelle, atque ut hunc tropum affirmet, non respicit, ut debuerat, circumstantias uerborum Christi, non ad ea, quæ precesserunt, neque ad ea, quæ consequuntur: sed tantum alia quædam scripturæ loca inducit, ubi ait, posse, pro uelle, accipi. Quod etiam si ego darem, non propterea conuincitur, hanc significationem hoc loco esse suscipiēdam. Quid enim si alibi hoc modo sumatur, num statim hoc loco sic erit intelligendum? Si quis uobis transubstantiatoribus & cognoscois dixerit in compluribus diuinæ scripturæ locis. Est, sumitur pro significat: quum itaque dicitur, Hoc est corpus meum, in sacramento Eucharistiæ, ut loquimini, conficiendo, uerbum est, pro significat, oportet accipere, omnes ibi clamatis, omnes contradicitis, ne à uestra impanatione, uel transubstantiatione discedere cogamini: quum tamen uelitis, nolitis, ex antecedentibus, cōsequentibus, & circumstantijs, historiæ cenæ Dominicæ, ex ueritate naturæ humanæ, quæ fuit in Christo, ex capite sexto Ioannis, & ex natura sacramentorum firmiter probetur, uerbum est, accipiēdum ibi esse pro significat. Proinde, quod tu, ac tui similes non patimini, ut alij quamuis iure faciant, cur ipsi tam facile, ac sine ratione usurpatis? Primum uobis ex antecedentibus, consequentibus, circumstantijs, uerbis textus, & uiuis rationibus probādum fuit hoc loco uerbum posse, idem significare, quod uelle. Postea ne tropus uideretur durus, cōmodum fuisset alia producere loca, in quibus talis metaphora usurparetur: quod nos in exponendis illis uerbis cenæ dominicæ diligenter obseruauimus. Quare hoc tibi dictum habeto, quoad rationibus non euiceris, ita hoc loco uerbum illud accipiēdum, etiam si mille alias mihi sententias adduxeris, ubi po-

test, ut contendis accipiatur, nihil quod ad rem tuā faciā
 probasti. Narratio sanē Euangelistę plurimum cōtra nos
 facit. Nam si rationem adhortandi sequamur, longē est ef-
 ficatior adhortatio, si dixeris, Qui potest capere, capiat,
 quā dicendo, Qui uelit capere capiat. ibi enim adhorta-
 bitur omnes, qui possunt: hīc uerō liberam uolentib. relin-
 quet optionem, ut faciāt, quod libuerit. Cū igitur eos in-
 secteris, qui uolunt ibi Christū deterrere à cēlibatu, & u-
 lis potius, Dominū illis uerbis adhortari ad uitam cēlibē-
 cur non id genus adhortationis amplecteris, quod sentiri
 efficacius esse? Mitto, quod Paulus ait, Quęq; suū habere
 donum, alium sic, alium autem sic. Et Christus adiecit, sed
 quibus est datum. Quibus diligenter hinc atq; inde cōside-
 ratis, maximē conuenit, ut posse, hoc loco pro sua simpli-
 ci, & germana significatione accipiamus. Nā dicit antea
 Christus, Non omnes esse capaces: deinde uult adhortari,
 nō dicere, qui uult capere capiat. Hoc enim esset ostēdere
 sua nō referre, & sibi perinde esse, an aliquis capiat, an nō
 capiat. At si dicat, Qui potest capere, capiat, ostendit, ab
 adhortatione sua eos tantū excludi, qui nō possunt. Et de-
 mum subiicit, sed quibus datum est, ubi discriminis rationē
 collocat in dante, non in accipientibus. Deinde Paulus, ut
 interpretes accedit, qui ait, quęq; suum habere donū: & cē-
 libatum nō uult præcipere, non solum quia nō habet mē-
 datum Domini, sed ne laqueū cuipiā nectat. Quis obsecro
 esset laqueus à Paulo iniectus, si quicūq; uellet, posset? Certe
 tē qui posset, & non uellet, laqueum sibi ipsi necteret, non
 Apostolus esset accusandus, qui iuberet, quę omnes pos-
 sent, modò uellent. Hęc omnia testimonia rectē iudicanti
 satis demonstrant, ex uerbis inductis haberi, non esse in
 manibus nostris cēlibatus obseruationem. Sed hunc Pela-
 gianum ad extasim miror: qui quum citasset illud Ioannis
 quinq;

quinto, Non uultis uenire ad me, ut uitam habeatis, de suo
 addat, Potestis ad me uenire per fidem, & resipiscentiam,
 sed cum liceat, non uultis: alioquin quid attinisset Chri-
 stum toties illos ad credendum extimulare, si integrum
 non esset illis credere? Adde, quod aliàs in crimen non fuis-
 set illis uertendum, quod non crediderint, nisi licuisset illis
 credere. Atq; illud statim Matthæi adducit, Hierusalē, Hie-
 rusalē, quoties uolui cōgregare filios tuos, ut gallina cō-
 gregat pullos suos sub alis, & noluisti? Et addit: Si Christus
 qui est omniscius nouisset, illos nō posse congregari, si uel-
 lent, nunq̄ id operæ impendisset. Quid hīc ego faciā? si cla-
 mauero Pelagianum illum esse, nō pudebit, quia hodie a-
 pud papistas cœpit hæresis Pelagij non malè audire. Estq;
 satis magistris nostris, illam dūt axat nomine declinare, &
 dicant se gratiam statuere, quam Pelagius negarit. Interea
 uerò ab illo minimè discedunt, cum gratiam, quam ponūt
 faciant omnibus communem, quam accipere sit in cuiusq;
 potestate, ita, ut hoc modo uel parum, uel nihil distet à na-
 tura. Pelagiani planè si quis bene sententiam illorum dis-
 quirat, minimè talem gratiam negassent. Sed illis nūsis, di-
 cas obsecro, quis est nostrum, qui possit ad Christum ue-
 nire per fidem & resipiscentiam, & quum id in manu
 sua sit, nolit? An adeo gratiæ Christi es aduersarius, ut non
 tantum dona cœlibatus & uirginitatis, sed etiam fidem,
 & ueram pœnitentiam, quæ sine illa non potest haberi,
 confirmes in manibus esse hominum, priusquam ad Chri-
 stum conuertantur? Si hæc in manib. eorum sunt, cur Deū
 rogamus, ut illis mentem illuminet, & cor aperiat? Illi tā-
 tum rogandi essent, ut cōmunia hæc, et quæ uulgò sint om-
 nib. possibilia uellēt accipere. Deus enim ut uos profitemi
 ni, quod suū est fecit, gratiā hāc uniuersalē cōstituēdo. Ho-
 mines itaq; tātū sūt adhortādi. Ad hæc Pau. cur ait ad Cor.

priore, Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritalia Dei, neq; enim potest, quòd stultitia illi sunt. Cum itaq; nò dum regenerati spiritalia non percipiant, quomodo illa possunt credere? Cumq; ex fide sit iustificatio, cogetur deniq; homo iste dicere, homines posse iustificare seipsos. Nisi non possent, inquit, illis non posset in crimen uerti. Iam cum Deo ipso uult disputare: uerum iam ipse respondeat: possintne infidelium paruuli seipsos ab originis peccato liberare? Certè nò possunt. Cur igitur illis in damnatione non tantum in crimen uertitur? Ex eo quòd homines peccatis obnoxij sunt, iste uult efficere, illos posse seipsos liberare: certè quisq; ualet semet ipsum occidere, ciam tamen sese à mortuis non possit excitare. Voluit Christus filios Hierusalem congregare, ipsa uerò noluit: ergo inquit iste, uelle potuit. Hæ sunt abnegantium gratiam Christi, pulcherrimæ argumētationes. Noluit Hierusalem, hoc est, ipsa hypocritarū synagoga id fieri, qua tamē inuita, Christus, quos uoluit, congregauit, neq; uoluntati eius potuit resistere. Quis est, qui ad Christum uelit adduci, nisi prius dominus uoluntatem eius immutarit, & ex mala bonam fecerit? Quoad est in nobis cor lapideum à Deo semper sumus auuersi. Propterea necessarium est, ut ille prius cor carneum inserat, quemadmodum dicit Ezechiel, quòd placeant nobis illius præcepta, & uoluntates, quæ ante displacebant. Non laborat Christus frustra, qui sciat omnes posse congregare, quos ille iuxta suam electionem, atq; prædestinationem aggregare sibi uoluerit. Interim tamen praua hominis uoluntas iure accusatur, licet aliter nò possit. Quod enim aberrat à lege Dei, & cum ea pugnat, quamuis nequeat sibi ipsi relicta secus agere, cum turpe est, tum ab honesto, & iusto discrepat. Quam autem iuste, aut cur Deus accuset homines in ea infirmitate ac imbecillitate positos

positos, non est presentis loci excutere, atq; illis, qui diligenter epistolam ad Romanos legerunt, non est necessarium: Sed tamen hoc est in Smythæo admiratione dignum quòd ut falsa confirmet, ea producat, quæ longè magis & falsa sint, & absurda. Quid in presentia nitebatur probare? Omnes posse, modò uelint celibes esse, quod ut docuimus, alienum est à scriptura. Id, ut constabiliat, inquit, homines posse, & credere, & resipiscere, ita ut nemini non sit data hæc facultas. Quæ sententia, ut hæretica est, ita longè est absurdior, & à sacris literis alienior, quàm ea de celibatu, quam probãdam assumpserat. Nam celibatus à iã regeneratis assumitur, qui per spiritum Christi receptum uires aliquas habent, quibus spiritualium possint fieri cõpotes. Credere uerò ac resipiscere, cùm primùm homines incipiunt, erant antea in morte, neque ad spiritualia uel intelligenda quicquam uirium habebant. At his hominibus, usu uenit, quod etiam lapidibus, qui à montibus altissimis præcipitantur: hi enim primùm leui motu cadunt, deinde aliquanto citatius rapiuntur: postremò ingenti ruina decidunt in uallem, aut in barathrum obscurissimum. Ita isti uidentur ab initio paululum quiddam secus dicere, quàm re uera habeat, sed quò pergunt ulterius ad sua uel confirmanda, uel illustranda, in grauiore errores decidunt, ut denique lapsu euidentissimo, sese in apertas hereses conijciant. Deinde quasi pulcherrimè atque appositisimè locum istum Matthæi tractarit, ac explicarit, iactitat se telum hoc è manibus mihi excussisse. Dicat, hunc esse Theologorum Hectorem, quòd ad eius impressiones omnibus armis excidant. O felicem papistarum Troiam, quæ talem propugnatores habeat. Telum quòd mihi extortum gloriatur, cùm diuinum sit fulmen, sophismatis nescit cedere, sed inuictum, & insuperabile perstat, æternumq; durabit

licet præ dolore atq; inuidia papistæ rumpantur. Iam uero attendendum est, quomodo Herculeum istius robur, aliud telum diuini armamentarij, quod pro nobis acriter pugnat, conetur facere irritum. Propter supra suam quisq; uxorem habeat, inquit Paulus, & quæq; suum uirum. Hic blaterat Smythæus, nos omnem uictoriæ spem habere, de qua gloriemur, eaq; non dum parta: neque sibi temperare potest, quin Ouidium poetam prorsus factum ad suum castissimum ingenium adducat de Arte amandi, & Plautum quoq; præsidium sanæ suæ theologiæ non contemnendum. Tamen ad seria uenit: & ut demonstrat Paulum his uerbis noluisse commendare, uel præcipere matrimoniū, his omnibus qui sunt in periculo, ne scortentur, ait: si Paulus id fecerit, omnino secum pugnaret, quando quidem potius uirginitatem consulit, dicens: De uirginibus præceptum domini non habeo, sed consilium do. Ac subdit: Volō omnes esse quemadmodum ego. Non est hoc uulgaris acuminis præuidisse tantū periculum, & cauere, ne magister gentium dicat pugnantia. Quis præter hunc tantum mali ualuisse auertere? Hoc est sapere. Si quis doctissimus, atque sanæ iudicij theologus diceret Smythæo, ob tuam stupiditatem, atq; stultitiam, quæso à theologicis questionibus tractandis abstinere, rectè illi profectò præciperet. At idē postea si aliqua beneuolentia, & charitate ductus diceret, optare Smythæo tantum doctrinæ ac pietatis in re theologica, ut quæstiones eius facultatis cōmodè tractaret, & quæcūquid mihi est concessum, ego sanè minimè iudicarem, hūc doctum, & pium uirū protulisse pugnantia. Prius enim inbebat id, quod reuera istius imperitiæ cōuenire intellexit: deinde illi bonū optauit, quo est destitutus. Respicit itaque Paulus priori loco cōmunem hominū imbecillitatē, & eis potissimū loquitur, quib. ab adulterijs, & stupris periculū immi-

immunit, eisq; iubet, ut in matrimonio degāt. Quod idē infra quoq; apertius præcipit, dicēdo: Qui nō continent, nubant. Postea uerò dum laudat cælibatū, ut statū conditionemq; feliciorē, ipsum omnibus hominibus optat, neque tunc agit, an sit eius obseruatio, uel possibilis, uel impossibilis, Atq; huiusmodi eius desiderium ad magnam uehementemq; charitatem pertinet, ut ad Rom. inquit, Pro fratrib. meis secundum carnem optarem esse à Christo anathema: ubi non spectauit, an id fieri posset. Iam arbitror ex his liquere satis, in uerbis Apostoli nihil esse pugnæ, ad quam euitandam Smythæum tantopere laborare oporteat.

Figit attanen nodos, ubi omnia sunt perspicua, & ipsa luce clariora. Quare suspiciandū est, eum tenebras obscurissimas in oculis habere, nisi forte, ut uideatur acutus, quæsiōne superuacaneā inferat de Apostoli scopo, & tanq̄ ipsi negotio interfuerit, nos, quos appellat, si dijs placet, ardeliones, docet, quidnam Corinthij per literas Paulo scripserint. Multi eorū, inquit, existimabāt requiri à se, ut cum defecissent à paganismo, & Christo nomen dedissent, uxores, quas prius habuerant, dimitterent. Quibus respondet Apostolus, bonum quidem esse, ac commodum homini mulierem non tangere, hoc est, uel à propria uxore abstinere. Verum ne supra designentur, quemlibet suam debere, quam prius habuerat retinere. Quare nos damnandos pronuntiat, qui hunc locum intelligamus in uniuersum quoad omnes, cum Apostolus tantum loqueretur de uxoribus, quæ iam ductæ fuissent, nō autē de inducendis. Quis quid iste dicat de literis Corinthiorum ad Paulum, coniectura est, neq; adeo firma, ut omnes ei statim cedere debeant. Deinde, quum infra de his luculenter agat Apostolus, qui ad Christum conuertuntur, iubeatq; si pars infidelis, cohabitare uelit cū fidei cōiuge, ne discedat, aut repel

Quis fuerit scopus apostoli in primis uerbis 7. ca. 1. ad Corinth.

latur, uidetur ab initio loqui generalius: nempe quoad omnes, qui sunt in procliu, ut scortetur, aut adulterijs polluantur. Quod ne uideatur obscure dictum, infra mandatur idem apertius, qui non continent, nubant. Non opus est itaq; necessario, ut fingatur, Apostolus ab initio loqui de coniugatis, ne scilicet unus alterum deserat, quia, non tantum, ut diximus, hoc deinde agit de infideli coniuge, uerum quoad omnes ex Domini præcepto istud madat, ut uir à muliere non discedat, neq; uxor à uiro. Cum itaq; ista sit cōiectura, qua isti sic opinantur, & admitti potest, & rejici. Neq; mouere nos debet, quod Smythæus addit de uerbo ἐχέτω, quod significat adherere firmiter. Nam Paulus habet ἐχέτω, non ἐχέτω. Et uerbum ἐχω apud bonos athenos, non solum significat rem possessam à me retinere, sed etiam occupo, adduco, deduco, & applico. Neq; in sacris literis talia significata desunt. Siquidem Iacobi primo scribitur, ἡδὲ ὑπομονὴ ἐργου τέλει ἐχέτω. Nec loquitur hic Apostolus de opere iam perfecto, quod qui prius habuerit, retineat, sed de eo, quod uult, ut pij sibi uendicent per patientiam. Et in 1. ad Timoth. ca. 5. ἵνα καὶ λοιποὶ φέβοι ἐχέτω. Hic quoq; non loquitur Paulus de timore, quo prius perciti fuerint cōseruādo, ac retinēdo, sed inducēdo cum uiderent à Paulo sumptam ultionem. Et Ioan. 3. οἱ πιστεύουσι εἰς τὸν υἱὸν ἐχέτω ζωὴν αἰώνιον. Nō existimamus est is, qui credit, uitam, quam prius habuerit retinere, sed credendo illam adipisci. Me planè tempus deficeret, si locutiones huiusmodi uelim undiq; corradere. Quid itaque obstat, uir sapientissime, quin Paulus dicat, cuiusq; periculum imminet, à scortatione uxorem ducat? Eχέ non potest hoc significare? Ostendimus iam esse hanc quoq; huius uerbi germanam significationem: & sensus est admodum consentaneus, cum Apostolus disertis uerbis idem postea iubet.

Græcum
uerbum
ἐχω, quid si
gnificat.

iubeat. Deinde quæ sequuntur, minimè secus indicat, licet id Smythæus falso persuadere contendat, ex eo quod scribitur: Vir uxori debitam benevolentiam reddat, quasi de mostretur hic de coniugatis haberi sermoni. At mihi potius uidetur, ut, cum propter fornicationem matrimonium iusserit his qui uersantur in periculo, statim de officio conjugatorum præcipiat, & de eo præsertim officio quo scortatio aueritur. Idcirco mox adiecit, Nolite fraudare inuicem. Primum itaq; matrimonio eos copulat, deinde addit quæ facièda sint in cōiugio, ad euitādas nefarias cōtaminaciones. Neq; intemperantes, & qui aduruntur, seu scortantur, ad uigilias, ieiunia, preces, ut facit Smythæus, ablegauit, quò a congressu mulierū temperare possent. Si hoc pacto, quemadmodum nunc exposui, fuerimus interpretati Apostolum, certè simplicè textum sequimur, nihil absurdi admittimus, neq; incertas coniecturas captamus. Ne tamen aut morosi, aut difficiles nimium habeamur, Smythæum, & qui cum eo faciunt, diuinasse cōcedamus: quæ ramusq; nostræ sententiæ quid officiat eorum coniectura, & interpretatio: causam eorum sane minimè facit meliorem. Nam ad cōcludendum quod uolumus, ducendani scilicet uxorem esse ob periculum scortationis, & adulterij, satis est, quod isti nobis ultro largiuntur. Si enim remedium contra libidines est, habere, uel, ut uolunt, adherere tenaciter uxori, nōne idem præstabit ea quam duxeris, cum antea illam non habueris? Porro qui retinuit diuitias suas pecunias, si illis utatur ad res necessarias comparandas, nōne similiter iuuabitur, qui pecunias de nouo sibi acquisierit? Quis non miretur eorum subtilitates, qui tam multa dicunt, ut nihil dicant? Mitto, quòd, ut dixi, Paulus disertè iubeat eos, qui nō cōtinent, nubere. Cur si ibi eum ferre possunt, hic adeò se torquent, ne idem ab illo au-

dant? Alium uerò locum, quo robustissimè aduersario-
 rum insania expugnatur, ita molli brachio Smytheus at-
 tingit, ut eum dicas ambulare super aristas. Quisque pro-
 prium donum habet à Deo, alius quidem sic, alius uero
 sic. Potest ex his uerbis aliquis, modò sit alicuius iudicij
 elicere, cuique distribui dona, prout ipse uelit à spiritu
 sancto, & non pro suo ipsius arbitrio? Oportet sanè ad-
 modum esse rudem, qui hoc sibi persuaserit: cum Apo-
 stolus in eadem Epistola ad Corinthios dicat apertissime, spi-
 ritum sanctum dona partiri prout ipse uult: non autem
 dicit, prout ipsi ei præscribimus. Alicui enim conce-
 ditur ut pudicè castèque uiuat in coniugio: isti celibat-
 us non conuenit: Alteri uerò datur, ut absque matrimo-
 nio castè sincèrèque Deo seruiat: isti nuptiæ non sunt
 necessariae: atque fortassis ad matrimonium, ad uxo-
 ris familiarèque regimen esset ineptus. Non enim leue, ac
 contemnendum est donum Dei, sese in matrimonio com-
 modè, sanctè, ac piè gerere. Quòd si quisque quodlibet
 donum habere pro sua uoluntate posset, cur dixit Pau-
 lus, proprium donum esse cuique datum, uel assignatum?
 Debuit potius dicere dona hæc, si faueret istorum ex-
 positioni, omnibus esse communia. Nemo autem non
 uidet propria opponi communibus. At non ita loquitur,
 cum tamen ad persuadendum celibatum in uniuersum
 nihil fuisset ualidius. Nunquam ei hoc excidit quod
 isti perpetuò inculcant. Omnes potestis esse celibes, si
 uelitis: Dona ista, nempe uirginitas, & celibatus om-
 nibus communia sunt, omnibus liberè proponuntur, ut
 quisq; modò uelit, capiat: sic adhortatio perfecta fuisse,
 & completa. Cæterum quando & Christus & Apo-
 stolus uerba proferunt, quibus demonstrant liquido se
 non omnibus celibatum suadere, quòd non omnes ad
 illum

illum facti sint, quid istos oportuit, eorum sermones tam miserè torquere? Non erant illi proscæto aut stipites, aut trunci, aut lapides, ut in suis uerbis non senserint illum sensum, quem nos quoque sentimus. Qui cum illis occurrerit, cauere debuerant, ne rem sic proponerent, ut adhortatio uideretur frigida: quod accidebat præferendo, cælibatum non conuenire omnibus, cum tamen omnibus esset communis. Quod itaque uerba sic librarint, causa fuit, quia de industria & data opera docere uoluerunt, uirginitatem & cælibatum ad quemuis non pertinere. Hoc sibi uolunt illa Christi uerba, Qui potest capere, capiet: & similiter Pauli sententia, Quilibet proprium donum suum habeat. & : Quisque proprium donum habet, atque illud: Hæc non dico, ut laqueum uobis iniiciam, nec non: Quod si qui indecorum uirgini suæ putet si prætereat nubendi tempus, & sic oportet fieri, quod uult, faciat; non peccat. & deinde: Qui stat firmus in corde suo non habens necessitatem, potestatem autem habens propria uoluntatis, & hoc decreuit in corde suo, ut seruet suam uirginem, bene facit. In quibus postremis Apostoli uerbis illud est consideratu dignum, quod dicit, Et necessitatem habet, aut non habet. Nam inde colligitur aliquibus nuptias esse necessarias. Haberi etiam ab eodem, Melius est nubere, quam uri. An tu putas, ignorasse spiritum sanctum, qui horum uerborum fuit author, istas loquendi formas, si accipiantur simpliciter, & iuxta uocum significationem, demonstrare nonnullis necessarias esse nuptias? & non posse omnes per infirmitatem uel adustionem cælibes esse? In re tanti momenti procul dubio nolisset nos decipere.

Sed quia uerum est, quod simpliciter & planè significatur, nusquã uel semel ista doceri curauit, quæ Smythæus, & eius cõplices quasi notissima sint, perpetuò nobis obijciunt: at semper ex proprio capite, nunquam è diuinis litteris. Consideret autem lector, quàm dilutè interpretetur ac tractet iste noster locũ, quem habemus præ manibus. Quisq; proprium donum habet à Deo: fateor, ait, cum omnibus doctis dona hæc esse Dei, et ideo esse ab illo cum petenda, tum etiam precibus impetranda, Sic arbitratur se satis fecisse, atq; abit: eiq; satis est unum aut alterum suæ contortæ interpretationis adhibuisse testem. Cur nõ considerantur ea quæ præcedunt, ex quibus facile uideri potest, quidnam uelit Apostolus? Volo, dixerat, omnes esse sicut ipse sum, quemadmodũ & decimo quarto ad Corinth. priore, Volo autem uos omnes loqui linguis, magis autem ut prophetetis. Vellet quidem Paulus omnes hæc habere dona, quum tamen sciat non esse in manibus cuiusque positum, ut sibi, quod uoluerit, eligat: quum spiritus sanctus fuerit, qui alios posuit apostolos, alios prophetas, alios euangelistas, &c. Quando itaque dicitur, Volo omnes esse sicut ego sum, statim subiicitur, quid obstat, quò desiderium eius non impleatur, neque sit possibile, ut quilibet hoc habeat. Quia, inquit, propriũ donum quisque habet à Deo, alius quidem sic, alius autem sic: ideo debet quisque contentus esse propria sorte, præsertim quia utrinque salus constat, & à Deo status uterq; approbatur. Non tamen inficias eo quim, si quis existimauerit se magis edificaturum proximos, aut regnum Dei promoturum in celibatu, Deum rogare debeat, ut sibi donum eiusmodi largiatur. Quod si non impetrarit, seq; labi uiderit, & aduri senserit, ita ut eius turbetur conscientia, & à pietatis cursu, & à sanctis exercitijs impediatur, ma-
trimonium

trimonium ineat, atq; illo Dei dono sit contentus: quem-
 admodum Donatus linguarum dono, quum intelligeret
 se posse Dei populum magis edificare prophetando, de-
 buit orare, quo prophetiae donum impetraret: non enim
 omnibus Christianis fuit commune: ac, si non ualisset ob-
 tinere, oportuit illum suo dono linguarum uti: nō tamen
 ita ut Ecclesiam turbaret, sed opportuno tempore atque
 loco, & ut iubet Apostolus, prophetati cedere. Non sunt
 haec ad salutem necessaria: ideo non est opus, ut cuilibet
 concedantur. Et sane Paulo uidemus nō fuisse detractum
 stimulum carnis, quum tamen id ter à Domino petiisset,
 Deus quippe in hoc petitionum genere suos electos non
 semper exaudit. Quòd si tantopere libeat aduersarijs esse
 pertinacibus, & haec uerba urgere, Volo omnes esse sicut
 ego sum, audiant etiam eundem Apostolum ad Timo-
 theum ea loquendi forma utentem: Volo, inquit, iunio-
 res nubere: illum urgeant, illum interrogent, num con-
 traria praecipiat? Quibus respondere poterit se consenta-
 nea loqui, non pugnantiā: quia ex beneuolentia, & cha-
 ritate qua erga uocatos Christi afficiebatur, eos uellet à
 molestijs & curis liberos: sed quia hoc fieri non potest,
 & quisque proprium habet à Deo donum, ideo uult iu-
 niores, & quotquot de castitate periclitantur, nubere.
 Ista sunt clarissima, perspicua, facilia, neque ulla ex par-
 te pietatem labefactant. Quid oportet nodum in scirpo
 querere? Existimant aduersarij, & admodum ineptè,
 proprium donum referendum ad uoluntatem accipien-
 tium: quod quisque illud habeat, quod propriè ac singu-
 lariter sibi delegerit: quum Deo potius quàm homini
 libera distributio sit relinquenda. Vtri magis piè sen-
 tiant, iudicet pius lector. Illi dicunt, Quisque habet à
 Deo proprium donum, id scilicet, quod sibi propriè opta-

runt, & elegerunt. A Deo quidem fatentur dari, sed iuxta cuiusque uoluntatem, delectum atque optionem: quasi ea dona pendeant communiter omnibus expostata: ut Plato ad finem decimi de Republica fingit, animos uenientes in hanc uitam, propositis sibi multis fortibus, pluribusque uitæ generibus, quod magis placuerit expetere. Ille quoque fatetur hæc dari à Deo, cuius ea proponat. Atque etiam, ut fabulatur, adest Prophetæ qui suadet, ut quisque sapienter, quod melius est, eligat. Sûntne isti præclari theologi, qui nihilo plus Christo, aut eius gratiæ tribuant, quam philosophi Deo concesserint, quem tenuiter admodum, & tantum per opacas umbras creaturarum nouerunt? Nos uerò dicimus Dei arbitrium esse, dona sua cui uoluerit distribuere: & eum, quem uult matrimonio iungere, quæcunue statuit celibem uiuere: ad hæc expetenda suo spiritu impellit, eique suppeditat uires ad uitam quam ei concesserit, pie sanctæque colendam. Ecquis de hac Dei administratione, & distributione conqueri poterit? Conqueratur etiam pes in humano corpore, quod non sit manus: & manus, quod non sit oculus. Credo, te uerba Pauli agnoscere ad Corinthios, ubi attribuit Paulus diuino spiritui liberam dispensationem donorum, & quenque ostendit debere contentum esse portione, atque gradu concesso. Agnoscamus, obsecro, semel Deum numen potentissimum, tam in rebus quæ ad regenerationem & salutem sunt necessaria, quam in donis quæ à uobis dicuntur gratuita. Vicissimque attendamus humanarum uirium, & nostri arbitrij magnam infirmitatem, & attribuamus Deo, quemadmodum par est, electionem & salutem quam habemus per Christum, & donorum suorum ei liberam distributionem perueniamus.

tamus. Si eum fatemur autorem esse, ut quisque aut di-
 ues, aut fortis, aut nobilis, aut formosus nascatur, nō pro-
 eorum qui creantur, sed pro sua ipsius qui eos fingit, uo-
 luntate, quid ambigimus de his quæ ad salutem & dona
 spiritalia spectant, idem concedere: quum ista longè ma-
 gis quàm illa nostrū captum, nostrasq; uires exuperent?
 Non perit hoc pacto, sicut isti clamitant, humane uolun-
 tatis natura, quin potius & roboratur, & confirmatur.
 Nam Deus ita illam suis donis & gratia confirmat, us-
 que eò, ut, & illis quæ sibi concessa sunt, delectetur, il-
 la probet, illa Deo ascribat, & illis bene utatur. Quòd si
 querelas carnis & humane rationis uelint sedatas, &
 acquiescentes diuinis iudicijs, in his qui regenerati non
 sunt, id frustra tentant: quia nunquam id obtinebi-
 tur, ut Deus humane prudentiæ satisfaciatur. Quò ue-
 rò ad pios, non est necessarium multum sudare. Nam
 illi, si ueræ pietatis regulam sequantur, diuinæ curæ at-
 que administrationi sese libenter subiiciunt. Sed ad no-
 strum reuertamur aduersarium. Tandem uenit ad lo-
 cum mitigandum, imò, ut rectius dicam, corrumpen-
 dum, quem maxime uidet contra se facere. Qui non
 continent, nubant. Mirum est, quàm subdolè conetur
 ista, ac ridiculè euadere. Ista, inquit, mandauit Apo-
 stolus non adhuc nuptis, & uiduis. Quis adeò cæcus
 est, ut de hoc illum monere oporteat? Qui enim sunt
 alioqui apti matrimonio, nisi qui nondum sint eo a-
 stricti? Quasi uerò Christianus quisquam, nedum
 Paulus, iubeat illum, qui habet uxorem, uxorem duce-
 re? Quis herclè non miretur Smythæum tantum uidisse,
 matrimonium scilicet præcipi, aut inuuptis, aut his
 qui sunt in uiduitate? Nos admodum stupidos, ac he-
 betes existimauit, qui de hoc essemus admonendi?

Querelis
 humane ra-
 tionis nun-
 quam po-
 test satisfie-
 ri.

Addit præterea hinc non sequi, & sacrificis, & his qui
 uotum celibatus nuncupauerunt, licere matrimonium
 contrahere: quòd Paulus de illis non loquatur. Vnde hoc
 ex Apostolo habeat, non dicit. Oportet illi credere, illi
 commissæ est æquitas, qua Papiæ tradunt oportere sa-
 cras literas interdum moderari, ac regi: ut non sensu
 uerborum, ut loquuntur, sed sensu Ecclesiæ intelligantur,
 quæ est super scripturas, & super cælum & terram, &
 super Iesum Christum. Dicat iste, quo unquam loco Pau-
 lus eorum mentionem fecerit, qui perpetuum uouerunt
 celibatum? Quos quum nunquam attigerit, quomodo illos
 dicit excipi? Forte Paulus erat ad eò stupidus, ut quum
 iste locus esset maximè idoneus ad eos excipiendos, ne de-
 ciperentur miseri uotifragi, ut tu semper eos accusas, aut
 non senserit, aut oblitus fuerit, hanc tuam inferere admi-
 randaam exceptionem: aut si uidit, de industria, ut fallere-
 ret, suppressit. Et necesse fuit, ut Symachus, & nonnulli,
 qui eum præcesserunt, hunc Pauli miserum lapsum excep-
 ptione sua quam acutissima corrigerent. Nunc igitur
 uides, quo loco res hæreat: Nos tibi non credimus, tu nõ
 probas. Quare argumentum nostrum uti cæpit, in acie
 stat, stabitque æternum, cum uerbum Dei omnibus alijs
 rebus pereuntibus perire nequeat. Ad hæc ut decla-
 ret, quam ego absurdum paradoxumque dogma tuear
 in nostra potestate non esse ut præstemus, ideòque non
 uouendum, me remittit ad priscos patres ueteris Testa-
 menti qui multa Deo uouerunt. Interroga, inquit,
 eos, cur id fecerint, si non licuit? Addit præterea: De-
 us nõnne ab alijs exigebat, ut Vota redderent? Igitur
 iuxta tuam sententiam rem illicitam exigebat. Scriptura
 cõsultat Vota, cū inquit, Vouete Deo, et reddite: et Christus
 et Paulus illa cõsulerūt. Nū illi, quæ nõ licent, cõsulebāt?
 Hic

Hic adeo exultat nos, ut se arbitretur me propinasse omnibus exhibendum, ne dum ridendum. Primum uelim meminisse lectorem, in assertionem me hanc rationem adduxisse, nequaquam uniuersalem, sed ut singularia quaedam uota perstringerem, quae dixi in manu nostra non esse praestare, praecipue spectans uirginitatem, & celibatum, de quibus agimus, non quod omnia quae ueteres promittebant, uouendo, reddere non potuerint. Nunquam plane sum inficiatus, in potestate, uel arbitrio pii hominis iam regenerati fuisse, uictimam Deo pie mactare: oblationes aut decimas offerre, atque alia id genus. Erant illa tum fidei sancta exercitia, & a pijs exerceri pie poterant, ut hodie nos quoque sponte ac libere saepe accedimus ad laudes in coetu sacro Deo celebrandas, & ad communionem Eucharistiae cum ceteris fidelibus percipiendam: similiter nunquam negaui, in manu esse hominis regenerati, per Christum, qui spiritu Dei iam agatur elemosiam ex fide pauperi dare. Verum cur ista uouenda non sint hac tempestate, rationes prius adduxi, neque illas nunc repetere oportet. Quo uero ad hoc argumentum, illa ego uota damnaui, pro quibus isti tantopere pugnant, eaque dixi extra nostram potestatem sita quod spero ex his, quae diximus, iam satis apparere. Non aliud ergo conclusi hac ratione, quam celibatum, & uirginitatem proprie non esse uouenda. Nec uidere possum, quare mihi Patres ueteres adhuc obijciat: cum ueteri Testamento uota semper concesserim. Proinde uideat ipse, contra quem ista dicat. Quomodo autem scriptura dixerit, Vouete, & reddite, superius explicauit copiose. Illud item quod impudenter assumit, Christum & Palam uota consuluisse, non semel negaui, ut nunc pernego. Quare cum semper per idem canat, nec unquam probet, re infecta denique abibit. Rursum ut uideatur Deo multum deferre, castitatis donum ab illo

esse fatetur, quòd hoc Salomò dixit in libro Sapientie quem ut commemoravi, de cælibatu minime locutum esse constat, sed potius de castitate coniugij, qua illi uehementer opus erat, eamq; necessariam est, ut coniuges à Deo instanter petant. Quod uerò dicit, donū cælibatus, aut uirginitatis precibus impetrandum, pro ut Christus monuit, Petite & accipietis, ad rem præsentem, ut mōstratum est, nihil facit: quum Deus hoc genus doni distribuatur, cui uoluerit. Non tamen hæc obstant, quin uti dixi, aliquis possit petere à Deo, si iudicauerit ad gloriam eius conducere uirginitatis, aut cælibatus munus. Quibus nunc addo, cū oportere, si adeptus fuerit, illud purum castumq; obseruare. Quod si non successerit, & incontinenter uiuatur, & conscientia turbetur, cum tanto animæ periculo nō est relucandum, sed potius ad matrimonij remedium confugiendum. Itaque nulla tela, ut iste prædicat, & uideri uult, sunt è manib. nostris extorta, sed ita robustè pro ueritate pugnat, ut eius et cōsimilium errores funditus iugulent, ut omnibus patefiant, prorsus euiscerent.

XII. O B I E C T V M.

H . 7.

Impudenter quoq; insicians illud psalmi 75. Vouete, & reddite, ad nos Christianos quicquam pertinere, sed ad Iudæos tantum, & Iudaica uota: quasi uerò uouere Deo quippiam, caremoniale quiddā esset, ac Iudæis peculiare, & non potius morale, pertinens ad Dei cultum, ac omnibus proinde commune omnis ætatis, omnisq; is hominibus.

D E F E N S I O.

Nunc tandem coepit iugulum cause attingere, sed quā frigide, quānuē paucis facile cognosci potest. Et nullā rationem contra me attulit, nisi quòd patresasserit cōtra me pro se stare, Votū ego dixi, caremoniā fuisse antiqui testamenti, & sub lege, & ante legē seruata, sed quæ Christo adueniente abierit, et obsoleuerit. Multasq; adduxi robustas fir-

firmasq; rationes, contra calibatus, & uirginitatis uota, quas nō refellit, neq; ad suā sententiam probandam, q; in nouo statu euangelij uouere liceat, quicq; ex scripturis asfert. Me iam reprehendebat, quōd absq; ratione meis distatis uelim fidē adhiberi, quasi essem Pythagoras, de quo discipuli aiebāt, ipse dixit, nec eius doctrinā aliā rationē reddendam esse existimabāt. Sed quis non uideat hanc arrogantia non in me, sed in illū cadere? Quomodo hic tantam rem, quā proponit, cōfirmauit? Nullo sanē argumento. Vota ego dixi ad antiquū testamentum pertinere: quia nusq; in sacris literis, nisi ibi ea reperio, & ut illic apparet circa uictimas oblationes, & caeremonias aliquas uersabatur, quae omnia Christum uenturū adumbrabant. Vnde cū ueritas accesserit, umbræ intelliguntur cessisse. Dixi etiam illis opus non esse, quōd per uota Deus Patres erudire uoluerit, ut sua omnia illi ascriberent, et sese ultro ei addicerent: quae pædagogia fideles Christi non indigent, cū id per copiam spiritus Euangelici, & literas Apostolicas apertissimè sint docti. Has ego rationes antea non solum posui, sed multis confirmationibus constabiliui. Iste tātūm dicit, uouere non esse opus caeremoniale, sed morale: neq; uidet, quōd si morale esset, rationem præcepti haberet. Neq; hoc dico, quoad reddendum, ne cauilletur: uerū de ipso uouendi opere, quod ego caeremoniam esse affirmo. Rein contendit esse uotum morale, et bonam. At nil ad bonos iustos, & sanctos mores pertinet, quod lex Dei non præceperit, aut expresse, aut quemadmodum isti locuntur implicite. Quare uouere si ad hoc genus rerum pertineret, fuisset præceptū. Neq; in lege ueteri quicquam mihi demōstraueris morale, quod ad præceptum nō pertineat. Neq; ut monui, te oportet cōsurgere ad uoti persolutionē, cū in præsentia de ipsa eius nuncupatione cōtendamus. Quōd si

Cur uotū
dici non
possit mo
rale opus

dixeris ceremonias quoque omnes sub præcepto fuisse, fatēbor, at non semper in omni loco, & tempore. Non enim semper festa celebranda, non ubique cædenda uictima, non omni tempore, sed tantum octauo die circuncisio abhibenda. Ita ego dico sub præcepto fuisse ceremoniali, ut homines interdum quippiam Deo uouerent, nempe quum illi pro aliquo singulari beneficio essent gratiæ maximè referenda, aut quum aliquid ardentissimè peteretur. Ideoq; dicitur à Dauide, Vouete, neq; tu ex illis uerbis, ut superius docui latius, magis consiliium, quàm præceptum demonstrare poteris. Verum quidem est, Deum neq; rem uouendam, neq; tempus uouendi statuisset: ideo iudicio humano quis obstringi non poterat. Sed cum omnes intelligerent hoc esse genus diuini cultus omnib. hominibus cõmune, agnoscebāt id ad se quoq; pertinere, ut illud præstaret: licet quomodo, aut quando id facerēt, minimè præscriberetur. Sicuti etiā multæ aliæ fuerunt oblationes uoluntariæ, quæ sæpe absq; ulla uoto fiebant, & sub præcepto ceremoniali in uniuersum lato de sacrificijs offerendis comprehendebantur. Nam dicere, Votum pertinuisse ad legem ueterem & non fuisse præceptum, est absurda, & pugnantia dicere cum lex non sit, nisi præcepta. Tametsi in libris legis quædamq; insertas esse fatear aliquas promissiones Euangelicæ aut narrationes. Attamē si propriè loqui uelimus, partes legis, non sunt nisi præcepta. Nostræ autem controuersie status hic est, quod ego ceremoniale antiquæ legis præceptum fuisse affirmo. Smyth. uerò & ceremoniale negat esse et præceptum, sed legi illud inserit, ut consiliū morale idq; sine ulla ratione. Et qua licentiā id faciat, dicere non poterit, nisi præter pictorum, & poetarum, quorum illæ artes non profitetur, licentiā hæreticorum & sophistarum se dicat usurpare: quorum hominum genus paratum est.

Votū quomodo in antiqua lege, sub præceptum captum caderet.

est quid uis fingere ne in uerum incidat. Subijcit, uotū cō-
mune esse omnibus ætatibus, & hominibus cuiusuis legis.
Hoc autem, quid contra me, obsecro, facit? Num fortasse
obscurum & arcanum erat, nisi iam iste reuelaret, cere-
monialia præcepta in lege naturæ permulta extitisse, quæ
Christi aduentu sunt deleta, & per ueritatis præsentia ab-
rogata? Mundorum sanè animantium, & immundorum
in historia Noah fit aperta mentio. Circumcisio tempore
Abrahami fuit instituta. Et consuetudo mactandi uictimas
sub antiquissimis patriarchis ad cultum dei, et sacros ritus
pertinebat, quæ omnia cum cæremoniæ fuerint sãctæ pro
tempore, & gratæ Deo erant, licet uetustate præcesserint
Mosaicam legem, & Iudaici populi constitutionem, atq;
uel omnibus, uel certè multis Gentibus communes fuerint
Nam & Aegyptij & Ismaelitæ circumcidebantur, & Eth-
nici animantes deo sacrificabãt. Sed hæc omnia post Chri-
sti aduentum debuerunt facessere: nisi dicere uelis, adhuc
retinendum morem sacrificandi hostias, quod fuit cōmune
omni ætati hominum, & omnibus legibus. Etenim à san-
ctis patriarchis ista sacrificia boũ, & pecudum, manarũt
ad omnes gentes, licet infideles illis abusi fuerint, & quæ
ab antiquissimis Patribus acceperant uni ueroq; Deo esse
offrenda, ea multis idolis, & sanè detestandis sacrificau-
erint. Ita etiam uouendi ratio ad omnes fermè nationes est
deriuata, qua interim nos minus atque instituto sacrifican-
di, sunt pessimè abusa. Constat itaque ut argumentum ad
ductum cause tuæ malè inseruiat: quandoquidem ex anti-
quitate, & ex eo, quò d latè patuerit uouendi ritus, pro-
bare conatus sis, eum rem fuisse moralem, & ut arbi-
tror legis naturæ, non tantum legis Mosaicæ, ideoq; pro-
pterea retinendum semper pro cultu Dei: cum fieri possit
rem antiquissimam fuisse, sed quæ tam in lege naturæ,

306 PETRI MARTYRIS
 quàm in lege Mosaica pertinuerit ad caeremonias Christi-
 stum adumbrantes, & homines de uita perfectiori in-
 fituentes. Nemo itaque non uidet, quàm parum pro-
 feceris hoc tuo infirmo, atque leuissimo argumento, ni-
 si qui uelit in turba tuorum numerari, & in omnibus pen-
 dere à Patrum sententijs, fidemque suam hominum uer-
 bis constabilire. Quod ut non par sit, neque Christia-
 num deceat, & partim aliàs dixi, & suo tempore sum-
 fusius dicturus.

XIII. O B I E C T V M.

HI 8.

Impudentius sanè, & magis impium est, quod illico
 attexis, nempe, non ideo nobis uouendum esse, quòd
 sancti uouerint, quia non sunt, inquis, omnia facta san-
 ctorum imitanda, nec protinus sanctum putandum est,
 quòd sancti fecerint. Nam Petrus subducens se à Gen-
 tium conuictu Antiochiæ, impellens eos ad Iudaismum
 non rectè fecit, neque in hac re est imitandus. Nonne est
 hæc prodigiòsa inscitiz, & impia malitia? Nunquid ma-
 nifesta stupiditatis est, inficiari Petrum in consistendo
 Christum, & in agendo pœnitentiam imitandum esse,
 quòd is negauerit Christum, aut factò suo impulerit
 gentes ad Iudaismum? Excordem prorsus ne dum effrò-
 rem esse oportet qui asserit, Danidis respicientiam nõ
 esse ideo sequendam, quòd ille peccauerit, designan-
 do adulterium, & eadem. Non sunt honestè facta diuo-
 rum imitanda, quòd uitia eorum sunt fugienda? Do-
 ce si potes, deliquisse illos sanctos uouèdo, quòd nunq̃
 euinces, & cedemus causæ, herbamq̃ porrigemus, &c.

Imitatio
 Patrũ quo
 modo assu-
 menda.

D E F E N S I O.

Quum primis dicendum censeo, de quibusnam sanctis
 intelligerem, quum hanc rationem aduersariorum con-
 trame in assertione induxissẽ. Patres ueteris testamenti
 non spectauì, neque Paulum, qui in Actis Apostolicis He-
 braico more uota suscepit, sed eos posteriores, qui sub E-
 uangelio uouerunt, presertim celibatum, obedientiã ho-
 mini-

minibus, quibus alioqui communi iure obstricti non erāt:
 ut D. Bernardus, & complures eiusdem generis, qui uel
 ea, quæ recensui, uouerunt, uel eos qui uouissent, laudib.
 miris extulerunt. Hos equidem utcumq; uolui excusare, sal
 ua nihilominus dogmatis ueritate. Dixi homines fuisse, ne
 que omnia illorum facta in exemplū trahenda, cum non
 semper, uel quoad opera, uel quoad doctrinam, aurum, ar
 gentum, aut lapides pretiosos ædificarint: attamen, quia
 Christum fundamentum retinuerunt, fieri potuisse, ut sint
 seruati, non tamen in eo, quòd male fecerunt, esse imitan
 dos. Et adicci ab hominibus non esse bene uiuendi regulā
 petendam, quum omnis homo sit mendax: & si exempla
 uirorum sanctorum satis essent ad homines informandos,
 Deus non insumpsisset frustra operam ferendi legem per
 Moysen, loquēdi per prophetas, & per Apostolos. Iste uerò
 quid blateret, fortè nec ipse nouit. Bona opera Dauidis, Pe
 tri, & Pauli, quæ bona esse, per uerbi Dei regulam in
 telliguntur ego negarem imitanda? Quando hoc unquam
 dixi? Omnia quidem opera dixi non imitanda, & rectè
 dixi: tu uerò qui nunquam desinis esse sophista, quod uni
 uersaliter dixi, quasi particulariter enuntiatum refers.
 Quòd si scire uelis, quæ opera sanctorum imitatione di
 gna sint, cum ea legis in sacra historia, uel oculis contem
 plaris, è regione specta Dei legem, & scripturæ institutio
 nem: quæq; uideris ab his non discrepare, cū ingenti gra
 tiarum actione imiteris. Vnde Pau. aiebat, Imitatores mei
 estote: uerū ut sanè intelligas, adiecit, Sicut & ego Christi.
 Quid igitur cauillaris, me dicere facta sanctorū sequenda
 non esse, cum ego de his tantū dixerim, quæ testimonio scri
 pturæ, seu diuinorū præceptorū probari nequeūt? Quòd
 aut rogas, ut ostendā sanctos istos uouēdo peccasse, imò ro
 gane rogas, cū id affatim demonstrauerim. Et ut nunc uno

u^{er}bo dicam, illi omnes peccant, qui Deo cultum exhibent, ab eo non requisitum, neque in sacris literis approbatum. Vt autem uotum cælibatus, obedientiæ, & paupertatis, quæ uos tantopere defenditis, huc spectent, iam satis superq; docui.

A S S E R T I O.

Nunc iam secundo loco uidendū est, an cū hæc uota nuncupata fuerint, ita seruari debeant, ut solui non possint. Et primo loco inscitia & impudentia quorundam occurrit, qui uolentes probare uota esse indissolubilia, ita inquit: uel prudenter uouisti, uel temerè. Si prudenter obserues, & redas piè, quæ prudenter promisisti: sin temerè obseruando pœnas des meritis tuæ stultitiæ atq; temeritatis, Hi ut sunt imperiti, nō animaduertunt ignorationē auferre uoluntariū, quod uel ipsa moralis philosophia testatur. Et licet nō omnis ignorantia culpā excuset, nihilominus uoluntariū impendit, quod in iuramentis, & promissionibus perspicue apparet: quia si per ignoracionē, & imprudentiā re illicitam, & inhonestam sumus polliciti, eā non debemus præstare. Nam Herodes quod malè iurauit Psaltriæ, iniustè persoluit: optimè sanè fecisset, audita immani petitione, si dixisset, Meo iuramento sum deceptus, qui te nunquam petaturam, quod sic iniustum esset. Ideo caput Iouis non do: quod si te putassem petaturam, nunqtale iuramentum mihi excidisset, quod nūc utimprudens, stultum, & temerarium uehementer detestor. At Dauid piè prudenterq; mutauit, quod incogitanter iurauerat, de occidendo Nabalo, familiarique eius funditus delenda. Verūm fortasse contemnentur hæc exempla, quod tam Herodes, quàm Dauid iuramento constituerunt, se facturos in-

ros iniusta: cum, qui uouent cælibatum, aut uirginitatem, rem uoucant natura sua non malam, sed quæ in sacris literis commédetur. Nullus autem est qui dicere ausit, peccatum esse cælibem uitam agere. Propterea ut intelligatur, quàm adductum argumentum firmum sit, libet quodam uti simili. Facito aliquem ciuem cuiuspiam Reipub. iuramentum interposito promississe uicinæ ciuitati, se daturum infra annum tela, sagittas, & arma quædam certo pretio: interim uerò contingat inter istius uiri patriam, & uicinam ciuitatem inimicitias adeo graues excitari, ut bellum inde secururum appareat. Quis non dicat istum ciuem impiè ac sceleratè acturum, si stet promissis? Licebitq; illi iuramentum non seruare, nempe, quòd rerum mutatae sint conditiones, cum tamen priusquam uolæ turbæ acciderent, nil promiserit, quod honestum & iustum non esset. Non autem alia de causa excusabitur à periurio, nisi quòd posterior obligatio non ualet priorem, quæ validior est abrogare. Maiori sanè debito quisque obstringitur, ne suæ patriæ noceat, quòd uinculum statim euilgat à uitæ primordijs, quàm ut alteri priuato fidem datâ seruet. Ideo si promissio in exitium patriæ uergat, irrita est habenda. Ita se res habet de uoto cælibatus, quem cum aliquis imprudenter uouerit, res quæ promittitur, & honesta est, & iusta, cum in sacris literis approbetur: at si progressu tēporis mutantur cōditiones, & iste, qui uidebatur sibi fortis, incipiat aduri, mente, ac cōscientia perturbari, labaturq; subinde, neque precibus obtineat, ut mundè, casteq; agat in cælibatu, iam si non stet uoto, atq; promissioni, bene facit: quoniam ius uoti, aut nouæ promissionis haud potest abrogare antiquiorè obligationè illius mada

Conciliū
Toletanū.
Augustin.
Ambros.

ti, quod per Paulū pmulgatū est, Qui nō cōtinēt nubār: Melius est nubere, q̄ uri. Et Conciliū Toletanū octauū apertè pronuntiat, certis casibus nō esse standū iuramētis: quod idē August. asserit in epist. quā scripsit ad Severū Mileuitanum episcopū: & Ambros. primo de officijs statuit, officiū esse quādoq; à iuramēto recedere. Quare cū promissimus, quod postea deprehēdimus uerbo Dei aduersari, neq; promissio, neq; uotū, neq; iuramētū potest esse ratū, quia prius Deo sumus obstricti, q̄ ullis hominū inuētis. Et duo in hoc genere promissionū mala simul cōcurrunt, q̄ illas irritas faciūt, primum est ignoratio, qua non animaduertimus id, quod pollicemur, aut esse tūc iniustū, aut mutatis reb. iniustū fieri. Atq; hoc genus ignorantis tāti est in matrimonio cōtrahēdo, vt, si, qui putabatur liber, postea deprehēdatur seruus, matrimonium statim irritū fiat. Quare nō mirum si accidat idē in voto. Alterum præterea malū est quod votum irritatur, quia labefactamus hoc pacto ius Dei, quod ante omnia iura oportet locū habere. Ideo si, vt illud saluū maneat, votum imprudēter seu temere nuncupatū infringimus, nō sumus, vt aduersarij uolunt, perfidiæ accusandi. Peccāt nihilominus, qui hoc pacto temerè uouent, ex eo, quod nituntur cultū Deo præstare citra scripturā, & illa pollicentur, quæ possint in ipsorū perniciē vergere. Vtq; in summa dicā, vel cælibatū seruare potes, vel secus. Vtrū uolueris elige. Si potes, iuxta Christi, & Pauli consiliū cælibē uitā agas. Verū duo tibi cauenda sunt: primum, ut cū opus fuerit, absq; vlla hæsitatione, propositum mutes: deinde, ne ad hoc, licet uoueris, te arbitreris cogi ui nuncupati voti. Nā Christus & Paulus ista uolunt esse libera. Neq; tu debes tuo exemplo Christianam

stianam libertatē vllō modo labefactare. Ideoq; si
 voueris, licet possis in cælibatu viuere, videas ta-
 mē permultos factū tuū in exēplū trahere, eosq;
 infirmos, quiq; a durūtur, & labuntur, nolle ob id
 remediū matrimonij vsurpare, q̄ te videāt cælibē
 agere, prout aliquādo vouisti, debes errori occur-
 rere, aut cōfessione publicè testificādo, te nō face-
 re quod agis, religione superstitiosa voti, aut quo-
 merearis tibi æterna premia. Nec esset incōsultū,
 si videres tuis verbis parum credi, vt vxorē duce-
 res: cū Deo lōgè sit gratorū multorū infirmorū sa-
 lus, q̄ tuus cælibatus cū illorū scādalo, aut praua
 persuasione. Quòd si nihil hinc est periculi dono
 tibi cōcesso liberè fruere, atq; regnū cælorū pro vi-
 ribus adiuta. Exēplū huius doctrinæ pulcherri-
 mū nobis reliquit Apostolus. Is enim, cū eo tēpo-
 re circūcisio adhuc esset res indifferēs, cū vidit se
 per eā iuuare posse Christi Ecclesiā, circūcidit Ti-
 motheum & eodē consilio totondit caput, & vo-
 ta suscepit, quæadmodum sub lege fiebat: qui ta-
 mē, cum videret circuncisionē Titi exigī, vt debi-
 tā, & ad salutē necessariā, fortissimè restitit, neq;
 passus est, vt Titus circūcideretur: sicut epistola
 ad Galat. disertè habet. Ita qui cælibatū vouerūt,
 si vide rint se in eo posse p̄stare, atq; sic magis Ec-
 clesiæ prodesse, in eo maneant. Verū si iure voti,
 quasi ratū haberi debeat, illū à se animaduertent
 exigī, omninò reclamēt. Et Phocius Græcus in-
 terpres cū illud exponit Pauli, de virgine, q̄ à pa-
 tre seruari potest, modò necessitatē nō habeat: p̄
 necessitatē exponit, nisi cogatur existimare Dei
 lege illicitas esse nuptias. Ac si dicat, quādo iudi-
 caret, aut suaderetur hoc nomine filiā nō elocare,
 quod nuptiæ lege Dei essent prohibitæ, tū filiā nō
 debeat seruare virginē, sed elocare, ne scilicet suo

Phocius.

312 P E T R I M A R T Y R I S
exēplo falsum dogma cōfirmaret. Hoc ego dico,
non quo illius expositionem probem, quoniam
per, Necessitatem, aliud eo loco intelligēdum pu-
tem, sed quò videas, iuxta sententiam eius, nō es-
se cælibatum, aut virginitatem cum periculo fal-
si dogmatis retinendam. Sin verò cælibem uitam
quam quis vouit, seruare non potest, is non tantū
vxorem ducendo non peccat, sed ad id faciendū
astringitur, cum de matrimonio contrahendo ab
his, qui non continent, præceptū extet. Quod e-
tiam aduersariorū leges, pontificiæ, inquam, no-
bis confirmant. Nā per eas licet vxori è monaste-
rio virum suum repetere, quantumuis omnia vo-
ta solēntur, vt loquuntur uouerit. Neq; aliā ratio-
nem adducunt, nisi quòd in eius potestate nō fue-
rit vouere citra vxoris consensum. Idq; cū ita sit,
qua fronte negare audent, Deo & legi eius non li-
cere, eos, qui uouerunt, eximere à voti laqueo, cū
aduruntur, & non continent, neq; ob infirmitatē
possunt. Nōne Deus, & lex, priusquā uouerent,
illos habuerunt sibi obstristos ad matrimonium
ineundū nisi continerēt? Certè, hoc est, plus ho-
minib. quàm Deo, & legi eius tribuere. vxor ma-
ritum potest iustè à voto reuocare, Deus autē, &
præceptum ab ipso per Apostolum promulgatū
tantundem nō poterunt. Fingito aliquē esse qui
uouerit xenodochio, aut nosodochio se ministra-
turū proprio labore, suiq; corporis officio. Si eū
contingat in morbum grauissimum interim inci-
dere, ut promissum ministeriū nō ualeat præsta-
re, an accersetur criminis violatæ promissionis?
Negāt. Et aiunt, eū excusari, quia nō possit. Curi-
dē non statuunt, quādo quis aduritur, & nō cōti-
net: cum morbo longè grauiori laboret, quàm il-
le, qui ab egrotantiū vel peregrinorum obsequio
impeditur.

impeditur. Et si pergat degere absq; vxore, peribit quoad animum, cum ægrotus ille, si velit pauperibus ministrare, quando quidē male valet, tantūmodò quoad corpus fortasse interibit. Cur, sicuti aiunt, quādo ille ægrotat, neq; potest, ut vouerat, xenodochio inseruire, apud Deum excusatur, quia eius voluntate sit contentus: nō itidē respondēt de illo, qui ob infirmitatem, & lapsus, nō valet, quēadmodum vouerat, cælibem uitam ducere? Vellet quidē & ille modò absq; vxore esse posset, si quidē multis curis atq; molestijs esset liberatus: uerū obstat illius incōtinentia & adustio. Porrò debuerūt & de hoc dicere, Deum eius voluntate, atq; animo contentū esse. Sed cōsueuerunt infirmum huiusmodi sic monere: preceris à Deo tibi dari uires, pulses, petas, & impetrabis, ut cælebs possis viuere, & voto nuncupato satisfacere. Quare non idē occinunt ægrotanti, qui pauperibus vouerat inseruire? Ora, pulsa, pete à Deo firmam valetudinem, quò possis, quemadmodū vouisti, pauperib. ministrare: atq; interim in opere perge, impetrabis, ne desinas voto satisfacere. Profectò debuit vtrinq; par esse ratio. Sed ideo isti nolunt admittere similitudinē quòd sint reuera Pelagiani, & in arbitrij nostri facultate positū existimēt, ut cōtineamus: & gratiam, cælibatusq; donum res cōmunes faciūt, quæ à Deo concedātur omnib. modò suo arbitrio eas eligant, & recipere velint: quod est, gratiā in naturā uertere. Atque itidem dicūt de illa, qua iustificamur, gratia, & regeneramur, eam ita propositam esse omnibus, ut quisq; pro sua voluntate eā queat adipisci. Precum uerò, aut humanæ infirmitatis vtcunq; meminerunt, potius ne videantur ista negare, q̄ quòd re uera illis multūm attribuāt, cū totum sit

314 DE VOTIS ET CAELIB.
 positum, quantum existimant, in libero arbitrio.
 Utq; se excusent, ineptissimè nobis obijciūt Pau-
 lum, qui ter Dominum rogauerit, vt à se stimulus
 carnis auferretur: quod licet à Domino nō obti-
 nuerit, ei quippe respōdit, sufficit tibi gratia mea,
 tamen haudquaquam destitit cælibatum retine-
 re. Ita putant, his, qui vouerunt, esse faciundum,
 vt Deum in tentationibus inuocent: & à Deo im-
 petrabūt, vel liberationem, vel facultatem resistē-
 di. At istis probandum prius fuerat, stimulum car-
 nis, & angelum Satanæ, illo Apostoli loco signifi-
 care aduersionē, de qua nunc loquimur: cū Chry-
 sostomus scribat stimulum carnis ibi fuisse dolo-
 rem capitis, & scholia Græca intelligant significa-
 ri catenas, vincula, carceres, flagella, & afflictio-
 nes quas Paulus euangelizando sustinebat, idē-
 potissimū à Iudæis, qui carne illi coniuncti e-
 rant. Neq; Ambrosius dissidet ab hac interpreta-
 tione. Sed interim, vt nos experiantur humanos,
 demus aduersarijs, per stimulum carnis, quod vo-
 lunt, significari: quid sanè contra nos ex eo pro-
 ficient? Nil sanè aliud quàm Paulum obtinuisse
 gratiam resistendi, sic, vt non laberetur, non in-
 continenter viueret, neq; aduersiones pateretur,
 quæ illius vocationem impedirēt. Iudicabuntne
 isti omnibus promiscuè dari ea omnia quæ Pau-
 lo sunt cōcessa? Illi procul dubio multa Deus lar-
 gitus est, quæ alijs minimè tribuit. Vnde si aliqui
 sint, vt permulti re vera sunt, qui à Deo id nō ob-
 tinent, quod vos dicitis Paulum impetrasse, quid
 obsecro agere debēt? Num parere mandato, quo
 dicitur, Qui non continent nubant? Procul du-
 bio si nō obedierint, Deum tentabunt, vt qui re-
 medium infirmitati suæ oblatum contumaciter
 aspernentur. Accedit ad hæc, quòd votorum re-
 ligionem

Chrysof.

Scholia
Græca.

Ambros.

ligionē potius Papistæ fingere sint existimandi, quàm quod re vera eam sacrosanctam velint, aut re ipsa tanti faciant, vt præ se ferunt. Nam & Papæ ipsi vota relaxant, atque præfectis monasteriorum ea permittunt irritare: quod tamen, vt fiat ex verbo Dei pati non possunt. Id autem aliunde non est, nisi quòd Antichristus effert sese, præ omni eo, quod dicitur Deus, aut quod colitur, & sibi nititur arrogare, quæ verbum Dei posse negat pertinacissimè. Quod vt lucidius exponatur, non obscura proferemus exempla. Qui monachatum voto nuncupant, non solum tribus illis votis nominatissimis se obstringunt, sed etiam vouent iuxta regulam Augustini, Basilij, Benedicti, seu Francisci se victuros. At per multa sunt in his regulis, quæ ab ipsis postea immutantur, & longè aliter fiunt: diciturque ab istis regulas illas in manibus & potestate præpositorum sitas esse, vt multa queant relaxare. Istos libet percunctori, cur eadem ratione præsidi monasterij non liceat votum cælibatus remittere, cum ibi grauior sæpè vrgeat necessitas, quàm in alijs, quæ ab eo relaxantur? Hæc sanè spiritualis est necessitas, & vita spiritus hinc periclitatur. Respondent vota esse distinguenda, cum alia sint, vt illorum vocibus vtar, accidentalia, & alia substantialia. Nomine substantialium tria illa significari volunt in vno quoque ferè ordine vsitata, castitatis, abdicationis facultatum, & obedientiæ. Reliqua uerò, quæ continentur in singulis regulis, ad accidentalia pertinere fingunt. Ideoque ista, seu minora sinunt relaxari, alia verò prædicant perpetuò esse retinenda inuiolata. Primum de istis velim scire, vndenam certi sint, Deum hanc

suam distinctionem admissurum, cū non tantū illa tria voueant, sed simul omnia quæ continentur in regula, quam profitetur. Ad hæc, si quis monachus, ut quandoq; vsu venit, efficiatur aut episcopus, aut cardinalis, iā desinit esse pauper, desinit obedire prælati illius ordinis, aut instituti, desinit, quæ continentur in regula, quam vouit, obseruare: nihilq; suæ professionis retinet, præterquā colorē vestis, quē minimè vouerūt. Quare manifestissimū est, vota relaxari etiam ea, quæ substantialia isti appellarūt. Non est itaq; firmalorum distinctio. Et religio votorum fermè tota reuocatur ad cælibatum, quasi sit à monachis, ab episcopis, à cardinalibus, & ab ipso Papa fide parum bona præstandus. Vbi uerò interrogantur. Cur in eo vnico relaxādo tanta morositas, & difficultas adhibeatnr. Cum nō possint se aliter expedire, ad ipsius rei dignitatem effugiunt, & Deo affirmant, nil posse offerri gratius, aut cælibatu, aut ipsa uirginitate. Et ne id temerè uideantur asserere, Hieronymum semper habēt in ore, ad Eustochium, qui ait: Audacter dico, cum omnia possit Deus, hoc non potest, vt virginem post ruinā suscitet. Sed, vt primū de Hieronymo respondeam, mihi parū videtur curandum, quā audacter dixerit, sed quā verè spectandum est attentissimè. Quod enim attinet ad corpus, hymenæum, & membrorum genitalium integritatem, quas uirginitatis claustra vocant, falsissimum est Deum illa non posse restituere, qui corpora mortuorū extremo die à bustis, & cineribus sit reuocaturus. Quòd si forsitan intelligat, vt puto intelligere, Deum non posse facere, quin puella fuerit corrupta, quæ uitium passa sit, id faciliè concedam. Sed hoc uirginitati cum infinitis alijs peccatis

Hieronym,

catis erit commune. Non enim potest Deus face-
 re, vt qui heri fuit ebrius, omnino non fuerit e-
 brius. Imò potest hoc ad omnia, quæ iam præte-
 rierunt applicari: cum vulgò iactetur, Deum nõ
 posse hoc vnum efficere, vt infecta sint, quæ iam
 facta fuerint. Deinde istos meminisse velim à ve-
 ro esse alienissimũ, quòd tam cõfidenter affirmat
 Deo nil præstantius offerri posse virginitate, cum
 Christus dixerit maiorem charitatem neminem
 habere, quàm vt animam suam ponat pro amicis.
 Idcirco qui vitam offert Deo, sicut martyres, lon-
 gè plus dant quàm virgines. Quòd si etiam istis
 darem, virginitatem esse rerum omnium præcla-
 rissimam, nihil efficerent. Neq; ob id probarèt re-
 laxationem in cæteris votis posse cõcedi præter-
 quam in eo, quo virginitas, aut cælibatus nuncu-
 patur. Quandoquidem vis voti non expenditur
 penes dignitatem rei promissæ, sed penes obliga-
 tionis vinculum. Nam qui cuiquam promisit de-
 cem, non minus ea præstare astringitur, quàm si
 mille fuisset pollicitus. Alioqui Saul peccatum
 suum facillimè purgasset, dicendo: Quæ conser-
 uavi ex præda pauca fuerunt animalia, quæ ad sa-
 crificandum retinui, non ut mihi sint vsui. Vnde
 si cum alijs conferantur quæ internecioni dedi,
 vt Deus mihi præcepit, sunt minimum quiddam
 quod remitti, & condonari par est, cum tanta præ-
 stiterim. Adamus quoq; potuisset excusare vnicũ
 pomum se tantummodo degustasse, quod leuicu-
 lum, si rem ipsam cõtempleris, videri poterit. Sed
 quia in præceptis res non attenditur, quam lex iu-
 bet, sed tantum vis obligationis, & obedientia,
 quã debemus Deo, respicitur, ideo futiles, & ina-
 nes habentur omnes huiusmodi prætextus. Ver-
 bum Dei adiunctum quibusuis rebus quantum-

uis leuibus & minimis pondus addit maximum. Ita de votis istos censere oportuit, non vt dignitatem rerum promissarum expendere, dicendo, alia quòd leuiora complectatur relaxari posse: cælibatus aiunt & virginitatis votum perpetuò seruandum esse inuiolatum, cum sit de re præstantissima. Sic dicendo longè falluntur: quia promissionis vis in omnibus ex æquo est efficax. Vnde apparet, quòd Papa corruptè agat, qui cum religionem votorum vt sacrosanctam odiosissimè vrgeat, attamen ea relaxari permittit, & sibi quædam retinet, vt votum religionis, castitatis, pergrinationis ad limina Petri & Hierosolymâ: quæ, vt vult, remittit, non tamen gratis, vel sine paruo pretio. Et postremò ne videatur nò omnia posse, quandoq; etiâ legitur in historijs cælibatus, & virginitatis vota remisisse. Nam fecit olim ex monacho iam diu professo, qui susceperat ordinem, regem & maritum: item ex monacha, reginâ & vxorem, ad pacem regnorum, vt præ se ferebat, conciliandam. Quod cum ita sit, cur prohibet, ne idem fiat pro salute animi cuiusq;? cum Christus & vitæ & sanguini suo non pepercerit in eo redimendo? Sed gratia Deo, pij iam minas eius cõtemnunt, & fucos deprehēderunt? Quare nò iudicant sibi opus esse vt pergant Romam, cum videant, quòd ille sibi tantum licere prædicat, omnibus. Christianis ex verbo Dei pariter esse liberum. Ex adductis itaq; apparet quòd manifestissimè, confessione quoq; aduersariorum, votorum vincula, non tam esse ferrea, quemadmodum ipsi fingunt, dum contra ministros ecclesiæ, aut monachos, qui vxores ducunt, prout sibi opus esse viderint ad salutem, audacissimè se opponunt. Præterea qui honesta de causa vxorem ducit, minimè vereri debet, ne
voti

voti nomine coram Deo reus accersatur: quoniã legem istam seruandi cælibatus ex voto ipse sibi alciuit, cum à Deo sibi non esset imposta: cuius tanta est bonitas, vt infirmitate nostra perspecta, neq; suæ quidem legis haud integrè, perfectèque obseruatè nos, modò in Christũ credamus, cõdēnet. Cũ ergo remittat Deus quoad fideles de sua lege alioqui iustissima, cur indignabitur, si nos ipsi bene mutauerimus leges temerarias quas vouendo vobis præfiximus. Deinde ad rem adhuc magis patefaciendã nõ grauabimur alio testimonio aduersariorum vt: Suis legibus ipsi statuunt, vota monastica & similia, quæ nuncupata fuerint ante decimum quintũ, vel decimum octauũ annum, irrita esse: quod aiunt idcirco sentiendum esse: quòd illa ætate homines adhuc iudicio non valeant. Quid? annon idem constituetur, quando nouètes, licet vicenarij sint, aut tricenarij, perinde ignorant suas vires, diuini cultus rationem, & naturã votorum, atq; illi qui sunt vel duodecim, vel tredecim annos nati? Paulus ad Timoth. præcepit, ne ad ministerium Ecclesiæ reciperetur viua minor q̃ sexaginta annorũ. Quid igitur istis in mentem venit qui contra eius institutum quintumdecimum, aut decimum octauum annũ præfigunt? Certè quoad viros, qui sunt robustiores mulieribus, & in quib. calor ad procreandũ idoneus tardius restinguitur septuagesimus uel octuagesimus annus debuerat constitui. Quo etiã tẽpore licet obseruatio cælibatus reddatur facilior, eũ tamen censeo nulla ætate vouendum. Neq; Paulus, vt supra dictũ est fusius, in eo loco scripsit illa verba de voto cælibatus nuncupando. Quæ hætenus dicta sũt, dilucidè pbãt, Christianos homines votis huiusmodi, si ea fortasse nũcuparint

quod minimè committere debuerāt, sic non esse obstrictos, quin pro sua necessitate cōtrahere valeant matrimonium. Sed vnum excutiendum superest, quod à superstitionis & Papistis nobis frequenter opponitur. Si licet inquit mutare votum, licebit & matrimonium pro nostro arbitrio deserere. Nā vtrinque promissio fit, vna sanè Deo, altera uerò coniugi. Et par est vtrinque ratio, cum iuxta nostram sententiam, tam cælibatus, quam matrimonium sint quædam conditiones & genera uitæ. Ad hæc nos dicimus, inter ista duo maximum esse discrimen. Quoniam matrimonium non esse rescindendum, nisi iustæ causæ intercesserint uerbo Dei præcipitur: De votis autem eiusmodi longè secus accidit. Primum sua natura cum sub nouo Testamento degamus, irrita sunt. Deinde præceptum vrget, vt, qui non cōtinet, nubat. Quare vota hæc licet soluere, & si aduramur, solui debent. Matrimonia uerò necesse est, vt rata consistant. Ad hæc, falsum est, quod sumitur, nempe in coniugio promissionem tantum fieri inter coniuges, cum addatur iuxta institutionem Dei nuptias illas iniri: quæ diuina institutio dissolutione prohibet. Possent & aliæ complures adduci rationes pro hac nostra sententia cōfirmanda. Sed cum eam ista satis abundeque cōfirmasse videam, ab alijs corrogandis modo supersedebo.

I. O B I E C T V M.

- H. 2. Verum pergam ad reliqua istius Petri argumēta, qui hoc pacto nititur refellere argumētum hoc catholicorum. Quisquis uouet, uolens & sponte uouet: tenetur igitur quod uouerit semel, saltem piè, obseruare. Hic, inquit Petrus, desidero eorum, qui sic colligunt, prudentiā. Nam multi dum primum uouerint, arbitrabatur se rem gratam

gratam Deo in primis promittere, ac sese pares præstā-
 do noto, sed falsò, & idèd ignoranter uuebant, non
 uoluntariè. Quis est tam æquis auribus, piè lector, ut fe-
 rat tam ineptè arguantem? Tollitne eiusmodi ignora-
 tio uoluntatis consensum? Nunquid Ananias & Saphy-
 ra uxor eius rem gratam promiserunt, cum pretium a-
 gri sui erogarent Apostolis? Et mox: Sum adultioris æ-
 tatis cum baptismo admouear: do fidem Deo: renuntio
 satana: postea labor, ne libero fidem. Nunquid nolens
 ac inuitus hæc sum pollicitus? Seruitus, inquit, civilis
 impedit matrimonium ineundum, ac dirimit contra-
 ctum. Cur itaque imbecillitas, & inualentia uirium ad
 resistendum libidini non debeat impedire uorum edē-
 dum, & editum dissoluere? Respondeo paucis, errorem
 cōditionis personæ, qualis est illa seruitus, prorsus ad-
 uersari consensui quo contraheretur matrimonium, ac
 seruum non esse sui iuris, ut liceat ei suo arbitrattu, cum
 uelit, inire nuptias. Sed imbecillitas uirium hominis ad
 resistendum libidini, atque eam superandam huiusmo-
 di non est, quæ remoretur, aut impediatur hominem, ne
 uorum nuncupet, aut nuncupatum ne præstet. Quia ut
 ultro ac sponte uouet, ita licebit sibi precibus donum
 continentia, ac auxilium euadendi inter certandum su-
 perior, impetrare à Deo. Ut frustra toties occurrant
 Lutherani orthodoxis, non posse hominem castè, ac cō-
 tinenter uiuere, quia dono continendi fuerit destitu-
 tus. Iurans, inquit Petrus iste, contra Legem Dei,
 ut fecerunt Herodes, & Dauid, ad præstandum non
 est deuinctus, imò debet rescindere iuramentum. Er-
 go quisquis uirginitatem, aut continentiam ab omni
 coitu uouerit, ac postea à uri sese senserit, non obligatur
 ad præstandum, sed ad dirimendum potius uorum.
 Nemo tam parum uidit, quin cernat quàm parum con-
 sistat hic argumentandi modus. Quandoquidem an-
 tecedens constat esse uerissimum, consequens uerò fal-
 sissimum. Quis enim astrueret aduersari alicui diuino
 mandato, ut uoueas, & persoluas uotū continentia si u-
 rite senseris: quæ admodum pugnat cum lege improbe iu-
 rare, & improbū, ac nefariū præstare iuramentum, cuius
 generis erant iuramenta Herodis & Dauidis? At inquit
 Petrus, astringit actum uisione, id est libidine uictū cō-
 trahere matrimoniū, etiam si uotū nuncupauerit conti-

mentia: quia Paulus iubet, ut, qui se non continent, non
 debent uotum: tantum abest, ut teneatur illud præstare.
 Quoties supra dictum est, illud Paulinum, iuxta ueterè
 Catholicorum doctorum sententiam, pertinere dunta-
 xat ad solutos & sui iuris, non ad obstrictos uoto. Quod
 nisi sic intelligatur, necesse est, id omnibus locis ser-
 uare aduersetur, qui doceat ac iubent, ut uota pia omnia
 præstentur Deo bona fide, &c.

D E F E N S I O.

Ad premif-
 sionis fir-
 mitatè re-
 quiritur no-
 titia.

Quod ego accepi, minimè dubito pios lectores faci-
 le daturus: nempe que ultrò promittimus, aut uouemus,
 iustam notitiam requirere, tam nature uoti, quam no-
 strarum uirium. Si enim quis nesciat, an ad honorem
 Dei uergat, & ad salutem suam faciat, quod polli-
 cetur, idèmq; ignoret, an queat præstare quod pro-
 mittit, non promisit uolens. Quandoquidem uolun-
 tarium, ut docui, testibus uel ipsis philosophis, re-
 quirat notitiam. Hic tamen uideo Smythæum, quod
 assumpsi euident, & manifestum conuicijs exagi-
 tare, cum tamen id nullis rationibus confutet. Inter-
 rogat, an ista ignoratio consensus tollat uoluntatis.
 Consensum ibi aliquem fateor: at non liberum, & uolun-
 tarium, cum debita cogitatio & scientia non interce-
 dit. Etiam qui fatui sunt, consensus uoluntatis adhi-
 bent: sed cum iusta ratione, atque notitia, & iudicio
 careant, nihil quod pollicentur, aut paciscuntur, est ra-
 tum. Sententiam aduersarij confutare, ut iste facit, rudi-
 culum est: qui tantum una aut altera urget interroga-
 tiuncula, quasi sint, que nos asserimus, tam perspicue
 falsa:

falsa: ut nec rationibus oppugnari debeant. De Anna & Saphyra non addenda sunt plura, cum superius uberrimè sit demonstratum illos non uouisse. Quod idem est responsum de his, quæ tu perpetuò asseris, nos in baptismo uouere, atque id non probas. Neque aliter postea te geris, cum agitur de ignoratione seruilis conditionis, quæ matrimonium, licet initum sit, dirimit: quod tu fateris iure fieri, cum ea res impediatur re-
 quisitum consensum. Sed ignorationem interim non sine imbecillitatis non uis posse irritare uotum nuncupatum, quòd non ita simus libidini subiecti, ut serui externis dominis. Quare plurimum à ueritate discedis, cum longè plus homines his affectibus à natura insitis obnoxij sint, quàm omnibus externis tyrannis. Et quanquàm sit inualidum, quod assumis, precibus nos posse impetrare, ut à tentationibus liberemur, uel ut eas uincamus, tamen nunc non oportet de eo pluribus agere, cum superius multa sint in hoc argumento dicta. Semper idem occidit, Lutheranos falso dicere, non posse cælibes uiuere, qui diuinitus prædij non fuerint dono cælibatus. Verum tuam consutationem tantum conuicijs, non scripturarum testimonijs communis. Irisione præterea tibi persuades, te argumentum soluisse à me adductum, ex collatione iuramenti & uoti. Et ais, eandem non esse rationem, quòd iuramenta iniqua, cum alicui Dei mandato aduersentur, non sint perficienda. Sed uouere ac præstare uirginitatem, uel cælibatum, nulli Dei præcepto aduersatur. Quod si dixerim, Dei iussu non debere seruari cælibatum ab his, qui non continent, & adiuuantur, ut Paulus testatur, illicò ad suum fragmentum confugit, dicitq;

ista non esse intelligenda quoad uouentes, sed tantum in cæteris, qui liberi sunt, habere locum. Atque in tua probatione, qua uis ostendere, celibatum seruare, cum lapsibus, & adustione, minimè aduersari cuiquam diuino mandato, miserè deliras, & ut cõsueuerunt sophistæ petis turpissimè, quod in principio erat probandum, & modò inter nos est controuersum. Si ego darem, aliquos esse obstrictos uoto, quemadmodum tu tibi nunc sumis, ut matrimonium inire nequeant, definita esset lis, & nulla superesset controuersia. Sed hoc dum non probas tibi sumis ut concessum, quod est prope totius disputationis caput. Ipse locum ostendo, quo præcipitur, quod ego assero. Tu statim dicis, At qui uouerunt, sunt excipiendi & ut sophista, exceptionem in eo facis, de quo contentetur. Sic nullus error unquam è sacris literis reuinci possit. Et ne uidearis hoc non sensisse, ad finem addis, Nisi sic intelligatur, quod Paulus dicit, pugnaret cum omnibus scripturæ locis, in quibus docetur, omnia uota pia, bonaq; fide præstada esse. At iam centies diximus, loca, que tu citas, ex ueteri sumi Testamento, & ceremonias esse, quæ uigebant eo tempore, ac nostro minimè sunt retinendæ. Deinde tibi accipis uota celibatus esse pia, que nos multis nominibus ostendimus esse illicita. Idcirco nisi meliores, firmioresq; rationes habeas, tacendum tibi potius est, quàm ita incassum loquendum.

II. O B I E C T V M.

H. 3.

Porro quoddam ait, si potes seruare continentiam, serua: sed uide, ne putes te ut uoti astringi ad seruandũ, seu ali quid te Deo per uotũ præstare, quod aliàs nõ teneris illi facere. Quæ præterit q̄ istud sit à uero alienũ? Vi enim uoti obligari uouentẽ euincunt loci cõplures: quod si præ tũ ex scripturis, tũ ex prisca & optimis authoribus adduximus.

adduximus. Deinde per uotum ad continentiam astringi hominē, quā ante editum reddere nō tenebatur, sed tantūm ad eam seruandam inuitabatur à Christo, & Paulo, apertissimum est. Nam dicit Paulus, se Domini præceptum de uirginibus non habere, sed consilium dare. Falsum itaque est, quod ais, debere necessariò cælibem & continentem eam ducere uitam per omnia, cui contigit donum continentiae: ut de quo Paulus nullum habuit domini præceptum, sed consilium duntaxat se dare altruxit.

D E F E N S I O.

Nolo nunc agere, quā fideliter mea retuleris, quoniam hoc esset frustra tempus conterere: præsertim, quia lector ex assertione præfixa, uidere queat hæc, quæ modo narras, quomodo differuerim. Ad id uenio, quod ais, te compluribus ex locis diuinæ scripturæ probasse, homines adigi iure uoti, ad id præstandum, quod uouerint. Ea quum nulla sint, nisi ueteris instrumenti, par est, ut de ueteri tempore intelligantur. Ideo, quum illa loca perpetuò iactas, actum agis. Neque unquam ego sum inficiatus, de cælibatu non extare ullum præceptum priuatum, & singulare: quandoquidem res est, quæ non omnibus in uniuersum, imò paucis admodum, ut uidemus, conueniat. sed potius è diuerso, matrimonium Deus aperte præcepit illis, qui non continent. Et absque controuersia quicumque non sentiunt sibi concessum donum cælibatus, neque uident se per ipsum promoturos magis, quàm matrimonio regnum Dei, legi communi relinquuntur obnoxij, quam ab initio Deus promulgauit, quum dixit: Non est bonum hominem esse solum. Cælibatum uerò illi dixi necessariò præstandum, qui & uires diuinitus habuerit, & per ipsum animaduertit, se posse Christi Ecclesiam magis quàm in matrimonio edi-

326 PETRI MARTYRIS
 ficare. Nam si hoc præstare nollet, conuinceretur absque
 ulla tergiversatione, Deum non amare toto corde, tota a-
 nima, atque omnibus uiribus. Apostolus uerò dicit, se non
 habere præceptum: quia nihil in uniuersum de hoc genere
 uitæ, constitui potest, uel est constitutum. Sed ex diuino
 præcepto, quo Deum astringimur omnib. modis diligere,
 quoad certos homines necessario concluditur, aliquando
 sub præceptum cadere.

III. O B I E C T V M.

G. 8.

Verumtamen in rebus promiscuis, qualis est uota-
 dere Deo, libera debent esse omnia, inquit. Nec fas est
 cuiquam uouere perpetuam castitatem, seu continen-
 tiam: nec tanquam rem necessariam ad salutem, sed ad repositum
 solum, donec potueris præstare, & tanquam rem in-
 ferentem. Accipe iam candidè lector egregiam huius
 probationem. Paulus inquit, circumcidit Timotheum
 non quod necessariam arbitraretur circumcisionem ad
 salutem, sed promiscuam & indifferentem. Nam Titum
 nolbat circumcidere, quod iudæi id exigent ab eo,
 tanquam ad salutem necessariam. O tenebras. Quis cui-
 pectus sapiat, hunc tam crasse cęcutientem, pro uindictæ
 labefactatæ fidei, qualis uideri cupit, libenter amplecti-
 tur? Estne Christiane lector, uirginitas sic res promi-
 scua, quemadmodum erat tempore Pauli circumcisio Ti-
 mothei, quæ fiebat ne imbecilles in fide iudæi offende-
 rentur, & offensi resiliunt à fide Christi? Nunquid
 fuisset facta illa circumcisio spe assequendæ iustitiæ æter-
 næ, non fuisset illi dånabilis, & maxime Gene-
 tibus? Quibus Paulus dixit post celebratum ab Apo-
 stolo concilium Hierosolymis, Si circumcidamini, Chris-
 stus uobis nihil proderit. Hocce sentit doctus & pius
 de celibatu, uirginitate aut continentia? Ut si hæc uo-
 neantur spe consequendi amplius præmium cælestis
 gloriæ, secum ferent damnationem illam? Deinde si Ti-
 motheum non circumcidisset Paulus, quando id factum
 fuisset citra proximi infirmi scandalum, nullum admo-
 dū fuisset facinus malum, quod non egisset contra ullam dei
 legem. At qui editum uotum non persoluit, peccat mor-
 taliter contra uaria Dei mandata. Ergo collatio hæc Pe-
 11

tri longè est aliena à proposito illius, utcunque ob eam sibi blandiatur, & cristas tollat.

DEFENSIO.

More tuo, quæ dilucidè ac integrè à me dicta sunt, (quemadmodum in Assertionem patet) inuoluis & mutilas.

Docui enim licere illis qui celibatum uouerunt, licet non rectè egerint in uoto nuncupando, celibes uiuere: modo & donum sint nacti ad hoc necessarium, & id intellexerint ad regnum Dei promouendum conducere.

Sed cautiones adijciendas recensui, quarum una fuit, ne isti se putarent iure uoti ad id genus uitæ adigi: Nam si celibatus necessariò ab eis exigeretur eo nomine, quòd uouerint, reclamare debent, & reluctari: sicut fecit Paulus, qui quum uidit circumcisionem adificare posse, atque non exigi, ut necessariam, illam adhibuit circumcidendo Timotheum. At quum exigeretur quasi ui, & iure legis, noluit cedere, nec passus est, ut Titus circumcideretur. Quid obsecro est in ista collatione absurdi? quid inepti, ut ita te oportuerit exclamare? Res est utrinque promiscua uel indifferens, celibatus & circumcisio, pro ut ea tempestate fuit. Atque hæc libera uel indifferentia

iccirco dico, quòd illis possint homines uel bene, uel malè uti. Et quæ solent huius generis, libera seruari debent, neque sunt astringenda necessitate, ut qui libet, ut magis ea uiderit ad honorem Dei conducere, aut minus, consilium atque propositum mutare liberè ueleat. Et quod ad me attinet, neq; ad tempus talia uouenda censeo, quamuis id tu mihi ascribas. Dixi quidem his, qui fortasse nullo modo adduci uelint, ut credant uouendi facultatem in Euangelio prorsus extinctam esse, ac sunt proclines ad uota, ut sic saltè uoueat, ut se liberos esse arbitrabètur ad mutad aquæ Deo ex uoto dicarint, cū id uiderint honorè et gloriâ Dei

Qui uouerunt celibatum quibus conditionibus ipsum queant retinere.

Quæ sint libera & indifferentia.

exigere. Sed quod ad rem attinet, ex mea sententia, nunquam dixi uouendum. Atque in hac parte assertionis tantum docui, ut si possint, & conducat, cælibatum seruent, non autem consului ut uoueant, uel absolute, uel ad tempus. Quare rideas, quantum uelis, meamque probationem ironice appelles egregiam, quæ ab exemplo Pauli deducitur, quando eam euertere non potuisti, sed adhuc uelis, nolis, perstat: ac eius tota uis in eo sita est, ut dum res liberæ sunt, liberè præstari possint. Quæ tamen eadem non sunt dandæ, quando requiruntur necessariò, nempe ui Legis, aut iure uoti. Paulus ita se gessit, qui liberè circumcidit Timotheum: sed quasi coactus Legge Titum circumcidere noluit. Videtur isti mirum, si uirginitas, aut cælibatus componatur cum circumcissione. Verùm intelligere debuerat, in eo ista esse similia, quod & rectè, & præuè præstari, seu fieri poterant. Deinde tu ipse mihi aliud simile in ista collatione demonstras, quod ego non adduxeram. Nam dicis circumcissionem tunc temporis factam spe assequendæ iustitiæ, ac salutis eternæ, fuisse damnabilem. Illud idem ego dico de cælibatu, si quis eo speret se iustitiam assequi, quam habemus per fidem, aut speret eius merito uitam eternam, quæ gratis datur, proculdubio erit damnabilis. Tu uerò quia Pelagij non potes obliuisci, semper operibus, ac tuo potissimum cælibatui tribuis uiam merendi iustitiam, uitam eternam, & præmia in cælo ampliora, nec non propter opera, & cælibatum, Christum ipsum, ac meritum eius facis superuacaneam. Adhæc, finem uideris constituere cælibatus maiora præmia in cælo. Quem sanè finem neque à Paulo, neque à Christo didicisti: sed uel tibi fingis, uel mutuaris ab hominibus. Vnde inter mercenarios uerè cõnumerari potes, qui nil aliud in suis operibus spectant

Quis sit finis cælibatus

spectant, quàm præmia. Finis autem sancti cælibatus est,
 ut docet Christus, regnum cælorum, nempe in terris am-
 plicandum, & protendendum ad latissimos fines do-
 ctrina, prædicatione, atque instantissimis precibus, ad
 que cælibatus, his, quibus datus est, eò conducit, quòd
 multis curis illos expeditos reddat. Tu uerò intelligis re-
 gnum cælorum, quo fruamur in æterna patria: quasi qui
 uiuunt cælibes, ibi potiores partes eo merito sint habitu-
 ri. Atque ita quid Christus per regnum cælorum uolue-
 rit, ut multa alia soles, malè percipis. Neque Paulus, si
 quis illum rectè inspiciat, alium scopum cælibatus à Chri-
 sto constituit. Ut denique redeam ad collationem pro-
 positam, adhuc in ea est aliud simile: quia uti tu dicis, Pau-
 lus citra scandalum infirmorum, si circumcisionem Timo-
 thei omisisset, non peccasset: ita ego dico, non peccare il-
 lum, qui si uideat, se nihilo plus ædificare Ecclesiam, &
 doctrinam promouere per cælibatum, quàm per matri-
 monium, imò fortasse minus, cælibatum omitat, & ma-
 trimonio iungatur, quo uideat se melius rem gesturum.
 Quamobrem quum omnia hæc similia intercedant, ap-
 tissima fuit collatio, quam proposui. Ceterum malitia, &
 odium, quo contra me, imò contra ueritatem laboras,
 hæc te uidere non patiuntur. Quòdque asseris contra ua-
 ria Dei mandata illum peccare, qui cælibatum, quem uo-
 uerit, abijciat, inane ac nullius est momenti, quum man-
 datum nullum proferri possit, quod hoc facto uioletur.
 Nam sæpius indicatum est, ad testimonia ueteris Legis
 quàm frustra confugas.

III. O B I E C T V M.

Citat Phocium Græcum enarrantem illa Pauli uer-
 ba, Qui statuit in corde suo firmus, &c. Quo persua-
 sum daret nobis, non esse seruandam notum continen-

H. 7.

tiae, si contingatui aut uolentia legum nos ad id adigi. Nonne te debet pudere, Petre, illum scriptorem pro te citare, qui adeo nihil subleuat causam tuam, ut eam plane deprimat, atque humi deiiciat? Habet enim is hæc uerba, quæ & supra citauimus, in illud Pauli. Si nupserit uirgo, non peccat. Virginem intelligit, non illam Deo consecratam, sed innuptam puellam. Illa etenim, quæ iam deo consecrata est, si nupserit, adulterum inducit Christo, cui nupta est. Vidésne piè lector, quàm indignus se esse Petrus, cui fides habeatur, qui tam dilucide, tamque impudenter mentitur, illum scriptorem à se stare, qui aduersus eum stat grauiter?

DEFENSIO

Mea non refert, quid alibi dixerit iste Phocius. Id tantum nunc animaduerti eum uelle, ut pater non seruet filiam uirginem: quod ei alioqui facere licuit, si necessitas ipsi fortasse imponeretur, quasi per Dei Legem nuptiæ non essent licitæ. Imò si quis hanc illi sententiam niteretur obtrudere, non debet ille, inquit, filiam seruare uirginem. Quid autem nunc attinet, si in exponendo Paulo quandoque aberret? Cum à uero deuiat, eum non sequamur: quæ admodum ego interpretationem, quam adfert hoc loco, non approbo, sed id notauit rectè ab ipso iudicatum, quod interpretando attulit de necessitate, quæ posset oriri ex praua opinione, qua existimaretur lex Dei coniugia improbare. Atque cum eo idem esse constituo de necessitate, quæ apud multos nascitur ex uana existimatione, quam de his uotis conceperunt. Hæc sanè causa est, cur eum citauit. Sed quis te non miretur adeo multa dicere de Phocio, quæ alibi differuerit pro tua parte, quum nihil ad id respondeas, quod ego pro me facere hoc loco demonstrauit? Quid aliud id est, quàm prætereundo dissimulare, quod soluere non possis? At nescio quomodo uideo mihi præter ordinem fecisse, qui cum isto loco non solam scriptoris alicuius mentionem facere, nunc huius Phocii memi ne-

meminerim. Sed cauebo posthac ut ordo seruetur integer, ideoque plura de isto Phocio non dicam: qui uerba interpretando Apostoli, quæ adduxisti, cum alijs er- rat, & aliquas uirgines excipere audet, quum neque Paulus, neque scriptura ullibi cuiusquam exceptionis mentionem faciat.

V. O B I E C T V M.

H. 7.

Si absque uxoris, inquit, consensu uir quispiam uerum nuncupauerit continentia, irritum est uotum illud, & reuocandum, cur itaque non liceret reuocare hominem à uoto, si se non continet, ac uratur, quum id iubeat Apostolus? O argutulum caput. Quem non miserescat tantæ inscitia? Quis non deploret miseriã illius reipublicæ, cui præficitur uir talis, ut Christianam religionem & fidem ab erroribus repurgat, ac uen- diceret? Sed excutiamus hominis huius argumentum istud. Si maritus, inquit, uotum continentia ediderit absque uxoris suæ consensu irritandum est uotum illud Ergo reddi nõ debet uotũ hominis, qui se non continet, aut uritur. Validum atque efficax istud esse argumen- tum probabit ad Calendas Græcas. Nunquam enim conuincet hæc aliquam inter se habere similitudinem, aut affinitatem. Nam marito nulli licet uotum conti- nentia Deo nuncupare absque consensu uxoris suæ, eo quod is non habet potestatem sui corporis, sed illa. Et Paulus præcipit, ut uir debitam reddat beneuolen- tiam uxori, nec se inuicem frangent illo debito. At no- uere nemo cogitur, sed cuique liberum est, libero saltem & soluto, an uelit, necne nouere. Sed ab edito semel uo- to resilire fas non est. Maritus non est sui iuris ut uo- ueat continentiam absque consensu uxoris. Id enim ad- uersatur legi Dei à Paulo euulgatæ. Et ideo illud uo- tum, quod sine consensu uxoris sit, irritari prorsus de- bet. Sed nunquid haud secus incassum cadere debet uotum liberi hominis, & qui sit sui iuris solutus ab omni uinculo connubiali, quando se non continet, & uritur? Quum Lex Dei diuersum præscribit, quando iubet, ut bona fide recedantur uota? Puduisset ergo Pe-

trum hunc, si non omnem pudorem exuisset, tam ineptum ac imperitum necere argumentum, coram tanta hominum doctorum concione, quanta tunc Oxonij in gymnasio theologico ad eum prælegentem auscultandum erat congregata.

D E F E N S I O.

Mæ rationis uis in eo erat: plus debere legem, & præceptum Dei ualere, quàm ius uxorium: sed illud est tantum ut uotum abroget, si quis absque uxoris consensu celibatum uouerit. Cur ergo idem non ualebit Lex Dei, quæ iubet non continenti, ut nubat, & prædicat melius esse nubere, quàm uiri? Ideo que non oportet expectare Calendas Græcas, ut argumentum probetur, quod est efficax, & euidens à minori ad maius. Si ualet uxor irritare uotum mariti reclamando, multò magis idem poterit præceptum Dei secus iubendo. Verùm tu homo subtilissime ad quas unquam Calendas probabis hominem esse liberum, aut sui iuris. ita ut mandatis Dei non sit subiectus? Semper hoc tibi sumis, quasi gratis id sis ablaturus. Dicis præterea non esse conferendam similitudinem hominis, qui sit in coniugio, & qui sit absque uinculo connubiali: quasi ego hac parte argumentum connectam. Non ita sum hebes, ut tibi fingis. Nam eam subiectionem quam habemus erga præcepta Dei, quum illa conféro, quam habent inter se coniuges. Quoad hoc sequutus Paulum ad Romanos capite septimo: qui subiectionem uxoris erga uirum, comparat nostræ subiectioni erga Legem. Sed quia tu hanc collationis rationem in eo argumento non sensisti, qua ego à minori ad maius sum progressus: ideo sic erras in tua confutatione. Vel fortasse argumenti uim deprehendisti: & quia, ut à me proponebatur, difficilius uisum est, quàm ut illud posses eludere, iudicasti esse perturbandum, & inuertendum. Nunc ad alia iuste possent oratio-

orationem transferre, nisi lector adhuc monendus esset, ut non oscitater notet, quid in calce huius obiectionis iste scripserit: magnam nempe concionem doctorum uiro- rum mihi docenti in gymnasio theologico adfuisse: cum tamen passim deblateret, pueros tantum, & adolescentes ad me audiendum conuenire. Quod sanè non propterea dico, quòd id uel pili faciã, quot, uel qui ad scholã meam accedant. Sed tantum hæc refero, ut stupor huius uiri deprehendatur, quo scribendo mendacia pugnancia & uana, seipsum latet. Nugatur etiam circa obiectionis initia, deplorando Rempub. quasi miseram, cui ego præficiar ad Christianã religionem & fidem ab erroribus repurgandam. Nescio profectò quã istè somniet, me hic habere, uel alicubi nunquam habuisse rerum publicarum præfeturam: nisi ministeriũ & obsequium Ecclesiæ, aut scholæ, isti homini sit præesse Reipub. sed horum mendaciorũ, atq; ineptæ locutionis magistrã habet solam inuidiam.

VI. O B I E C T V M.

Tandem exhibet nobis exemplum, quo conuincat, li G. 8. cere uota soluere propter imbecillitatem nostram. Si agrotus, inquit, aliquis uoto sese obligaret, ad seruiendum morbis laborantibus, & affectis in ualetudinario, aut infirmario, atque contigerit huic quoq; morbo affici, nõnne affecta hæc ualẽtudo à uoti solutione liberum eum reddet? Cur non ita aduersa ualẽtudo mentis ad uincendum libidinem liberabit hominem à debito præstandi uoti? Argumentum leue, & solutio facilis. Nam ea à quibus ista depromitur collatio, nihilò minus sunt dissimilia quã quæ sunt dissimilima. Quod enim prior ponitur loco, impossibile effectu est: non item quod posteriori. Quia mente nemo aded imbecillis est, aut esse potest, ut non ualeat, modò uelit liberare fidem, atque præstare quod promisit. Quia petentibus datur facultas præstandi, ut Christus ait: Petite, & accipietis, &c. de quo satis supra: & Paulus ait, Fidelis est Deus, qui non sinet nos tentari supra id quod potestis. Deni-

Que quemadmodum Deus Paulo poscenti ter, ut sibi
 auferretur stimulus carnis dixit, sufficit tibi gratia mea
 nam uirtus in infirmitate perficitur: ita haud dubie la-
 cessitis ad stuprum, sufficit Dei gratia, ut fortiter que-
 ant resistere, modò eam sedulò & piè poscerent. Cur
 inquit Petrus iste, non iubent a grotto illi, ut pergat cū
 uite extremo periculo ministrare a grotis, & ualecudi-
 narijs, atq; interim precib. salutem petat? què admodū
 impotenti se continere à coitu præcipiūt persistere in
 cēlibatu, atq; auxiliū continēter uiuendi à Deo precib.
 postere non cesset? Respondeo hæc duo nihil habere in-
 ter se affinitatis. Quandoquidē corpore a grotus saltem
 cum uitæ maximo discrimine, nequit ullo pacto mini-
 strare morbo affectis, & uotū prestare, nisi mēte tantū
 & affectu, quod promisit, quod illi satis erit. Sed inuali-
 dus & a grotus animo perbelle potest uotū exoluere Deo
 modò uelit, & suo non defuerit officio. Cū uerò à mul-
 tis, nec infirmi nominis theologis, illud Paulinū, q̄ is ro-
 garit, auferri à se stimulū carnis aliquod incitamentum
 carnis adducitur, quo probēt, confugiēdū esse nobis ad
 diuinū auxiliū postulandū, quoties ad libidinē sollici-
 tamur, quò uirtutē, ac facultatē uincendi tentationē as-
 sequamur, ille conatur ita locū hunc eludere, ut nihil ui-
 deatur eis suffragari, sed refragari potius. Nō enim in-
 tellexit, inquit, Paulus, ibi per stimulū carnis aliquod in-
 citamentū ad stuprū aut fornicationē, sed persecutio-
 nes, afflictiones, carceres, uincula, cathenas, plagas, lapi-
 dationes, quemadmodū græca scholia, inquit, interpre-
 tantur. Respondeo, has omnes ferè interpretationes a-
 pud Oecumeniū, Chrysostrōmū, Theophylactū legitur
 metū Ioannes quidā Græcus, & Theoderetus intellexe-
 runt per stimulū carnis, laborē, & negotiū, quod illi fi-
 dem cōcionātī exhibuerūt Alexander, Hymeneus, & a-
 lij fidei hostes. Hierony. libro 2. in epistolam ad Galat.
 grauissimū existimat fuisse capitis dolorē, quē subin-
 erat Paul. perpeffus. Sedulius Hiberniēsis uir eximie e-
 ruditionis, ac uenerāde antiquitatis nomine suspiciē-
 dus (erat enim anno Domini 430.) non de his tantū, sed
 de lege mēbrorū luculēter interpretatur. Primasius D.
 Augustini discipulus alios asserit intelligere treillatio-
 nes carnis, licet ipse maueat, ut de iugib. affe&tib. intel-
 ligatur. Ceterū, quid opus est tā multis? Nō enim reu-
 lerit quic-

lerit quicq̄ siue de his, siue de illis intelligatur, q̄ ad no-
strū institutū attinet. Quādo Paul. docet oportere affli-
ctos, qualiscunq; fuerit illa afflictio, cōfugere ad precū
presidiū. Et propterea dicūt theologi maximi nominis
quociens prouocamur ad libidinē, omnib. & maximē uo-
to obstrictis sollicitādū, ac fatigandū esse Deū precib. ut
illius auxilio ioberati euadāt superiores in eo certami-
ne, & hinc coronētur. Cū Petrus iste asserit locū hūc Pau-
li à suis partib. cōtra nos stare, eō q̄ Paul. Deū interpel-
lans nō erat auditus, sed repulsā passus, errat toto celo,
et atq; terra. Nā & si nō fuerit auditus, ut stimulus ille
ei prorsus auferretur, quod petijt ter, quia id illi maxi-
moperē erat incōmodū, est tamē ei tanta gratia data, ut
par fuerit omnib. insultib. resistere; ac uirtus illius hinc
absolutior effecta est, ac Dei potentia illustrior reddita.
Quare si quis petitus libidinis prouocamēto, Deū pre-
taretur auferri id sibi, forsitā nō exorabit, q̄ cōmodo sit
futura illi rēratio ea. Dabitur tamen à Deo auxiliū ut suf-
ficiat resistere, ac uictoriā reportare iuxta illud Christi,
Petite, & dabitur &c. Quare dū hoc testimonio sic indo-
ctū abutū est Petrus, non operā solum lusit, sed suā pro-
didit auditoribus imperitiā.

DEFENSIO.

Simile quod adduxi, ut non ignorare uideris, in eo sitū
est, quod saltē equalis habēda est ratio periculi et salutis
animæ, ac corporis. Ideō si morb. corporis Voti executio
nē cessare patitur, multò magis adustio et lapsus, qui con-
tingunt dono castitatis destitutis, nuptias illis faciunt &
licitas et necessarias. Hic tu neminē esse contendis, qui nō
possit uotum celibatus prestare, modò uelit, & officio nō
desit. Tu hæc dicendo gratiā uertis in naturam, quā ponis
omnibus communē, quasi Deus non sit qui efficiat, ut ab
eo petatur, & ut officio nō desimus: quod sanē manifestū
est, ut non in omnibus efficiat. Sed uos dicitis, faciat ho-
mo, quod in se est: Deus nō poterit nō ei esse propitiū. At
que ita uestra sententia, homo est Deus, & potest se ipsum
saluum facere, modò uelit. Væ autē homini, si faciat quod
in se est, cum nihil in se habeat, quod sit bonū, iuxta Pauli

Male res
habet si fa-
ciamus
quod in no-
bis est.

sententiam: Scio quod non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. Et licet conemini uestra gratia praeueniente hic sic cum facere, uestrum pelagianismum oculis spiritus nō ualeatis subducere. Quis enim non uideat istos, quando uolunt suam gratiam praeuenientem omnibus adesse, atq; id, ut loquuntur, sufficienter, eos in libero arbitrio ponere salutem? Nō enim requiritur, istorum iudicio, ut Deus uoluntatem nostram inflectat, neq; opus est corde carneo diuinitus dato, ut inquit Ezechiel: siquidem licet cuique per se ipsum cor carneum sibi facere gratiam recipiendo. Nec unquam explicant isti homines, quis det animo nostro ut uelit, ut admittat, ut recipiat Dei gratiam. Cumq; tam infeliciter circa ista errent, identidem errant de celestis spiritus sancti donis, ut est uirginitas et calibatus. Qui libet, inquiunt, hæc potest, modò uelit: satis est, ut oret, et petat à Deo uim resistendi tentationibus: quasi Deus det omnibus eandem uim orandi & petendi quælibet efficaciter. Præterea undenam hausit hanc doctrinā. Certè Christus non dixit, cum apostolis responderet, Non omnes capiunt uerbum istud, orandum esse hominibus, ut uerbum huiusmodi capiant. Simpliciter extulit, Qui potest capere, capiat. Tūc sanè fuit locus dicendi, si qui uideant se nō posse capere, Deum precibus fatigent. Paulus non minus uidit quàm Smythæus, licet sibi uideatur totus Lynceus. Is cum diceret, Qui non continent, iungantur matrimonio. & Melius est nubere quàm uri. & Pater, si nō habet necessitatem, seruet filiam. & Non hæc dico ut laqueum uobis iniiciam. & deniq; Propter scortationem, quilibet habeat suam: hæc, inquam, omnia cum Paulus diceret, nusquam adiecit, ut iste facit, Petite, & accipietis: preces contra tētationes huius generis, remedium idoneum sunt. Id, inquam, Paulus non dixit, sed matrimonium utilem & salutarem

Nō possunt
homines fa-
cere sibi cor
carneum.

lutarem portum ab his tempestatibus demonstrauit. Et à pijs proculdubio uerum deprehenditur, Deum non sine re nos tentari supra id quod possumus. Quia uel dat uires ad cælibatum purè seruandum, his quos ad ipsum uocauit: uel matrimoniū eis consulit, quod illi debent arripere, qui se labi uident, & perniciosè aduri. Aegrotāti, si uoto non satisfaciat impeditus morbo, nō iubent, ut pergat in uoti persecutione, orando Deum pro sanitate ac uiribus adipiscendis: aiuntq; illi sufficere desiderium. Cælibis uerò miserè adusti, & frequenti scortatione uulnerati nō miserentur, Oret, inquit, & pergat in suo cælibatu: etiam si æternum pereat, non iungatur matrimonio, quoniam semel uouit: neq; illi ualeat in connubio rectum desiderium, quo cuperet, modò uires adfuisent, absq; uigore esse. At quamuis ita rigidi sunt, patiantur me uel unum interrogare. Quomodo dicunt impossibile factu, ut ægrotus ministret in nosodochio? Nōne precibus eius concedi possent à Deo uires? Arbitror, id non negabunt, cùm uidiuina multi ab horribilibus morbis repente fuerint sanati. Vnde, si fieri potest, cur non imperatis ægrotò, qui uouit se pauperibus inseruiturum, ut pergat ipse in opere, ac Deum oret, ut sibi det uires. Aut, si remittis huic, cur non magis cælibi, qui succumbit oneri, & de æterna salute periclitatur? Hic iam suum uirus pelagianum ulterius celare non possunt, uidentes non posse fieri, scilicet naturaliter. Nam, si Dei potentiam spectes, nulla est hic impossibilitas, ut ægrotus alijs ministret: socrus enim Petri quæ feбри uehementer laborabat, surrexit, & ministravit, ut Lucas refert. Quare isti quum dicunt esse possibile cuiuslibet ut sanctum cælibatum custodiat, quasi Pelagiani, hoc naturaliter intelligunt. Nam si potentiā siue gratiam Dei respicerent, eam quoq; in ægrotate corporaliter spe-

stare debuerant. Vnde apparet manifestè utriusque pariter
 esse causam: quia tam in isto, quàm in illo est infirmitas:
 tam iste, quàm ille potest sanari precibus: tam iste, quàm
 ille uoto est astrictus. At isti, quæ illorum est præposita
 iustitia, & charitas, unum sinunt, alterum urgent, & il-
 lum sanè qui uersatur in grauiore periculo. Quare so-
 lum id illis relinquitur, ut dicant, se opinari sanctum cæli-
 batum à quolibet naturaliter seruari posse: egrotantem
 uerò sibi ipsi naturaliter non posse restituere uires ad mi-
 nistrandum sicuti uouerat. Hoc est illud argumentum fe-
 tile, ad quod responsionem aiebas esse tam facilem. Ad eò
 facilis est, ut pelagianismū tuum, quod niteris occultare,
 prodiderit. Cùm Paulū citarent, qui ter Dominū rogauit
 pro stimulo carnis, dixi locū ad rem non facere, quòd per
 stimulum carnis Paulus lōgè aliud intelligat, quàm aduersionē,
 de qua in præsentia loquimur. Neque Smythæus, licet feber
 sit mendaciorū, & homo natus ad perdendas sacras lite-
 ras, id negare ausus est. Totus enim à Patribus pendet, qui
 quod ego dico, non dissimulāt. Sed inde putat robur se ar-
 gumento cōciliare, quòd ex isto loco saltē colligamus, in
 omnib. afflictionibus, qualesquales fi. erint, precibus esse ad
 Deum confugiendū, quò illas possimus absque dāno tolera-
 re. Placet mihi hæc regula: uerū diuersorū generū sicut
 afflictiones. Quas dā enim ipsi nobis accersimus, neque cog-
 nuntur eas pati, nisi uelimus. Cōtra quas paratū præpitiū
 remediū à Deo habemus. Talis est cælibatus, qui aduersionē
 & lapsus habet cōiunctos. Non iubetur hoc genus ui-
 te, sed quisque prout uult, illud sibi accersit: quod quādo nō
 est tutum, matrimoniū non solum à Deo est propositū, ne-
 rametiā eo casu imperatū. Quare si nō obtinemus tran-
 quillitatē in cælibatu, uelimusque pergere, ac Deum, ut in
 præcipis, fatigare nostris precibus, cum tentabimus: quis
 in re

Afflictionū
 duplex ge-
 nus.

in re grauissima est culpa. Sunt autem alie afflictiones et aduersi casus, quos Deus ipse nobis infligit, & serēdos imponit, neq; nos illos ultrò asciscimus. Hic est orandū, hīc promissiones habemus, hīc ex fide preces ualemus fundere. At cēlibatū quando semel aut iterū petitus est, neq; purus, aut castus impetratur, qua fide orabis, cū tibi non sit promissus? Ne scis an Deus te uelit in numero cōiugatorū an cēlibū. Imò cū tibi nō dantur uires, adureris, & labe ris, uides satis manifestē ad matrimoniū te uocari. Paulus igitur in hoc posteriori afflictionū genere uersabatur, & coactus est grauia pati ob Euangelij prædicationē, & sīgmata domini nostri Iesu Christi gestare in suo corpore. Id circo orabat, & data est illi gratia, ut ferre possset quæ Deus illi ferenda imposuerat. Proinde uide q̄ rationabiliter ego dixerim, Pauli locū adductū, minime ad nostrū institutū facere. Præterea dum tribulationes, ut uincula, carceres, corporis morbos, atq; alia id genus pij uiri scrunt, uirtus Dei magis declaratur: quæ illos in his aduersis constātes efficit, & seruat: neq; illorū mens ob hæc polluitur, aut cōtaminatur, sed redditur potius & innocentior, & purior. At q̄ obstinatē durat in cēlibatu immūdo, ibiq; infeliciter aduritur, et labitur, neq; in uirtute proficit, neq; Dei potētia quæ ad salutē est, in eo declaratur. Quare si quis uideat se à Deo nō audiri, debet in portū matrimoniij ex tanto naufragio se recipere. Ideo sum testatus, quòd si Paulus de hoc genere stimuli carnis loqueretur, de quo modò agimus, cōtra meos aduersarios, nō contra me faceret. Quia Paulus nō est auditus, ut stimulus huiusmodi sibi auferretur. Ut itaq; illi preces nō profuerunt, ad id nō profuerūt ut liberaretur, ita nec alijs proderūt, si ad cēlibatū nō sint uocati. Imò ait Smyt. profuerūt, q̄a data est illi gratia, ut ferre possset. Dūq; hoc respōdet, nō aī aduertit sermonē nō esse institutū de leui tētatione, sed de adustioe

turpi quæ mentem fœdet, turbet, impediatur; à pijs & sanctis exercitijs, ut sunt preces, inuocationes, & sacra studia, ex qua etiam lapsus frequentes oriuntur, quæ apostolo Paulo tribuere nefas omnino esset. Et in summa de hoc hominũ genere agimus, qui dono calibatus destituti sunt. Hi si semel, iterum, ac sæpius orauerint, cum uideant non succedere, matrimonio iungantur necesse est. Non autem grauabor dare, illos qui uocati sunt ad cælibẽ uitã, eamq; cum fructu regni cælorum agunt, non debere inde facile dimoueri, uel ob quamuis leuem tentationem resiliire. Istis ita uocatis orare licet, cum tentationem senserint, atq; id ex fide agant uerbi Dei, qui neminem in sua uocatione deserit. Cuiusmodi etiam concedere possem fuisse Paulum, si dare uelim, locum iam adductum de hoc stimulo carnis, de quo modò agimus, accipiendum. Verùm tunc apostoli factum non esset in exemplum omnium trahendum, cum non omnes eadem habeant dona quæ illi cõcessa fuerunt. Sed, ut dixi, locus longè aliter est intelligendus. Verùm interea dum profecuti sumus aduersariorũ expositionem, lector cognoscere potuit, de qua loquamur aduertiõẽ, quò ue de tentationis genere, propter quod nõ amplius in cælibatu persistendum censemus. Quibus addo, quòd, cum nemini possit esse certum, nisi reuelatione singulari, de dono calibatus, an ipsum perpetuò, an temporis aliquo spatio sit habiturus, ideo nemo se debet uoto perpetuæ castitatis obstringere. Apparet igitur euidentissimè, quò optime quadrare proposito simile adductum de egrotò: & lo cum Apostoli uel nihil contra nos facere, uel potius aduersarijs qui eum produxerunt, mirificè obesse.

VII. O B I E C T V M.

- K. 4. Cur, inquis, dispensant (tuo enim uerbo libenter uitor, quod multi in hac re usurpant) abbates, episcopi, & reliqui Ecclesie præfecti cū monachis ut ieiunia soluant promiscuè

promiscuè, ac citra delectū uescātur quibuslibet, aliaq;
 multa huius generis, quæ ipsorū ordinis & instituti re-
 gula præscribit, omittant, idq; faciunt ne corporis pe-
 reat incolumitas, aut homo de uita periclitetur, aut ob-
 leuiiores causas. Cur itaq; nō dispensant cū uirginitatis
 aut cælibatus uoto, quoties homo aduritur, & de ani-
 mæ periclitatur salute? Responso est facilis, obuia, et in-
 promptu: nō quam tu inter differendū attulisti: nempe
 dispēlare eos solitos in rebus leuiusculis, ut quas nō uo-
 uerint monachi, licet præscribat illorū regula harum re-
 rum obseruationē, his qui eas seruare citra incōmodum
 queunt. At monachi ac monachæ solent polliceri sese ui-
 tam ducturos ad regulæ illius præscriptum. Sed in illis,
 nempe uirginitatis & cælibatus, atq; cōtinentiæ uotis,
 nō dispensare, nec posse, si maximè uelint, ut ad que per-
 petuò seruanda sese ultrò obstrinxerint, quorūq; obser-
 uationem lex Dei subinde exigit, quemadmodū est uo-
 tū paupertatis & obedientiæ, ut ait D. Bernardus. Quod
 cum tu constanter perneges, quid aliud facis, q̄ quòd in
 sententia longè absurdissima manes pertinaciter? Vt in-
 te dicatur uulgò detritū illud adagiū, Cum aqua fauces
 strangulat, &c. Et mox. Porro q̄ obijcis solui obedienti-
 am monachi cū sit abbas, uel episcopus, ac paupertatis
 uotū, cū quis ex mendicantib. creatur Episcopus, aut
 prouehitur ad cardinalitiū: cur ergo ob salutem animæ
 eius qui uritur, nō scinderetur uotū obedientiæ & cæli-
 batus? Hęc ē Lutheri officina profecta sunt, multarū hæ-
 resum scēdissima Lerna. Sed cedo, mi Petre, quā obrem
 hæc incogitantius & inconsultius effutisse sat habueris,
 inrerim nullo uerbo penitus interiecto de probando,
 Nunquid dicta tua nullane ratione, nec autoritate sub-
 nixa titubare, imò pro uanissimis nugis haberi, ut par-
 est, necesse erit? præsertim quoties falsa pro ueris affir-
 mas, & confessa ab omnib. catholicis impudenter diffi-
 teris? Proinde nos hæc quæ pro ueris obtrudere cona-
 ris, cū sint falsissima, interea tēporis donec tu ea proba-
 ueris, uel saltē pro tua uirili conatus fueris probare, di-
 cōperies: nec putes bestias nullis cōmunitas cornibus.
 Certè quisquis post editū paupertatis aut obedientiæ
 uotū sit abbas, aut episcopus, aut cardinalis, non libera-
 tur ab ijs uotis, sed manet in iisdem soluendis astrictus.

At, inquis, monachis & fratrib. non tenetur morè gerere, uti abbati, uel præfidi antè tenebatur: ac loco paupertatis ei iam successit opulencia. Perbellè tu quidem philosopharis: quasi uerò qui ad illiusmodi aspirare dignitatem & opulentiã, nõ possit deinceps paupertatè & obedientiã, cum utrunq; deo uouerit, colere & exercere. Nõne potest aliquis in maxima facultatũ copia reijcere ac abdicare omninò rerum proprietatè mentes, ac animo suo, ac perinde res suas hilariter & largiter erogare egenis, atq; fecerint illi quibus in exordio Ecclesię omnia fuisse cõmunia, & nihil proprium Acta apost. restandantur? Deinde qui abbas creatur, aut alius quispiã se præfectus, nõ liberatur à uoto obedientiæ, ut quã Deo uouit soli, q̃ esset se abnegaturus, & Christũ securus: id quod implere potest iam liber ab obedientia fratrib. præstanda, quia iam ei parent. Breuiter quisquis uouet obedientiã Deo, & eius uicem gerenti prælato in cenobio aliquo, id facit iuxta præscriptionè suã regule, quæ nõ exigit à quoquam præfecto obedientiam, saltè quæ cenobitarum ulli præstetur. Et proinde uotum illud obedientiæ non propterea dici debet solui, quòd abbas qui fit, non obedit fratribus.

D E F E N S I O.

Dixeram Papiatarũ potius esse hypocrisin circa uota, q̃ religiosam eorum obseruationè: quando quidè, ubi uideatur, eorũ persolutionè relaxant, & ut uulgò dicitur, facile dispensant, uno uoto calibatus excepto & uirginitatis. Hic meus aduersarius qui turpissima barbaric aliq̃ tam in scribèdo q̃ in loquendo laborat, fingit se non usurũ uerbo dispensandi, nisi q̃ me illo audiuerit uti. Diceres eum cū magna eloquentiæ suæ iactura uelle stylũ suum demittere ad uerba parũ latina, quibus mea fuit oratio. Verũ cū hoc leue sit, ulterius nolo perseq. Quis hic nõ animaduertat, in q̃ uarias & multiplices figuras sese torqueat, ne uota relaxari fateatur in Papismo? Primũ cauillatur esse res leues, quasq; monachi uoto minimè nuncuparint: & ideo circa eas illorum abbates & prælatos pati, ut secu

agant q̄ in decretis aut regulis coenobij habeatur. Quid
 est magis cōiunctū & propriū institutis Carthus. ex quo
 rum familia iste me fuisse audacter mentitus est, q̄ carnes
 nō comedere? Si tamē ex illis aliquis efficiatur Episcopus
 aut Cardinalis, uestem fortasse retinebit: at reliqua sermē
 omnia quae ad eiusmodi ordinē pertinent, reijciet. Quid
 est Franciscanis magis propriū, q̄ pecunias ne quidē atin-
 gere: nedū eis uti possint. Quod tamen per Pont. Ro. pas-
 sum uidemus relaxari. Quis negare potest eosdē Franci-
 scanos uouere obedientiam praelatis ordinis D. Francisci
 usq; ad mortē? Dicat nunc iste quando sunt episcopi, aut
 cardinales, an id amplius praestēt? Illi uerō cū sint praesto-
 lido Smythæo acuti, respondere solent suo ipsorū uoto ne
 qua q̄ potuisse se subducere obedientiae Papæ, quem aiunt
 omnib. iure praesse in Ecclesia Dei. Propterea si ei uisum
 fuerit se liberare ex illis cōpedib. adstrictos esse, ut illi sua
 uiter obediāt. Sed tam cōtra eos q̄ cōtra Smythæū adhuc
 perstat argumentū à me allatū. Cū faciāt hęc uota posse
 relaxari uarijs de causis, cur in cœlibatu sunt adeo seueri,
 cū tamen ibi periculū sit maioris momenti, et grauioris ia-
 cturæ? Cauillatur itē me nō probare quae dico: et nō uidet
 easē sui esse manifesta, nec egere pbatione. Qui nō fuit Ro-
 mæ, fortasse nō uidit et ditissimos & potentijs. cardinales,
 tum Franciscanos, tū Dominicanos, tū Benedict. Vtar igitur
 cū isto tā crasso homine syllogismo, quē uulgo appel-
 lant expositoriū. In his hominib. obediētia erga praelatos
 sui ordinis, & mendicorū paupertas relaxatur: hęc sunt
 ab eis uoto nuncupata, usq; ad mortē praestāda: igitur uo-
 ta relaxantur. His ego nescio quid apertius dici possit. Ex-
 cusant se teneri obedientia Papæ, à quo sic eximuntur ex
 illis uotis. Idem ego dico cœlibem, qui non continet, o-
 bediētia Dei teneri, ut matrimonio copuletur: quant

seruitutem siue obedientiã erga Deum per suum uotum non potuit excutere, cum sermo Dei æternũ maneat. Nõ dubito mirari lectorẽ, & forte nauseare, quòd hoc præceptum de matrimonio cõtrahendo repetam. ad eò frequenter. Sed mirari desinet, si hunc animaduertit esse uictorie campum, in quem non modò non Smytheus, uerũ ne portæ quidem inferorũ præualere queant. Quis ad hæc non rideat, cum audiat hunc nostrũ dicentem, monachos qui fiunt episcopi, aut cardinales, non absolui ab obedientie uoto, quoniam, inquit, ad eam Deo præstandã sunt astricti? Quid ais? Hancne illi, cum monachi fierent, uouerant obedientiã? Non arbitror. Omnes quippe homines obstricti sumus ad parendum Deo. Vbi est illa tua magistralis regula, qua superius contra me utebaris, nempe ad salutem necessaria non cadere sub rationem uoti? Alii isti dicunt profectò se uouere obedientiã, nimirum prælati sui ordinis, & regulæ: à qua euecti, ut loquuntur, ad maiora per beatissimum absoluuntur. Præterea id magis etiam est Smytheica theologia dignum, quòd confingit, istos purpuratos in tanta opum affluentia, bene posse animo & desiderio paupertatem retinere, quam uouerit, si temperatè uiuant, & egenis opes suas distribuunt: ut iure diuino omnes qui administrant Ecclesias, ad id faciendum sint obligati. Interroga, quæso te, doctor eruditissime, ordinum magistros, quando hæc ignoras, cum sis tantus Gaudiel in lege Papistica, num talem paupertatem, scilicet duntaxat mentis & animi uoueant, qui ad societate mendicantium monachorũ recipiuntur. Nonne uides ista tua effugia esse mei argumenti robor? Quare nõ statuis pari eademq; ratione, illũ qui non cõtinet, & uritur, si matrimonium cõtrahat, posse animo castissime uiuere, atq; affectu & mente desiderare, ut Deo tã indiuulsè adhaereat, eiuq;

eiusq; regnū promoueat, q̄ quilibet uirgo seu cælebs? Ibi sufficit tibi paupertas animi, & obedientiæ cōmunis quæ Deo exhibenda est. Ea dicis satisfieri uotis: illa prædicas Deum esse contentū. Cur idem non dicis in altero qui ob præceptū Dei non cōtemnendū, sese iungit matrimonio? Hoc ex officina Lutheri clamitas esse profecta. Certè nimis ingratus essem, si per illum uirū Dei me profecisse negarem. Vtinā tu quoq; didicisses ex eo, neq; sic uersareris in sophistarū perforatis cisternis, quæ uerbi dei aquas nō ualent continere. Inde tibi comparas adeo insana & delirata, quibus incitaris, ut tantū uirum nominare audeas multarum hæresum fœtidissimā Lernā, quem omnes pij pro illustrissimo Euangelij Christi habent instauratore. Dein de tuum antiquū, hoc est sophisticum obtines, ut cum non possis certis scripturæ testimonijs, aut sanis rationibus ea quæ à me prolata sunt refellere, inuidiosa tantū eo nomine reddere coneris, quòd à Luthero sint inuēta. Equidem si tua uelim premere uectigia, luculentissimè possem ostendere, nil in utroque tuo libello ferè habere, quod non à Cochleis, Eccl'ijs, Alphonsis, Pighijs, cæterisq; huiusmodi pestibus fueris suffuratus: & fœdiora reddideris, quæ illi minus malè scripserunt. Aliena itaque si tibi adimerentur, nudus ut cornicula, ridereris, quæ plumis nō suis antea uoluerat esse conspicua.

VIII. O B I E C T V M.

G. 6.

Non admitto, inquit iste Petrus, uirginitatē, aut continentiam à re Venerea, tanti esse ducendam, ut non sit quod illi ex æquo respondeat. Perbelle ille quidem & satis arroganter. Quid si is non admittit uirginitatem & continentiam tanti esse ducendam, ut non sit quod cum ea componi possit, nunquid illud conuincet, non esse eā eiuscemodi? At age, candide lector, & accipe uerba Salomonis ea de re. Omnis, inquit, ponderatio non est digna animæ cōtinentis. Dispice iam seduld, pie le-

etor, nū hic locus persuadeat, quod Petrus hic ait se ad
 admittere. Ceterūm siuge continentia non esse rebus
 alijs omnib. superiorē ac prestantiorē. Quid tū postea
 Num hinc colligas dispensari posse à quoquā cum eam
 uouente? aut uotum continētis ob aliud aliquod con-
 modum rumpendū esse? Stupidū sanē oportet esse ho-
 minē, qui sic argumentatur. Abundē supra euictum est,
 persolutionē uoti pij exigere utriusq; instrumēti scri-
 pturā. Proinde penes hominē fuerit nullum rigore illud
 us iuris laxare: tantū abest, ut cuiquā per se liceat illud
 dirimere, quod Petrus iste fecit. & alibi: Pro te nihil pro-
 teus facit, quod ais tandē, nō ex natura rei, aut dignitate
 eius pēdere obligandi uim sed ex promissione facta. ut
 patet de Adā & Saule, inquis, qui ob reculas minime a-
 cerbas dederūt Deo pœnas, ut prodit scriptura. Hęc in-
 quā nihil prorsus iuuāt tuā causā, sed catholicā potius
 prouchūt. Nā idēd uota uirginitatis & celibatus obliga-
 re asseueramus, q̄ qui promiserūt Deo ea præstare, &
 persoluere, obligent ad sc̄d̄n̄ promissis. Et idēd uis ob-
 ligādi pēdet à p̄missione, nedū à p̄missione rei dignitate.

K. 5.

DEFENSIO.

*Ea de causa sui pertractus, ut dicerem uirginitatem,
 aut celibatum non esse tanti, ut nihil ei possit equa-
 ri, quod cum aduersarij negare non possint, permul-
 ta genera uotorum, uel relaxari, uel commutari, in-
 re quis miretur, quare in uno uoto celibatus adeo sint
 duri. Et mihi ipsi dum hoc mirarer, quorundā responsū
 opposui, qui dicere ausi sunt, idēd in hoc genere uoti ni-
 hil remitti, quod uirginitas, aut celibatus omnibus rebus
 præstent quæ à nobis Deo possint offerri. Quod esse se-
 sum in assertionē meā luculenter demonstrauit, neque ea
 modò repetere oportet. Ceterū Smytheus modò miratur
 confirmare, nil inueniri, quod uirginitatem aut celibatū
 æquet. Et uerba, ut dicit, Salomonis adducit in Ecclesiasti-
 co capite 26. Quā in re non semel bis uic peccat: sed plus
 quam ter iuste reprehendi potest. Primum ex libro, qui
 non est canonicus, uult dogma constabilire, quod ut sit
 boni theologi, alijs indicandum relinquo. Deinde libere*

Ecclesiasti-
 cus nec est
 in Canone,
 neq; à Salo-
 mone con-
 scriptus.

hunc fecit. Salomonis, cum Hieronymus (quem alioqui habet pro Deo, & praesertim in hac de Votis questione) dicat fuisse conscriptum à Iesu filio Sirach: quod etiã ex ipso libro potest intelligi, cū in prologo, tum in cap. 50. Quis praeterea nō uideat, nō posse ascribi Salomoni, cū ad finem ibi mentio fiat Simonis summi sacerdotis, filij Onie, qui circa tempora Machabaeorū uixit. Salomonē autem longē eam etate praecessisse, neminē latet. Tertio errat, q̄ ibi putat agi de uirginitate, aut celibatu, cū loquatur autor de uxore proba, erudita et sancta, quam maritus cum nulla alia re, si sapiat, unquam cōmutare uolet. Quod uel à suo Lyra discere potuit, quādo non tantū habet ingenij ut possit per seipsum dispicere, quid in eo capite 26. quod citat agatur, aut quid paulo antē sit dictū, quid uel mox dicatur. Est itaq; deceptus, & locus adductus nil pro eo facit: imò pro me robustissimē pugnat. Nam cū agatur de uxore cōtinenti et bona, dicaturq; nullā esse pōderationē illi equandā, uideat Smythaeus, nisi sit prorsus lasciosus, quid sequatur. Ego nō dicā, ne tantū hominē instruere uidear. Est autē calamitas multū deploranda magistrorū nostrorum, qui, si contigerit, ut Magister sentent. aut Decreta, seu aliq; antesignanus papisticae aut sophisticae factionis, in adducendis scripturis sacris errauerit, quē admodū sepius errāt, omnes ad eūdē scopulū impingūt, et locū ex scripturis citatum ab infelicibus illis autoribus usurpant, nihil spectantes an ita in fonte habeat. Quare iure ac merito pecudes dici possunt, quarum si una saltarit, aut aliquò deflexerit, omnes eam absque ullo delectu è uestigio sequuntur. Attamen ut ne illū disputatorē timidū arbitremur, quin ualeat absq; omni periculo concedere, uirginitatē nō prestare omnib. quae Deo à nobis offerūtur, illud quod ui & certa ratione adducta ex uerbo Dei extorsi,

ultrò dicit se uelle dare. Facito, ait, ita esse, num ob id uotum celibatus irritabitur? quasi ego ita concluderem, cum ab initio usq; nõ aliud urgeam, nisi eos qui tam faciles inueniuntur in alijs uotis moderandis, mirum esse cur in uoto isto sint adeò morosi & asperi tyrāni. Adhuc nõ afferatur causa. Illam enim confutauī, quam uulgò ex dignitate celibatus, aut uirginitatis adducunt: primum declarādo, illam non esse rerum omnium præstantissimam: deinde quòd obligatio cuiuscunque promissionis à dignitate rei promissæ uim suam non sortiatur, sed ex uinculo & iure promissionis. Ad hoc iste dicit, id pro me nihil facere, sed pro opinione catholica: quasi uno uerbo me faciat hereticum, & sese catholicum prædicet. Sed bene habet, quòd quum eius iudicium è scripturis non prodeat, inter pios nullius est momenti. Cur pro te ista faciunt? Quoniam, inquit, euictum iam est scripturarum testimonio, persolutionem pij uoti exigi, & ideo, ut tu dicis, obligādi uis pendet à promissione. Si pendet à promissione, dicebam ego, quid tu mihi opponis, in uoto celibatus nihil relaxari, ut relaxatur sepius in alijs uotis, præter rei promissæ dignitatem? Hic magis pisce te mutum uideo. Alia uota relaxari non potes negare, uel, ut aiunt, permutari. Quare apud uos promissionis ius non est inuiolabile. Et ad rei promissæ dignitatem confugere non potestis. Primum quia uirginitas non omnibus rebus præstat: deinde quia ex dignitate rei uis obligationis non pendet, si qua tibi ponenda sit: quòd idcirco dico, quia nos modò sub Euangelio in uotis nullā uim ponimus. Vos autem qui uim tantam in uotis esse uultis, nullū debueratis uotum remittere. Verum cum uota passim & commutetis, & relaxetis, dam postea implacabiles estis in uoto celibatus, uestram cion hypocrisim, tum tyrannidem retegitis.

IX. O B I E C T V M.

Pergit adhuc iste Petrus hoc pacto ratiocinando.
 Rex Aragonum sanctimoniam, aut monacham summo pontifice relaxante, aut dispensante cum illa, duxit uxorem, ad conciliandam, inquit, pacem regnorum. Cur itaque non dispensat item cum uoto continentiae obstrictis ut contrahant matrimonium, cum maior sit habenda ratio salutis animorum, quae per uota perclitatur, quam externa, & civilis pacis? Hic ingenuè, quod sentio dicam, perperam egisse Episcopum Romanum, cum hoc pacto ius relaxarit, ac copiam fecerit regi nonnam ducendi in uxorem. Non est enim faciendum malum, ut inde ueniat bonum: maxime cum incertum sit, an inde sit bonum illud consecuturum, necne: quod genus est pax civilis, ad quam consuendam ac componendam ferunt, Regem Aragonum nonnam duxisse uxorem. Utque in summa dicam, quis dixerit penes hominem esse mortalem, in his laxare ius, quae Deus exigit, qualia sunt uota? Innocentius tertius Romanus pontifex capitulo, cum ad monasterium, negat penes Episcopum Romanum esse potestatem dispensandi cum uotis continentiae, paupertatis & obedientiae.

G. 5.

D E F E N S I O.

Hanc uoti uirginitatis relaxationem cum à Celestino tertio factam scirem, qui Constantiam ex monasterio Pannonitiano Deo dicatam eduxit, & Henrico sexto imperatori uxorem dedit, quò iure dotis, regnum Siciliae ultra Pharam obtineret, merito dicebam hypocrisim esse, quae iactant pontificij, non iustae religionis obseruantiam, quae do se fingunt uirginitatis uotum tanti facere: si quidem illud, quum uoluerint, non solum dicunt relaxari posse, sed etiam reipsa dissolunt. Hoc non tantum in exemplo adducto aliquis poterit uidere, sed in alijs historijs idem reperiet non semel accidisse. Ideo non ineptè colligo, contra superstitionum defensores, uotum uirginitatis non es-

Celestini
relaxatio.

se omnino indissolubile, cum sui Romani Episcopi depre-
 bendantur quandoque illud uotum remississe. Smyth. nūc
 se mihi opponit, diffinitque fortiter, Pontificem Roma-
 num indignè ac iniuste fecisse, qui dicatam Deo uirgi-
 nem matrimonio copularit. Verum non habet omnes al-
 ios Theologos, licet suæ farinae, sibi consentientes.
 Nam plerique scholastici factum probant, quando pu-
 blicè saluti, seu paci regnorum consulitur. At Smythæ
 ne uideatur sine ratione loqui, addit non esse faciendâ
 mala, ut eueniant bona: quasi constet malum esse, si uo-
 to alioquin obstructi matrimonio iungantur. Nōne
 hoc est semper id petere, quod est in principio, & abi-
 nitio usque nostræ disputationis probandum? Addit,
 non esse penes hominem mortalem ea relaxare, quo-
 ius, & Lex Dei exigit. Ceterum hoc probandum erat,
 ius & Legem Dei talia uota exigere, quod ut supra de-
 monstrauius, ex sacris literis fieri non potest. Si au-
 tem quemadmodum ait, Innocentium Tertium dicere,
 hoc non est in potestate Romani pōtificis, ut uota con-
 tinentiæ, paupertatis, & obedientiæ relaxet, cur ut
 quotidie fit, obedientiæ saltem, & paupertas remitti-
 tur in Episcopis & Cardinalibus, qui ab ordinibus men-
 dicantium eximuntur? Hic quidnam respondeat Pro-
 teus non habet, nisi rursus nobis obedientiam erga
 Deum obrudat, & animi paupertatem, ad quæ istos ad-
 huc astringi contendit. Sed hoc, ut futile sit, & ineptum
 paulò antè demonstrauius. Quare patet, ut arbitror,
 papistas, non esse tam morosos in uotis relaxandis, ut i-
 pse eos uidere uoluit, quum uotum nullum inueniatur,
 etiam ex his, quæ substantialia uocant, ab eis quan-
 doque non remissum, aut commutatum

X. O B I E C T V M.

G. 6.

Aliud argumentum istius Petri, non minus ineptū, quā priora audi. Deus nō imputat nobis, quæ cōtra illius sūt legē, cur itaq; illa imputaret nobis, quæ nostra stultitia admittimus, dū uota nūcupamus Deo, ac soluim⁹ postea? Istius argumēti maiore, quā uocant, sic probat. Pau. ait, nō quod uolo bonū hoc ago, sed quod odi malū, illud facio. Vbi fatetur se, inquit, Petrus iste, peccare & tamē initio cap. proximi, asserit nullā damnationem esse his qui sunt in Christo Iesu, & nō ambulāt secundū carnē. Idēq; interpretatur, quod Deus nō imputet, quæ alioqui sunt uerē & propriē peccata. Hic error lōgē turpior, est, & luculentior priore illo cōtra uota, si quid turpius, & luculentius esse possit. Quis enim uerē pius, & doctus mediocriter asseret, Paulum peccasse, saltē mortaliter, quum egerit, quod noluerit, hoc est, quando uoluerit, non concupiscere, nec primas illas titillationes & prouocamenta carnis ad peccandum sentire: & tamen concupuerit, & eas senserit extimulationes etiā inuitus, ac renitens mente? Est ne cuiquam uitio dandum, quod uolens, nolens, ac reclamans admittit? Nōne uoluntarium omne uitium, præsertim actuarium, & personale, ac sola uoluntate peccatur? Poteritne Deus iniustus ac crudelis, absit blasphemia uerbis, meritō uideri, si id uertere uellet mihi in crimen, illiusq; nomine de me sumere supplicium, quod ne ipsius quidē auxilio & gratia munitus queo effugere, quātuncūq; uelim, ac annis fuerim? Nōne in calce cap. 7. habet Apost. hunc epilogū, Igitur ego ipse mēte serui legi Dei, carne autē legi peccati? Cuius sententia hic est sensus germanus iuxta uenerāda antiquitatis scriptores. Ego ipse Paul. in cuius ac similiū persona disserui hæctenus ab eo saltē loco, Lex spiritualis est, &c. mēte serui legi diuinæ iubenti, ne concupiscā, quia nō cōsentio cōcupiscentiæ desiderijs, nō sino peccatū, id est, fomitem peccati primitumpōnā, tū aliorum segerem, ac seminariū regnare in corpore meo mortali, ut obediam eis. Carne autem legi peccati, id est, quod ad inferioris animæ portionē, ac uim attinet, habeo & experior in me fomitē peccati ac stimulos carnis, quæ sollicitant me ad designādū ali quid sceleris acuitij. Lex membrorum repugnat legi mentis meæ, hoc est, uires inferiores non parent uiribus superioribus, hoc est, dictamini rationibus meæ.

Et Euerardus Bilichius uir impensè doctus, ac ingenio perquã felici, interpretatur. Nõne omne genus admissorum, atque culparum hæret in mente? Nõne hæc sola ut peccat, ita bene facit? Caro est officina spiritus, ut re etè ait Cyprianus. Quæ ergo Paulus tunc admisit, non erant contra Dei legem ullam. Nam quum lex cauet ne concupiscamus, id accipi debet de mentis, ac uoluntatis concupiscentia, non de carnis primo affectu, & insulso quem sensit Apostolus inuitus, & ideo nil contra legem Dei patrauit. Et mox: Hæc autem sententia Pauli, Nulla est damnatio his qui sunt in Christo Iesu ad Roman. 8. adeo nihil penitus Petri Lutherani suffragatur opinioni, ut illi refragetur uehementer, & perspicuè. Si enim aut concupiscentia in recens baptizato hærens, aut illius primus, ut uocant, motus, cui mens liberè non obsequitur, sed renititur omni conatu, ac molimine, uerè atque pressè loquendo sit peccatum, uerum non esset tunc Pauli hoc axioma, Nulla est damnatio, &c. Quæ enim esset condemnatio, si propriè quod culpa est, non sit? Si dixisset Apostol. Deus nihil imputat, his qui sunt &c. res esset extra omnem contouersiam. Sed cum ait nulla est damnatio, his, &c. indicat apertè, nec ipsam quæ hæret in nuper baptizato concupiscentiam, nec affectus illius innoluntarios, quibus mens hominis non accedit, esse condemnationem coram Deo Christianis baptizatis, uerè credentibus, & non ambulatibus secundum carnem, id est, non obediētibus illis carnis motibus, sed eos mortificantibus, ut uiuerent in æternum Roman. 8. Denique Paulus astruit Rom. 6. peccatum existentibus sub gratia, non dominaturum. Et quid hoc fit, residentem in baptizato concupiscentiam esse propriè peccatum, ac primos illos affectus uerè esse peccata renitentibus pro sua uirili, si non sit peccatum illis damnari? Verùm facessant hæc, atque excutiamus asumptum huius argumenti, quod est hoc. Cur itaque impuntarentur à Deo, quæ nostra stultitia admittimus, dum uota edimus, & postea dirimimus? Hic desidero etiam huius acumen ac iudicium. Nam ut demus illi concupiscentiam in baptizato, ac affectus illius, quos inuitus sensit Paulus esse uerè peccata, non tamen à Deo imputare uotorum diremptionem, quæ uoluntariè ac spontè con-

tè contra illius legem committitur? Quis enim dixerit perinde iudicare Deum illa inuoluntaria atque hac uoluntaria? Quorsum citauerit illud psal. 142. Non intres in iudicium cum seruo tuo domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens, non planè uideo. Nam sic planè uerum, ut est uerissimum, quod psaltes regius ille habet: sed accedat oportet commoda eius interpretatio, nempe, quòd mortalium omnium nemo sit cum Deo ita compositus, in cuius conspectu stellet, id est, angeli, sunt impuri, iustificabitur. Vel, nemo traducens hanc uitam mortalem comperietur absque omni genere peccati, ut careat etiam quotidianis, & uenialibus culpis, sine quibus hanc uitam transigit nullus. Hæc est D. Augustini interpretatio, de spiritu & litera, cap. 29. & ult. Non aberrabit quisquis dixerit ideo prophetam illum scripsisse uersum, quòd nemo dum hinc uixerit, assequetur perfectam illam, & omnibus numeris absolutam iustitiam, qua diligitur Deus prorsus ex toto corde, & tota anima, & c. citra quoduis genus remore, aut impedimenti, ut caro non concupisecat aduersus spiritum, nec ulla futura sit penitus concupiscentia carnis, de qua Apostolus ad Philip. 3. ait: Non quòd iam acceperim, aut perfectus sim, sequor autem, si quo modo comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo Iesu. Hæc iustitia, non ad hanc uitam, ubi cognoscimus ex parte 1. Cor. 13. & ideo ex parte diligimus, quia incognitum nemo diligit unquam sed ad futuram pertinet, in qua cognoscemus Deum facie ad faciem, sicuti est. Hæc fer accepta D. Augustino, ex cuius lucubrationibus ea mutuo sumpsimus.

DEFENSIO.

Possẽm hoc loco, & non iniuria, conqueri de mutilata, inepta, & confusa mei argumẽti recitatione. Sed quia breuitati studeo, & hoc passim fit, uel inscitia, uel malitia à meo aduersario, ideo statui supersedere nunc à querela. Hoc tamen lectori consulo, ut semper in his obiectis, ad assertionem meam recurrat. Non inficior, me dixisse, Deum non imputare suis, quæ contra legem, subinde cõ-

mittunt. Quia si eam requireret à sanctis, dum hic uiuunt, ad unguem obseruari, nulli usquam essent, qui salutē assequerentur. Quòd si de lege sua quæ alioqui sanctissima est, Deus patitur, ut aliquid relaxetur, & condonetur in uita sanctorum, certè longè minus inquireret in suos fideles, si à lege deslexerint, non Dei, sed quam ipsi per temeraria uota sibi imposuerunt. Argumentum est à maiori ad minus. Longe enim sanctior est Lex diuina, quàm ea, quam ipsi nobis adinuenimus. Sed iste primum negat, Deum non imputare sanctis, dum hic uiuunt, quæ alioquin sua natura sunt peccata. Id ego confrmaui, quia Paulus in septimo capite ad Romanos, cupiditatis motus licet incogitados, innatos eius impetus, incitationesque ad peccandum, quum appellasset, quemadmodum sunt uerè peccata, eisque ostendisset se detineri, quemadmodum & sanctis reliquis usu uenit, ut postea demonstraret, Christi beneficio nos iuari, atque inde consolationem acciperemus in nostris malis, ad principium octauæ capitis, inquit, Nil esse damnationis his, qui sunt in Christo Iesu. Quòd autem hæc uerè sint peccata, non tantum ex eo liquet, quòd Paulus ea ita uocat, sed etiam ratione constat, quoniam Legi diuinæ reluctantur, contra illam insurgunt, & nos impellunt. Et cum toto corde, & tota anima, & omnibus uiribus Deum colere debeamus, & nequaquam concupiscere, obstant hi motus, & hæc incitationes, quominus id præstemus. Quare à peccatorum numero eximi non debent. Smytheus uerò sophisticæ suæ non potest obliuisci, & neminem inquit, ausurum dicere, Paulum peccasse mortaliter ex eo, quòd agebat, quæ noluisse. Quis unquam à me audiuit, Paulum ibi peccasse mortaliter? Estne firmum argumentum, peccat, i-

Cupiditatis motus, & incitationes eius uerè sunt peccata.

gitur mortaliter peccat? Nonne hoc est à genere ad formas, uel partes eius descendere affirmando? Quis non uideat foedissimum hic admitti paralogismum? Multae sane sunt peccatorum formae, primum habemus naturae corruptionem, & insitum uitium ab ipsa procreatione, quod peccatum originale dicimus, idque nisi per Christum condonaretur, in ipsa morte relinqueremur eterna, deinde ab ista natua corruptione, quam ex Adamo contraximus, & nobiscum perpetuo circumferimus, prauae semper cupiditates, motus, & incitamenta exhalant ad peccandum, quae & à peccato nascuntur, & ad peccandum impellunt, & peccata sunt, quum Legi diuinae, ut dixi, aduersentur. Sed credentibus in Christum non imputantur: quia ut ait Paulus, Nihil est damnationis his, qui sunt in Christo Iesu. Tertio loco mens, aut uoluntas cedit his prauis motibus, & peccata, quae suadentur ab illis, approbat, quod est peccatum regnare in corpore mortali: atque hoc genus peccata uulgo appellantur mortalia, & actualia. Suntque in hoc genere illa peccata, de quibus Paulus etiam dicit, quod qui talia faciunt, non habent partem in regno Dei. Possem etiam inter partes speciei sue peccati, ad illa, quae dixi, recensere prauitatem consuetudine uel habitu confirmatam, & praeterea peccatum in spiritum sanctum. Vnde quilibet facile intelligit, quam infirma sit ista collectio. Qui primis motibus prauis agitantur, peccant, ergo mortaliter peccant. Non aliter est, atque si diceres, Smythæus est animal, ergo Smythæus est asinus. Fateatur itaq; nisi uelit esse asinus, argumentum quod in me torsit, nullius esse momenti. Quodq; magis mireris, adeo uidetur ignarus, ut peccatum agnoscere nolit, nisi quod uoluntate, aut electione con-

Variae peccatorum species.

mittitur: quod, ut ostendimus, ad tertiam formam, seu specie
 ciem peccati pertinet, nempe quando mens assentitur, &
 peccatum regnat in nostro mortali corpore. Audebit ne
 gare uitium originis peccatum esse? Non arbitror, quia
 licet reuera sit Pelagianus, tamen uideri nolet Pelagij se-
 ctator. Ideoq; fortasse hoc noluit cauere, cum dixit, quod
 est peccatum actuale, seu personale, oportere ut à uolun-
 tate proficiscatur. Verum hoc quid aliud est, quam por-
 tenta uocum fingere? Dumq; peccata quedam introdu-
 cit personalia, uidetur innuere, alia inueniri, que nō sint
 in aliqua certa persona. Quod haud est mirum. Quin e-
 nim accidentia fecerunt in Eucharistia sine subiecto, for-
 tasse ijdē aliqua peccata constituunt extra personas. Pec-
 catum est in homine, quicquid Legi Dei aduersatur, siue
 prodeat à uoluntate, siue ab alijs eius uiribus: qui quum
 totus ad id sit conditus, ut Deum referat, eiusq; sit imago,
 quaquauersum ab eius uoluntate, que summi Lex est, di-
 discesserit, peccat. Et quum peccatum uarias habeat na-
 turas, & partes, ueluti demonstrauius, non licet, ut au-
 sus est Smythæus, ex qualibet earum quancunque aliam
 inferre. Deus illi uidetur crudelis, & iniuste agere, si in
 peccata uertat hominibus, que non possunt effugere, &
 que uelint, nolint, illis accidunt. Querelā eius si iusta es-
 set, Deum oporteret uidere, quomodo se defenderet, cum
 peccatum originis in quod nolentes incurrunt, grauius
 puniat. Certē arrogans est & superbus, qui hæc loqui au-
 det, quasi alter Iobus cum Deo disputaturus. Deus inquit
 erit crudelis, si nobis ista uicio uertat. At nonne dixi, quod
 ei qui crediderit in Christū, talia non imputat in peccatū
 non quasi natura sua peccata non sint, sed quod in Chri-
 sto nobis condonentur. Duo proinde inducis, quorum u-
 utrunq; falsum est. Primum, Deum esse crudelem, si hæc
 in cri-

in crimen uerterit, aut peccatum. Nam uti iuste peccatum originis in paruulis, qui nequeunt illud cuitare, damnatur, ita iuste coram Deo hæc habentur, ut peccata, quum eius legi repugnent, & damnationem inducunt, nisi per Christum non imputarentur. Et quia Paulus ad finem capituli illius dicit: Ego quidem mente seruius Legi Dei, carne autem legi peccati, existimat iste acutus interpres Paulum se à peccato eximere, quasi ea relicitatio mentis peccatum auferat: quum tamen ad finem capituli duntaxat Christo acceptum referat Apostolus condemnationis ablationem: neque propterea dicit in se peccatum non esse, uerum declarat ui fidei, qua mens est communita, fieri, ut peccatum compescatur, ne serpat latius, neue tam graue reddatur, ut partem non habeamus in Regno Dei. Non dixit ad Romanos peccatum non sit in uestro mortali corpore, sed non regnet. Proinde peccatum non eò funditus tollitur, quòd illi resistitur spiritu, sed frangitur, & debilitatur: assequimurque spiritu & gratia, ut nihil sit nobis damnationis. Quam sententiam rursus Paulus cautè profert: neque ait, in nobis nihil esse peccati, sed damnationis, quæ peccatum sequitur, nisi per Christum condonetur, siue ut dixi non imputetur. Hæc ut pia sunt, & menti Paulinæ conformia, ita *αὐτὸ κατὰ τὸν νόμον* à doctrina Pelagiana distant: ideòque nostro Smythæo placere non possunt. Qui etiam non est audiendus cum Aristotelico more, primos illos motus prauos attribuit inferiori parti animæ, quasi non habeamus in mente, seu in ratione primos motus infidelitatis, superbiæ, inanis gloriæ, & alia id genus uitia, quæ ad partem animi rationalem, non ad inferiorem spectant. Sed in Sophistico capite nunquam hæcere potuit, per carnem in sacris literis totum

hominem quantusquantus est intelligi, eo uersum, quo ad huc non est regeneratus, neq; per Christum inmutatus. De Euerardo Billichio, non est, quod ego tibi respondeam quia D. Bucerus, antequam nobis magnum sui desiderium relinqueret, satis in suo libro de Actis Ratisponensibus, testatum fecit, quam ille à scopo diuini ultimi præcepti aberrarit. Sed quid ego uirum tam præclarum tibi proposui, cui tantummodo scripta illorum qui tuæ farinae fuerint, præ cæteris placent, quantumuis doctissimis atq; eruditissimis. Quod nõ est mirum: nam & asini plures faciunt paleas, quam cinnamum, si eis utrunque appositum fuerit. Neq; interim is uidere potest, quam nil pro se faciat

Cyprianus

Cypriani dictum, quo ait, carnem esse spiritus officinam. Quoniam si caro ad hoc est deputata, quemadmodum totus homo, ut sit spiritus officina, ideo uitiosum est, & peccatum quicquid in eo fit, & mouetur contra fabri sui arte. Sed operæ prætium est, præter hæc audire, quæ fideliter nobis interpretetur præceptum, Non concupisces. Intellegendum, inquit, istud est de cupiditatibus uoluntatis, non de carnis primo affectu, & insultu. Hæc sanè istius interpretatio, tam est Dei præcepto accommodata, ut ipsum euertat, prorsusq; inane, ac superuacaneum reddat. Nam de eo libenter uelim intelligere, cum quis iam concupiscit uoluntate uxorem proximi, quodnam præceptum uiolat? Certè si Christum interpretem audiamus, ille docebit, id ad mandatum, quo prohibetur adulterium, attinere. Nam inquit, Dictum est, Non mœchaberis: ego autem dico uobis, qui uiderit alterius mulierem ad concupiscendam illam iam mœchatus est in corde suo. Quare si allatam à Smyt. sequamur expositionem, præceptum, Non mœchaberis, & Non concupisces, idem erunt mandatum. Item, si quis cupiat opes proximi animo, ut dicunt, firmo, & delibera-

Præceptum non concupisces.

to, is peccat contra mandatum, Non furaberis. Quorsum
ergo præcipitur, Non concupisces rem proximi tui? Siquis
item cupiat destinato animo ultionem sumere de proxi-
mo, quod est irasci ei, nam ira definitur ultionis cupiditas
is peccat in mandatū, Non occides, ut Christus exposuit.

Quare cū ista omnia ad electionē uoluntatis, aut ad opus
referuntur, singularia Dei habēt in lege mandata. Vnde
nisi uelimus, præceptum, Non concupisces, esse superua-
caneum illud accipimus latum contra omnes prauos ho-
minis motus, quos Deus in nobis odit, sua ipsorū natura,
sed per Christū credentibus condonat. Quomadmodum

per mandatum illū summum legis, Diligas dominum deū
tuum ex toto corde, &c. omnes motus requirit in nobis,

& sanctos, & legi, ac uoluntati suæ conformes. Istitis duo-
bus mandatis tenentur homines à Deo mediij, sic ut nemo
illorum quantumuis sanctus negare possit, quin subinde
peccet, cum neq; omnes bonos motus præster requisito;

neq; careat fere unq; prauis atq; corruptis. Ex his autem
iam habetur, quomodo isti primi ad peccādū impetus pec-
cata sint, siue peccatū propriè, siue ut iste dicit, præse cō-
sideraueris, & quomodo sit intelligendum, quod Paulus
ait, Nihil esse damnationis his, qui sunt in Christo Iesu.

Quòd licet ista sua natura sint peccata, tamen credenti-
bus non imputantur, quia non tam graua sunt, ut fidem
qua iustificamur, aut prorsus excludāt, aut ita debilitent,
quin ea dum adhuc habenas retinet, neq; finit istos motus
a pijs hominibus approbari, & per Christū haberi, ut qua
si peccata non imputentur, nosq; hoc pacto condēnatio-
nē euadamus. Friuolū uerò admodū est quod iste affert,

Paulum non scribere, ut nos dicimus, Deum uidelicet cre-
dentib. non imputare dānationē, sed his, qui sunt in Chri-
sto Iesu, nullam esse condemnationē, quod ipse intelligit.

Præceptū
diliges De-
um ex toto
corde.

Condem-
natio non
est peccatū
sed ipsum
sequitur.

quoniam ab illis abest culpa, condemnationemque acci-
pit, quasi sit idem, quod peccatum. Sed hæc grauis est hal-
lucinatio. Nam condēnatio sequitur peccatum, non autē
est ipsum peccatum. Peccatum à nobis proficiscitur: conde-
natio à Deo iustissimo iudice, quam ille pro sua misericor-
dia suspendit in his, qui per fidem sunt membra Christi,
quos Paulus ab initio capitis octauī consolatur. Cū enim
antea ostendisset miseras & calamitates, quibus uel nolē-
tes adhuc subiacent dum sunt in corpore mortis, ut bono
sint deniq; animo iūbet: quod licet hæc habeant peccata
& quidem uerē peccata, ut Paulus ea disertē appellauit,
damnationem tamen illis non sint allatura. Quod Chri-
sti beneficiū quotquot ignorant, non paruam partē no-
stræ redēptionis obscurāt, & abrogant. Vnde nō est hæc
quæstio, ut multi nos ridēt, de lana caprina, sed quæ bene
explicata nobis mortis Christi beneficiū maximē cōmen-
dat. Et licet Pau. hic peccati nō imputandi haud memine-
rit, tamen disertis uerbis in quarto capite mentionem to-
ties eius fecit, ut de eo nemo iam, qui uerē sit Christianus
possit ambigere. Quærit postea, quid sit peccatum in no-
bis non dominari, si primi motus uerē sint peccata. Et
hac inepta quæstione ostendit, se nō posse intelligere, pec-
catum inesse homini, & ei non dominari, cum ex illis uer-
bis Apostoli colligatur nobis inesse peccatum. Quorsum
enim prohiberet, ut non dominaretur, si nobis nō inesset.
Si enim abesset à nobis, nihil esset periculi ne dominare-
tur, sed quum insit, magna semper nobis imminet lucta
contra ipsum, ne cedamus, & sinamus ipsum dominari:
quod sit illud approbando, & eius placita consecrando.
Non est dominatus externus, de quo nunc agimus, sed to-
tus ad animum, uiresq; illius, & membra corporis per-
tinet. Vnde licet quispiam tyrannus, aut rex dominari eis
posset

posset, in quibus non haeret, peccatum tamen nisi nobis
 insit, dominari nobis non potest. Fingit deinde noster,
 se dare hos malos motus, & prauas incitationes esse pec-
 cata, & à Deo nõ imputari credentibus. At inde sequi ne-
 gat, Deum pariter uotorum non imputaturum uiolatio-
 nem, quòd hæc non sit inuoluntaria, quemadmodum illi
 motus absque rationis arbitrio in nobis excitantur. Sed
 hoc obijciendo rursus in idem impingit, quasi nos dixe-
 rimus, illos primos motus, uel impetus prauos eo nomine
 non imputari, quòd minimè sint uoluntarij. Hoc certè nõ
 posuimus. Nam etiam non uoluntaria imputantur, ut de
 originis peccato satis liquet, sed causa non imputationis
 Christus est, iam à credentibus per fidem apprehensus.
 Itaque paralogismum hic admittit, dum accipit non cau-
 sam pro causa. Redit ergo meum argumentum, & ma-
 net ut ab initio. Quòd si remittit de sua lege ob infirmi-
 tatem credentium, & multa eis non imputat, quæ alio-
 quin peccata essent, cur non patietur æquo animo le-
 gem illam uotorum infringi, quam nobis ipsi temerè
 præfiximus? Ambigit quorsum à me fuerit citatus locus
 è Psalmo, Ne intres in iudicium cum seruo tuo Domi-
 ne, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis ui-
 uens. Quumque per omnia sit hypocrita, ita se hic quo-
 que fingit dubitare, quum re uera non ignoret, quò spe-
 ctum. Quod quia probè intellexit, ideo primo loco uer-
 ba Dauidis à meo scopo uoluit deflectere. Sint, inquit,
 ea uera: sed accedat commoda interpretatio, quæ nãm il-
 la est? Homo, inquit, cum Deo collatus iustificari non
 potest. Quoniam in conspectu Dei uel ipse stellæ sunt in
 mundæ. Semper ei placet ad Pelagianos diuertere tan-
 quam ad hospitia bene sibi nota, & usitata. Hominem
 quippe sentit ita iustificari posse, quòd omnia quæ sunt in

Quare pra-
 ui animi
 motus non
 imputentur
 credentib.

lege ad unguem seruet, ut si Deus ex lege cum illo disceptet, ualeat subsistere. At si cum innocentia ipsius Dei cōferatur, tum fatetur cum non posse iustificari, q̄ à manditatie Dei plurimum distet. Sed nobis dicat, quando requisit uispiam Deus ab homine, ut sibi par esset, aut equalis. Ita ut tanta eius esset puritas, iustitia, & innocentia, quanta est Dei? Certe hoc nusquam poterit ostendere à Deo, fuisse pr̄scriptū. Quare non erat, quòd præcicaretur t̄to pere David, ne tale iudiciū subiret. Ex lege nobiscū agatur in iudicio Dei, cū in ea declarauerit, quid ab homine præstari uellet. David autem qui probè intellexit, neminem quantumuis iustum & sanctum in humano conspectu inueniri, qui præceptorum diuinæ Legis non sit reus quum ad iudiciū Dei causa fuerit delata, ideo tam attentè precatur, ne seueriter agatur secum, fateturque in ea contentione, neminem esse, qui possit iustificari. Explosa itaque ut absurda priori expositione, alteram quam adfert, & est Augustini, libenter admitto, qua iste maxime conficitur, quum ea iudicet se posse releuari. Nemo, inquit reperitur absque omni genere peccati. Saltem leues & quotidianas culpas in unoquoque deprehendes. Ista sunt uerissima. Sed respondeat Smythæus: Quilibet fidelium singulo quoque die finitne sibi peccatum dominari consentitne perpetuò, & approbat malos motus? Non atbitror hoc eum uelle dicere, quum humanas uires plaris faciat, quàm conueniat orthodoxo. Quòd si David respexit ueniales, ut iste loquitur, & quotidianas culpas, sine quibus humana uita non transigitur, uerba eius pro me facient, quòd quum ab his occultis, nemo sibi omnino caueat, nemoq; illa undiq; omniq; ex parte ualeat cognoscere, meritò psaltes diuinū examen de precatur. Adhuc imprudens iste aperte discedit in meam sententiam, quando affir-

Augustin.

do affirmat neminem esse, qui dum uiuit, assequatur perfectam absolutamq; iustitiam, ita ut caro non concupiscat aduersus spiritum, & omnino præstet id, quod mandato diligēdi Deum toto corde, &c. præcipitur. Et addit, hæc illa est iustitia, quam Paulus persequebatur, quum ad Philippenses dicit, non quòd perfectus sim, sequor autem, si quo modo apprehendam: sed inquit non esse hanc iustitiam præsentis uitæ, sed alterius, ubi uidebimus Deum facie ad faciem. Hic me non possum continere, quin ad cælum manus tollam, & quodammodo exclamem. Iam tandem Smythæus bene loquitur, rectè scribit, & cum diuinis literis, atq; Augustino cõsentit. Si enim ut fatetur nunc contra perfectam, & absolutam iustitiam est, q; caro concupiscit aduersus spiritum, cur non concedit istam cupiditatem natura sua esse peccatum, quandoquidem iustitiæ, & quidem perfectæ aduersatur? Si scribit non impleri à nobis dū hic uiuimus, præceptū ut diligamus Deum toto corde, &c. cur nõ confitetur nos in eo peccare, cū peccatum sit à præcepto Dei recedere? Sed ista non sunt, inquit præsentis uitæ. Quid ad me? Non reclamo: lex tamē exigit à me hanc iustitiam, hæc illo præcepto postulat, & qui ab eo deficit, aut aberrat, peccat. Nam peccatū apud Græcos dicitur ἀμαρτία, ἀπὸ τοῦ ἀμαρτάνειν, quod est aberrare à scopo. Quemadmodum enim, qui non attingit scopū, in aliquā partem aberrat, ita qui nõ perficit & absoluit præcepta Dei, aberrat & peccat. Nõ esse aut̄ huius uitæ hanc iustitiã, cõcedo: sed quãdo ab illa deficimus, nõ peccare nos, uel illã à lege Dei nõ requiri pernego. Quæ omnia cū melius, q̄ cæteri homines Dauid perspiceret, clamabat, Nõ intres in iudiciū, &c. Quòd si nõ est huius uitæ tãta iustitia, si quæras cur eã Deus præceperit, August. nos docet, imò Paul. ipse. Præcepta hæc ideo esse posita, ut

Augustin.

Cur Deus
legem præ
cepit, si nõ
potest in
hac uita
seruari.

peccatum intelligeremus in nobis longè maius grauiusq;
esse, q̄ humana ratio queat intelligere. Atq; hinc discamus
quãto beneficio Christus nos affecerit: Deinde ut sciamus
quæ et quanta iustitia uotis & precib. roganda sit: utq; ali
opera bona facimus, uideamus quò sit collimandum. In le
ge enim declaratur nobis, quod genus operũ Deo probe
tur, & de uolũtate illius reddimur certiores. Nõ itaq; fru
stra data sunt præcepta, licet in hac uita perfectè absolu
teq; nõ obseruetur. Hęc ego coronidẽ huic defensionĩ adiu
gere uolui, q̄ multos uideam ad hunc scopulũ impingere.

G. 7.

XI. O B I E C T V M.

Friuolum est illud huius Petri Martyris, nec dignum
refutatione, quod ait non esse integrum uiris, aut fœ
minis, ante quintumdecimum, uel decimum octauum
ætatis annum nuptias inire, quod non antè expertum
habere queant, quid ualeãt humeri, quid ferre recusent
Quare ergo non liceret, uel prouectioris ætatis uiris, &
fœminis uota continẽtia soluere, qui ea ediderũt, pri
usquam probè habuerunt experientiam uirium suarũ.
Cui & procinctũ est à mediocriter docto, quod respõ
deatur. Nempe nec hĩc permitti, ut quis uoueat, anteq̄
dicat, se explorasse uires suas, ac profiteatur nihil dubi
tare, se posse quod uouerit, Deo bona fide præstare. Ad
quod cum fecerit, uoto ultro sese alligat, & efficit ne li
ceat, quod antea licuit. Vt non habeat quod conquera
tatur, nec in quem possit præterquam in ipsum, cui
hęc, ut dicitur, faba, si resilierit ab incepto, nec fidem
liberauerit unquam.

D E F E N S I O.

Quia meam rationem inuertit, eamq; perturbatẽ reci
tat, illã primũ reponam. Vsus sum aduersariorũ testimo
nio: à quibus decernitur, ut uota nuncupata ante decimũ
quintum, aut decimum octauum annum irrita sint: quod
neq; ad eam ætatem homines adhuc rerum sint admodũ
imperiti. Hoc ab eis, quum ita constituatur, & causa de
creti sit imperitia, quare non debeant & illorum uota
esse

esse irrita, qui perinde humanas vires ignorant, & naturam uotorum non intelligunt, & adhuc ueri cultus Dei omnino ignari sunt, atq; puerorū tredecim, aut quatuordecim annorū? Si potest imperitia, iuxta illorum decretū quæ per ætatem accidit, uota irritare, cur nō & illa igno ratio quæ ex ruditate diuinarū rerū inueterauit? Sic ego meum argumentum induxi. Audiamus nunc quid cōtra illud differatur. Dicit iste in sua secta papistica hunc esse morem, ut non prius uoueant q̄ dixerint se vires suas explorasse. Hoc ut luculentum sit mendacium, duo probare possunt. Primum nusquam ab episcopis de hoc interrogari subdiaconos, qui sunt propemodum adolescentes, cum ordinātur: quibus tamen ex uoto ibi edito nuptias interdicitur. Tuam ipsius appelles conscientiam, & quæras an abs te quispiam requisierit, quum uel subdiaconus, uel diaconus, uel presbyter fieres, ut vires tuas explorares? Alterum quo falsitas assumpti demonstratur, est, quod tametsi ab hominibus pietatis ignaris quique sacras literas nunquam tractarunt, & per ætatem sese uix norunt, dicatur, quod se explorauerint, id satis erit? Quid illi nosse poterunt, etiamsi uirginitatis seruandæ facultatem ad ali quod spatium temporis se fortasse uiderint habere, aut habuisse, num illud donum ipsis perpetuò sit concedendum? Quare quum neque interrogentur, neque seipsos exploratos habere possint, partim quod pietatis ueræ sint ignari, partim quod à nemine citra reuelationem singularem sciri possit, an perpetuò donum calibatus à Deo sit habiturus, apparet non esse uerū quod in responsione posita est allatū. Notabit præterea lector, quanta arrogantia dicatur is qui uouet, profiteri se bona fide præstare posse Deo quod uouit. Certè hoc quod iste dicit, nusq̄ ulli profitentur, ne illi quidē qui sunt in monasterijs. Deinde cum

ista non sint ad salutem necessaria, & Deus modò ea concedat, modò non largiatur, quid homo profiteri potest, se facturum, quod non in sua, sed & in Dei manu positum scire debuit? In mea præterea ratione leges Papisticas reprehendi, quæ decimumquintum, aut decimumoctauum annum præscripserint, ac ea etate uirgines dedicent Deo, & in Ecclesiam admittunt eius opibus alendas, quum Paulus uiduam noluerit minorem natu quàm sexagenariam admitti. Ad hæc iste nil affert, sed magis quàm piscis est mutus: ut qui negare non possit suas regulas quas uocat Apostolicas, esse potius à sacris literis apostaticas.

A S S E R T I O.

Quamquam tertia quæstio ex iam dictis facile dissolui possit, ut ex quibus apertè consequatur, uotum cælibatus non esse per Ecclesiasticos præfectos exigendum, neque ab his qui sacris ordinibus initiantur, neque à cæteris quibuscunq;. (Nam si non est Christianorum uouere, ut primo loco statuimus: etsi licet huiusmodi uota iam edita irritare, quod altera quæstionis parte probatū est, constat perspicuè, quod tertium erat, uota huius generis non esse à quoquam extorquenda.) Nihilominus ad rei planiorem euidenciam, non grauior ad hoc idem confirmandum, & alia complura argumenta proferre, quæ tamen attingam breuissimè, quum ad eorum pondus perspicendum nõ magnum lectoris iudicium requiratur, quod satis per se dilucida sint & perspicua. Primum reducere in memoriam oportet, Paulum, qui summa cum pietate, atque adeò uera doctrina ecclesiam platabat, ad Corinthios dixisse, nolle se cuiquam laqueum iniicere. Sic enim cælibatum laudauit, ut illum

vt illum à nullo hominum extorqueret. Nam si id
 fecisset, iudicabat laqueū hominib. iniici. Quod,
 vt Apostolica pietate præditus erat, indignum fa-
 ctu existimauit. Dicant itaq; nostrorum temporū
 episcopi, num alio consilio velint Ecclesias rege-
 re, quàm ab ipso Apostolo plantatę fuerint? Dūq;
 vota exigunt hodie in Ecclesia, quādo ministros
 ordinant, sæpè illos adigunt ad id pollicendum:
 quod esse possent contra Dei mandatū. Nam cum
 non continentibus, & his qui aduruntur, præce-
 ptum sit matrimonium, ab istis videntur exige-
 re, vt polliceantur, se Dei præcepto non obtempe-
 raturus: & vota quæ postulant, aut exigunt, non
 possunt appellari nisi temeraria. Sic Iephthe ma-
 lè vouit. Potuit enim fieri, vt quod sibi redeunti à
 victoria primūm occurreret, animal esset diuino
 sacrificio non idoneum, sicut illi vsu venisse hi-
 storia sacra refert: quandoquidem primam om-
 nium filiam obuiam habuit. Quam si Deo sacrifi-
 cauit, vt stultè promisso stetit, sic temerè ac ma-
 lè vouit. Extorquendo prætereà votum cæliba-
 tus à iunioribus, disceditur ab instituto Pauli,
 qui viduas non minoris natu, quàm sexagena-
 rias recipi voluit. Isti verò à monialibus adhuc
 puellis, & ab adolescētibus tam monachis, quàm
 clericis tale votum exigunt. Proinde quum tan-
 tus Apostolus iuuenes ob ætatem lubricam ad
 matrimonium ableget, quando ait, Iuniores vi-
 duas volo nubere, quomodo dicūt isti, subdiaco-
 nos, aut diaconos, quantūuis iuuenes, à matrimo-
 nio volumus abstinere, & vouere? Deberent por-
 rò episcopi Paulos in Ecclesia agere, atq; cū donū
 cælibatus nemini possint elargiri, votū eius à ne-
 mine quoquam deberent exigere. Patrem non
 vult Paulus, filiā suam innuptam seruare, nisi eius

potestatem habeat voluntatis: & ostendit posse necessitatem urgere, vt illam nuptui elocet, quæ intelligenda est, si eam deprehenderit nupturire, itque in ipsa vel adustionis, vel incontinentiæ animaduernerit indicia. Nec video qua conscientia, quaue fronte audeant nuptias rem adeo laudatam in sacris literis prohibere generi vniuerso ministrorum Ecclesiæ, ordini tam amplo, atque tam latè diffuso, in quo veluti satis damni non fuerit, illatum, & monachos, & monachas adiecerunt. Epistola verò ad Hebreos thorum conjugij appellat *τίμιον ἐν πᾶσι*

Neq; satis illorum prudentiã queo mirari, qui cū nuptias interdicanť ministris Ecclesię, illos aiunt oportere carnẽ mortificare: perinde ueluti præceptũ mortificationis ad coniugatos nõ pertineat. Porro qui facta carnis spiritu nõ mortificãť, eternã uitã nunquã poterũť viuere. Vnde actũ erit citra controuersiã de parentũ, auorũ, iuxtaq; maiorũ nostrorũ salute, à quib. per matrimonia legitima sumus procreati. Isto Pauli testimonio legitimus papa est abusus qui primus, vt videtur, decretũ apertẽ instituit de perpetuo cęlibatu sacerdotũ, quòd spiritu facta carnis mortificare debeant. Hęc ille sententiã pro argumẽto adduxit sui decreti: cū tamen Paul. id omnib. fidelib. præcipiat, si ad eternã uitã pertingere velint. Alioqui moriẽtur qui secundũ carnem vixerint. Cauillãtur aduersarij, matrimonia, vt Paul. etiã testatur, multa secũtrahere impedimẽta, quib. neq; fideliter, neq; secundũ ministratur Ecclesijs. Respõdetur, haud necupatiões habere matrimonia: sed illaviciissimõ considerare oportet, multis alijs cõpensari cõmodis. Tollũtur à clero scortationes magna ex parte: &

si quæ cōtigerint, iustiori poterūt ratione puniri, cū hodie rideātur, vel ab his qui vidētur honestiores, tolerentur pretextu humane infirmitatis. Ad hæc sæpè fama periclitatur pudicitie ministrorū, quos in historijs sæpè legimus fuisse coactos vti Canonica purgatione, aut depositos à suo ministerio, cum se purgare non possent. At honestate matrimonij facile tolluntur huiusmodi prauæ suspiciones. Prætereà cū magna diligētia educatur Ecclesiastici pastoris familia, filijque & vxor eius piè sancteq; continētur in officio, discunt aliquæ ex parte ministri, quomodo Ecclesiam quoq; debeant administrare. Atq; hanc rationē Paulus nō omisit, quādo dicit, nō esse idoneū ad Ecclesiā bene regendam, qui suæ familiæ nō fuerit prudens gubernator. Cumq; tandē oporteat Episcopū hospitalem esse, nō incōmodè potest per vxorē, ac liberos obire officia: quæ omnia si semper velit per famulos agere, sæpè minus rectè curabūtur: & grege magno famulorū, atq; amplo patrimonio erit opus, quæ vt seruum Christi positū in ministerio deceant, aliorū esto iudiciū. Mitto, quòd si contigerit pia & prudēs vxor, non modò illi erit adiutoriū ad familiā regendā, sed etiam sæpè iuuabit consilijs non pœnitendis ad res Ecclesiasticas gerendas. Quod qui mihi nō credit, Gregoriū Nazianzenū legat, qui matrē suā narrat in Ecclesiasticis curis patrem suum Episcopū sæpè iuuisse. Neque debet quisquā suspicari ex his, me statuere omnes Episcopos & pastores debere esse coniugatos. Non equidē sic doceo. Quisq; vtatur dono sibi à Deo cōcesso cum gratiarū actione. Tātūm recensere volui, quibus cōmodis Deus recompenset fideiū pastorū Ecclesiæ coniugia: quæ alioqui sua natura nō nihil incōmodi ac molestie secum

afferunt. Qui locus vt euadat clarior, atque adeo
 ceterior cōferamus quęso pastores coniugatos cū
 his, qui hodie iactitant suum cęlibatum. Istos vi-
 debis otiosos, multis sacerdotijs oneratos, dedi-
 tos uoluptatib. luxu & fastu sumptuosissimos, ta-
 citos & mutos, atq; nō rarò sacrarū literarum im-
 peritos. Non cōcionātur, suum gregē non pascūt,
 in quenq; annū ter quaterue fortassis magno cū
 honore, gloria & ornatu Missam faciunt, quotidie
 autem horas nescio quas Canonicas mulsitāt, &
 hīc omni pietate sibi videntur pulchrē defun-
 cti. Vita verò sunt impurissimi scortatores, adul-
 teri, ebriosi, atque per omnia fermē contaminati.
 Ita se habere maiorem partem Romani cleri, & se-
 ctatorum eius, omnes fermē intelligunt. Quòd si
 qui sint paulò honestiores, quoad ciuilem exter-
 namq; conuersationē, licet pauci sint, tamen illos
 ipsos haud uideas carere vitio sacerdotiorū accu-
 mulatorū, & otij. Nō enim assiduē, uti deberent,
 populū sibi creditū pascunt, & docent: sed, uti iac-
 titare ipsos non pudet, & sibi & Musis, non autē
 Ecclesię viuunt. E diuerso autem permultos pos-
 sumus ostendere pastores astrictos coniugio, qui
 non solū castē sanctēq; ac purē viuunt, sed etiam
 omnibus bonis artib. instructi sunt, perpetuò do-
 cent in schola, aut prædicant in Ecclesia, & sapē
 vtrunq; faciunt: habent familiam piē ac sanctē in-
 stitutam, frugaliter viuūt, benefici sunt in quos-
 cunque possunt, afflictos consolantur, & grotos vi-
 sitant, & in summa, quę Christi sunt, & ouium sibi
 commissarum, ea diligentia summa quærunt, at-
 que adeo præstant. Neque hæc à me dicuntur in
 iniuriam cęlibatus atque virginitatis: verū in
 eum finem solum commemorantur, vt vel ipsa ex-
 perientia doceam, nō esse tanta impedimenta ma-
 trimonij

trimonij, vt quum Ecclesiæ ministerio feliciter
 obeundo non possit coniungi. Sed vereor, ne qui
 Paulo non credunt, istis quoq; experimentis non
 multum tribuant. Cæterum quicquid senserint,
 non refert: quando nulla ex parte demonstrari po-
 test, quod prætexunt, videlicet nuptias ordini sa-
 cro aduersari. Istis addamus, Paulum ad Timo-
 theum notasse vt doctrinam dæmoniorum, pro-
 hibitionem nuptiarum. Neque sunt audiendi pa-
 pistæ, quum aiunt, se minimè iudicare nuptias im-
 puras, vt Manichæi, & quidam alij hæretici fece-
 runt: deinde se illas non prohibere, nisi tantum
 illis, qui sunt Ecclesiæ ministraturi. Animaduer-
 tant obsecro, Paulum, quum dicit, nuptiarum pro-
 hibitionem doctrinam esse dæmoniorum, nullam
 excepisse causam, nullum statum, & nullum gra-
 dum hominum remouisse. Ideoq; omni humano
 generi, si inuandæ sunt & puræ, concedi debent.
 Paulus ter tantum uidit, ne plus dixerim, quam
 isti cognoscant. Et si vidisset alicui generi homi-
 num iustè nuptias posse prohiberi, id nobis pro-
 culdubio indicasset: at id neq; in isto loco ad Ti-
 motheum, neque quum matrimonium præcepit
 incontinentibus, & liberum alijs fecit, ad Corin-
 thios unquam monstrauit. Quis igitur uolet per-
 suadere, illum quosdam exceptos voluisse? Mani-
 chæi quoq; licet malè sentirent de nuptijs, nõ ta-
 men illas omnib. prohibebant, sed tantum suis ele-
 ctis, qui erant in Ecclesijs eorum ceu ministri: illis ve-
 rò quos auditores appellabât cõcesserunt. Neq; de-
 bet ecclesia, quãdo functione ecclesiasticã pasto-
 ribus, presbyteris, aut episc. madata, ab illis horre-
 re cõditionib. quas inter ceteras diuina scriptura
 nõ excludit, sed inter alias quæ probantur, enu-
 merat. Quis aut ignorat & ad Timotheum, & ad

Titum, episcopum describi vnus vxoris uirum, qui domui suæ bene præsit, & filios habeat subiectos cum omni castitate? Sæpius etiam usu uenit, ut ad Ecclesiam regendam, quæ iam ferè ubique latissimè patet, sit necessarium iuuenes initiari sacris. Quomodo illis ætate lubrica cælibatus præcipietur, cum Apostolus iuuenes uiduas testetur se uelle nubere, ac filios procreare? Et nemo est, quantum arbitror, qui neget Ecclesiam magno numero ministrorum hodie opus habere. Cumq; pauci sint qui cælibatum reuera possint amplecti, satis constare arbitror, malè factum, ut uotum de illo præstando, tanta obstinatione, atq; adeò uolentia extorqueatur. Nam ex hoc peruerso dogmate, quantam plagam acceperit Ecclesia, illi non ignorabunt, qui sibi ponent ob oculos quàm plurimos uiros, & præclaris dotibus ornatos, qui admodum essent idonei ad Ecclesiam regendam, nolle eò se transferre, quòd laqueum huiusmodi, ut sine vxoribus esse cogantur, minimè patiuntur sibi necti. Atque ita Ecclesiæ Christi multis optimis & pijs ministris destituuntur. Unde post illos primos aureos pastores, quibus licuit esse coniugatis, pessimis quibusq; hominibus aditus patefactus est ad sacrum ministerium, qui nil pensi habent ea uouere, quæ nunquàm in animum induxerunt, ut bona fide præstent. Hoc sanè malum Legi illi de cælibatu ministrorū acceptum debet referri. Quam tamen homines impurissimi atque obstinati, eò usq; tueri ac defendere audent, ut dicat fatius esse clerico aut monacho, postquàm uouerit, scortari aut adulterium cõmittere, quàm cõtrahere matrimonium. O uocem horrendam, ab omni pietate alienam, & inter blasphemias nõ uulgare. Vitia, imò scèlera & flagitia præferre audent

dent mandato Dei. Receptum morem, & vetustatem nobis obijciunt: quum tamen Ecclesiæ primitiæ temporibus innumeri demonstrari possint Ecclesiarum pastores & Episcopi fuisse maritali. Quid quòd & Græca Ecclesia, imò penè tota orientalis adhuc ad istas cælibatus leges non est adacta. Mitto de Germanica & Anglica quàm serò admodum in istum morem concesserint: idque potius per vim quàm vltroneo & volenti animo. Qua in re vt pòtiffices Romani tyrannide intolerabili usi fuerint, ex eo apparet, quòd esse voluerunt domino suo (cuius tamen vicarios impudenter se prædicant) austeriores. Is iugum leue nobis reliquit, & suaue: non tantum eo nomine, quòd gratiam & spiritum sanctum credentibus afflat, quo & spontanei reddimur, & vltronei ad ea facienda quæ præcipiuntur, sed etiam ea causa quòd iugo grauissimo infinitorum præceptorum legis quibus tenebantur veteres, nos eximit. Ideò non decuit, vt prælati Ecclesiam illius tam graui & importabili iugo votorum onerarent: præsertim quum hoc Christus ab apostolis non requisierit. Nam qui diuortium mirificè dissuasit, quomodo à suis apostolis eos vocando requisiuisset diuortium? Iussi quidem sunt vt se prædicantem sectarentur, quod facientes ad tempus vxoribus caruerunt. At illis nusquam legitur interdicitum ne vxoribus commiscerentur. Quin potius eas circumduxerunt secum, vt epistola prior ad Corinthios testatur. Et Eusebius in Ecclesiastica historia commemorat Petrum Romæ suam habuisse, quam, quum ad martyrium duceretur, adhortatus est, vt esset memor Domini. Neque Paulus inter condiciones episcopi & diaconi recensuisset, vt essent vnus vxoris viri, ac filios

haberent sanctè institutos, nisi iudicasset fore, ut Ecclesijs plerunque coniugati præessent: quandoquidem leges de his feruntur quæ plerunque accidunt, non autem de his quæ rarò. Quòd si cælibatum putasset ex maiori parte seruandum à ministris Ecclesiæ, nò de vxore tam episcopi quam diaconi, tam disertè scripsisset, sed potius de illorum uita cælibi. Sed ab hac Pauli descriptione tantùm proceres Ecclesiæ dissentiunt, ut maritos ordinare in Episcopos profus noluit, nisi ex vxoris consensu, si quam fortè habeant, à coniugij usu profus discesserint. Dicemus ne hoc esse apostolicè agere, an de industria regulis apostolicis reluctari? Solent iactare ideo se nolle homines cõiugatos ad sacra promouere, partim quòd matrimonium quantumuis purum, sacrum ministrarium impediatur, partim verò quòd nuptiæ sint infirmorum, & ad Ecclesiæ regimen fortes adhiberi oporteat. De primo satis antè responsum est. De altero verò quoad infirmitatem, non est quòd nobis facum faciant: quandoquidem uideamus antiquos patriarchas, apostolos Christi, & martyres complures, necnon bene multos episcopos magno fuisse animo, & viros fortissimos, quum vitam sæpè à comnia pro nomine Christi, & diuinis legibus constantissimè posuerint: qui bus nihilominus fuerunt legitimæ atque iustæ vxores. Neque hinc, si propriè loqui uolumus, rectè fit mentio fortitudinis, quum illa versetur circa grauius discrimina iusta de causa subeunda: præfertim ut Plato inquit, de Republica, ut recta ratio & sententia conseruetur. Potius de temperantia fuit loquendum, quæ in abstinentia ab hoc uoluptatum genere propriè locum habet. Sed cum eadem in matrimonio quoq; locum habeat, fru-

stra illius meminissent. Verùm his donemus ut de fortitudine pro suo arbitrio, licet indoctè, loquantur. Certè adhuc non poterunt inficiari, per multos fuisse athletas Christi, qui tamen non caruerunt nuptijs. Sed isti eos videntur appellare fortes, qui licet alijs grauia onera imponat, ipsi tamen ne digitulo quidem ea volunt commouere, quiq; ne tantillum quidem ferunt ob regnum cælorum propagandũ, nedum aut vitam, aut facultates veritatis Christi causa velint ponere. Et si modo quæras cur suam iactent fortitudinem, respondunt, quòd vxores non duxerint, cùm interim adurantur, scortentur, & præceptum Domini de matrimonio strenuè contempnant. Neq; suum cælibatum eò referunt, quòd Christus & Apostolus iusserunt: nempe, vt regnũ Dei promoueant. Si quidè literas sacras non discunt: non docent potulum verbũ Dei, neq; illum, vt videtur, vnquam sunt docturi, cùm citra nomen & titulũ ob omnĩ genere ministerij abhorreant: tantũ aliquando missant, atq; propter tam grande opus, dicunt neminem ex sacrificijs oportere esse cõiugatũ, quòd Christi corpus in missa conficiant. Nusquã verius quàm hĩc, licet imprudentes loquuntur. Nam in sua missa sacrifici rerè conficiunt corpus Christi, quod est Ecclesia: quam perdunt, lacerant, destruunt & euertũt, quod est eam conficere. Tantaque caligine iam tenentur obfuscata, vt se non putent, aut dicãt institutos ministros Ecclesiæ, vt pascãt, vt prædicent, vt doceant: sed tantũ ad corpus Christi conficiendum, & missandũ. Nam hĩc prostram & puppim totius religioe constituant. Postremo autem loco clamitant Ecclesiæ parendũ esse, quæ non potest errare, & à multis hinc annis ademit coniugia ministris. At sibi sumunt id,

quod simpliciter non est dandum : nimirum Ecclesiam nunquam errare posse. Tunc non errat, quum quæ decernit, ex verbo Dei statuit. Sed si aliter in synodis ab ea definiatur, quam habet scriptura Christi, oves talia non audiunt. Neque unquam accidit, Ecclesiam in vniuersum errare. Semper enim multi fuerunt pij & docti viri, qui traditionibus reclamauerunt, quas verbo Dei senserunt aduersari. Etenim in synodo Nicena, quum iam tentarent à matrimonij vsu arcere ministros, qui vxores habebant, restitit Paphnutius vir sanctissimus, & alioqui cælebs. Et quum eam legem demonstrasset iniustam, omnes denique patres in suam sententiam pertraxit. Videbat planè uir sanctus ex distractione coniugum à se inuicem secururam esse scortationem. Sed quod tunc diabolus obtinere non potuit, postea tamen euicit, & nuptiæ sunt ademptæ, cum ministris, tum etiam monachis, & virginibus Deo dicatis. Atque nulli ordinantur, nisi vxore, si eam habuerint, sese abdicarint : & ordinati qui fuerint in coniugio si ab vxorum vsu, quantumuis legitimo, non discesserint, à gradu sui ministerij deijciuntur. Quare illi non sunt audiendi, qui cõtendunt Paphnutij sententiam nequaquam esse contrariam decretis de cælibatu, quæ postea sunt inducta, quòd ille ueterit solùm dirimi ea matrimonia, quæ iam contracta erant : deinde fuisse tantùm prohibitum, ne contraherentur ab his qui ad munus ecclesiasticum essent allecti. His quippe respondemus, primùm, discrimen hoc tantùm non esse, ut Paphnutij sententia nõ stet à nostris partibus. Nam ex ea docetur Ecclesia, matrimonij statum eius generis non esse, ut cum sacro ministerio pugnet. Nam si hoc probari potuisset, ueritas fuisset preterenda.

renda persuasioni Paphnutij. Deinde ratio, quam adduxit, ne consequerentur scortationes, tâti est momenti, ut persuadeat his, qui sunt in eiusmodi periculo, ut ad matrimonium confugiant. Nam ut illi ob hoc malum vxores suas retinere debuerunt, ita, qui non habent, eas ducere poterunt, ne in idem malum incidant. Et deniq;, ut diximus, eò ventum est, ut suum gradum ministerij retinere non sinantur, qui proprijs vxoribus uti voluerint. Sed, ut redeamus, vnde sumus digressi, Ecclesiam dicimus vniuersam nunquam errare, in qua semper sancti & docti reperiuntur, qui decretis impijs non consentiunt: quamuis interdum, imò frequenter pauci sint, ac numero impiorum & obruantur, & vincantur. Eliæ tempore res in Israel adeò erant corruptæ, & quoad principes regni, & quoad sacerdotes, & eos qui prophetarum locos occupauerant, ut Elias iudicaret se vnum relictum esse, qui Deum verè coleret, cum tamen ultra septem milia superessent, ut Deus inuenit, qui non curuassent genua idôlis. Et Antichristus nonne à Domino & à Paulo demonstratus est adeò prouehendus, & potentia, & prodigijs futurus illustris, ut electi quoque, si fieri possit, sint seducendi, & rem eò peruenturam, ut filius hominis vix fidem sit inuenturus in terra? Et cum iam tempore Pauli cæperit mysterium iniquitatis operari, ut habetur ad Thessalonicenses, haud mirum est, si non solùm exactio votorum cælibatus, sed etiam quàm plurimæ aliæ superstitiones cæperint abhinc multis annis, imò ferè sub ipsis initijs in Ecclesia grassari. Quæ malis nisi falce verbi Dei amoueri, & repurgari non possunt. Quod oro Dominum nostrum Iesum Christum, ut beneficio spiritus eius quàm primùm

succedat, Amen. Patere iam satis existimo, quid in hac disputatione sit, quantum iudico ex diuinis scripturis, dicendum. Ex quibus demonstratum est, primum ad Christianos homines non pertinere ut uoueat. Quod licet in uniuersum ego intellexerim, & fortasse non omnes ita existimant, neque cum illis nimium pugnare statuerim. Attamen omnino de Votis illis tribus ubique apud Papistas celebratis, verissima esse que docui affirmo. Alterum, quod secundo loco probauimus, est: Eiusmodi Vota, si fuerint imprudenter edita, non esse rata, sed quem libet Christianum oportere credere se liberum esse, ut id expetat, quod magis ad suam salutem, honorem Dei, ac mandatorum eius obseruationem magis conducere animaduertent, quantumuis impij reclamant, & votorum leges importune obtendant. Tertio ac postremo loco manifestum reddidimus, neque ab Episcopis, neque a presertis Ecclesie talia vota debere vel extorqueri vel admitti, quando aut ordines sacri conferuntur, aut quis pre se tulerit, se velle aut virginem, aut celibem viuere. Nunc vero iuxta doctrinam ordinem quem auditoribus proposui, superesset ut aduersariorum dissoluerem cauillos, & obiecta. Sed quonia recitando, que mihi Smythæus opposuit, omnia ferè iam sunt & proposita, & soluta, ideo si nunc idem quoque tentarem, iuste possem videri actum agere. Quare si desisto, neque illam partem adijcio, lector nullam iacturam faciet: quem rogatum velim, ut que hactenus dicta sunt, boni consulat.

I .3. A

I. O B I E C T V M.

At laqueus non debet iniici hominibus, ait Paulus, sed per Votum iniicitur laqueus. Proinde continentia non est vouenda. Nusquam cauet Paulus ne laqueus iniiciatur, sed prima Corinthiorum septimo, Porro hoc ad vtilitatem

tilitatē uestram dico, non ut uobis laqueum iniiciā, sed ad id quod honestum est, & facultatem præbeat sine impedimento Dominū obsecrandi. Sensus uerò Pauli est, ipsum nolle iniicere laqueum, hoc est necessitatē continentię aut cęlibatũ his, quos hortatur, atq; inuitat ad cęlibatũ & ad perpetuam cōtinentiam. Quid enim hoc esset aliud, quàm præcipere cęlibatum, & arcere homines à remedio, ut illaqueentur infirmi & ad Venerē propensi. &c. Et mox: iam quis cogit quenquam uirginitatem, aut continentiam seruare, nisi is sponte eam prius uouerit Deo, qui exigit illius redditionem? Hoccine est laqueum, ut interpretaris indoctè & impiè homini iniicere, cauere ne ineat connubium, postquam se Voto astrinxerit, & ex re licita sibi fecerit illicitam? Nōne laqueum sibi potius iniicit, quisquis Votum rescindit? Qua de re audi Salomonem in hæc uerba erumpentem: Laqueus fortis est uiro aliquid de suis sanctificare, & posteaquam uouerit, poenitere. & mox: Te non putet astruere laqueum homini Voto alligato iniici, cum arceatur à nuptijs, ac cogitur esse cęlebs.

DEFENSIO

Cum ratio adducta sit efficacissima, conatur Smytheus uarijs modis elabi, si possit. Verum quò plura tentat, nodum arctius neclit. Principiò dicit Paulum nusquam prohibuisse cuiquam iniici laqueum. Neque uidet, in allato argumento non assumi à Paulo id præcipi, sed proponi sanctum eius morem, piamq; modestiam imitandam pastoribus & Episcopis nostri temporis in regenda Ecclesia dicat, si audet, Paulum non esse imitandum. Quòd si nefas est affirmare, cum ipse à nullo statu hominum cęlibatus, aut uirginitatis Votum requisierit cur nostri tanta instantia id exigunt, ab his, quos ordinant? & nisi præstetur, quenquam non ordinant? Ad hæc in lege diuina hoc mandatum conti-

neri, quis non intelligat, quando quidem proximorum salutem iuuare debemus, nõ impedire? Qui uerò laqueos iniiciunt, bene multos auertunt à salute consequenda. Quare merito & iure Dei legem uiolare dicentur. Liquet igitur non esse laqueum iniiciendum, ex diuina lege colligi. Colligi autem? Imò passim in Psalmis, & in Prophetis disertis uerbis reprehenduntur impij, quòd simplicibus, & sanctis hominibus retia & laqueos tendant. Deinde quod maximè optabam, ultrò dat laqueum à Paulo pro necessitate, atque præcepto sumi: & illum fatetur noluisse iniicere laqueum, ne uideretur præcipere calibatam, & arcere homines à remedio, ut illaqueentur infirmi. His quæ dedit probè animaduersis, facile quantumuis hebes intelligit, ut isti peccent, qui uota huiusmodi extorquent: quando quidem illi necessitè imponunt clericis, monachis, et sanctimonialib. ut à nuptijs abstineant, eosque à remedio sæpè necessario arcant: quod est, ut Smythæus fatetur, laqueum iniicere. Paulus autem id facere noluit, & lex non patitur, ut quisquam ita salutem proximi impediatur. Qua itaque audacia id modò in consuetudinem abiit? Sed acutus homo sibi uidetur inuenisse rationem, qua præsides Ecclesiarum tueatur, cum ait, nullus eorum cogere quempiam ad uirginitatem seruandam, nisi prius ipse sponte sua uouerit. At ista dicendo, nihil dicit: quia quod ego conqueror, est, nostros Episcopos hodie in papatu nolle admittere ad Ecclesiæ ministerium ullos, qui prius non uouerint, & se ad id existiment cogi, ut calibatam seruent. Quis adhortabitur aliquem impunè uel absq; culpa ut seipsum suspendat, aut se in ardentè flammam coniciat, quasi postea se ualeat excusare, quòd non ipse illum aut suspenderit, aut in ignem coniecerit, cum is potius hæc per

hæc per se ipsum, quamuis illius hortatu admisit?
 Cū impij sacerdotes persuasissent filijs, subtracta debita
 alimonia parentibus, quæ in eis sustentandis fuisset im-
 pendenda, templo ea consecrarent: Christus huiusmodi
 transgressiones non ipsis filijs, qui tamen crimine haud
 caruerunt, ascripsit: uerùm sacerdotes ipsos qui fue-
 rant huius mali caput, acerrimè castigauit. Ita equi-
 dem licet istos, qui uouent accusandos esse arbitrer, at-
 tamen citra hesitationem affirmo contra Episcopos
 Romanos, & alios authores istarum legum, iniuria-
 rum agendum esse, quod laqueum infirmis iniecerint,
 ne postea aditum haberent ad matrimonij remedium,
 ne eo senserint sibi opus esse. Nam si legitimas inie-
 rint nuptias, decreuerunt cleri, siue Christianæ Eccle-
 siæ, hi noui Phalarides, ut ignominia notentur, à suis
 deiciantur ministerijs, & ad extremum ignibus cre-
 mentur, quo magno cruciatu, uitam finiant. Quis ne-
 gare poterit, hoc esse laqueum iniicere infirmis? & li-
 bertatem Christianam labefactare? Porro nullus, ni-
 si animum iuxta atque Smythæus, & plumbeum, & im-
 pudentem habuerit. Adducit locum ex uigesimo capi-
 te Prouerbiorum, Laqueus fortis est uiro, cito aliquid
 de suis sanctificare, & posteaquam uouerit pœnitere.
 Quem locum apud Latinos uulgata receptaque trans-
 latio sic habet. Ruina est homini deuotare sanctos, &
 post uota retractare. Hebraicè uerò est.

מוקד אדם ילע קדש ואחר בדרים לבקר.
 Munsterus ita reddidit, Offendiculum est homini, qui de-
 uorat rem Deo sanctificatam, & post uotum quaerit
 reddi liber. Septuaginta uerò interpretes,
 τὰς ἀνδρῶν τὰ χυτὶ τῶν ἰδίων ἀγιῶσαι, μετὰ γὰρ
 ἐν ἑαυτοῖς μετανοεῖν γίνονται. Quod est, Laqueus uerò

celeriter quippiam propriorum sanctificare, quia postquam uotum fuerit editum poenitere contingit. Possentque alia de hac sententia referre, sed quia lectorem constitui aut onerare superfluis ideo concessio uerborum sensu, quem Smythæus citauit, qui discessisse uidetur in sententiâ septuaginta interpretū, nō q. ipse hoc animaduertit, sed q. expositio Cyrilli, in quā incidit fortè fortuna illum eò deduxit: is enim quum Græcus homo esset, græcam editionem, non latinam, neque hebraicam est secutus, eo tamen, ut dixi, concessio, nihil contra me agitur, imò pro nostra parte locus iste fortiter pugnat. Si enim Salomon docet in uouendo, quando tempore legis id facere licuit, cauendum esse laqueū, ne facile se homines ad ea obstringerēt, quæ postea detrectarent præstare, quia nunc faciendum est Euangelij tempore, sub quo uota, ut demonstrari, minimè conueniunt? Nonne magis uotorū ibi cauendi sunt laquei. Ab initio itaque, dum iste hunc locum ad duceret, duo considerare debuit. Primum, quod quum hoc in Veteri Testamento scribatur, ad nostra uota comprobanda non facit. Alterum, quod laqueum iudicet esse cauendum, quem ego nostro tempore tollendum contendo. Laqueus tunc erat, facile, citò, inconsideratè, seu temerè uouere. Vnde Rabbinii uotum noluerunt esse ratum, nisi ore ac disertis uerbis pronuntiaretur: quod nimis leues facilesque sint cogitationes animi, quum tamen eo tempore, quæ uoto nuncupabantur, non essent perpetua, sed temporaria, ut uictimæ oblationes, obseruatio Nazaræorum ad aliquot annos. Nunc uerò iuste laqueum dicimus, uouere certum genus uitæ, præsertim quod non sit in nostra potestate, idque ita polliceri, ut perpetuò sit retinendum. Vnde qui talia extorquet, ac certis hominum generibus, euadere non potest,

quum

quin laqueum illis miseris iniiciat, quod Paulus manifestissime testatus est, se nolle facere. Atque dum nostri talia uota ministris obtrudunt, monachis, & sanctimonialibus non animaduertunt se in Euangelio facere, quod nusquam inter Iudaeos antiquitus, ut fieret, licet onere Legis premerentur, à Deo concessum est. Non enim ab illo genere hominum extorquebatur, ut uouerent, quamuis usus uotorum tum temporis frequens fuerit. At nostri ecclesiam ruere potius uolunt pati, quam ministros absque uoto calibatus admittere. Interim tamen feruenter negant, se cuiquam iniicere laqueum.

II. O B I E C T V M.

Porro tu sic colligis contra uota, qui uoto existis alligatus, eiusque uiolati reus: Ille non debet aliquam legem condere, qui potestatem, & facultatem implendi eam nequit suppeditare. At Episcopi, & Ecclesiae proceres, non possunt cuiquam dare facultatem implendi calibatus legem: non debent itaque de eo ferre legem. Facilis est responsio. Nam tu ipse uouens adimis tibi nuptias ineundi libertatem. Et Deus ipse fert legem, ut quod semel uoueris, praestes, inquieris, uouete, & reddite Domino Deo uestro. Nam hic lege perstringeris ad persoluendum, quod uoueris, & Deus illius legis auctor potest, et uult, nisi tu tibi defueris uim ac facultatem eam implendi elargiri. Quod uero Episcopi legem de calibatu tulerunt, id fecerunt, ut metu supplicij adigantur uotarij ad standum promissis, & ad praestandum uota sua, quorum Deus exigit in Lege sua impletionem. Non quod alias ibi obligati non essent ad persoluendum quod uouerunt, nisi episcopi legem edidissent eiusmodi. & mox: At quanta est haec, Petre, tua inscitia? quanta caecitientia? Quis enim uelit ideo astruere proceribus Ecclesiae, propterea non licere Legem ferre de seruando calibatu, post nuncupatum de illo uotum, quod illi nequeant suppeditare uim & copiam implendi eiusmodi

Ks

di sanctionem? Quin haud secus colligat, fas non esse regibus, & præcellentioribus magistratibus civilibus leges condere, quandoquidem nec illi possunt nobis suppeditare facultatem seruandi eas semel ab eis latas: Quod aduersatur Paulo ad Romanos tertio decimo, astruenti nos debere morem gerere illis, non ob iram solum, id est, ne mulctemur, aut plectamur ab eis, sed etiam propter conscientiam, hoc est, ut illa non laedatur, nõsue excruciet ob admissum scelus. Deinde Salomon sic habet, per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Nonne Apostoli sanxerunt Legem, ut Gentes abstinerent ab esu idolothycorum, à sanguine, suffocato, & scortatione, quum tamen hi nequiuissent dare facultatem implendi Legem eam? Quis inficiabitur Paulum Leges tulisse, quum aliàs, tum prima Corinthiorum capite undecimo, cum nec illi licuerit impartiri uim aut potestatem eas seruandi? Suffundi itaque rubore debes Petre, quòd tam indoctè contra uota sis ratiocinatus.

D E F E N S I O.

Quum lector audit Legem à nullo ferendam, qui dare non possit facultatem illam implendi, duo per sese agnoscat ascribenda. Vnum, si homines non habeant per naturam potestatem huiusmodi sibi collatam. Alterum, hæc de hominibus esse dicta: si quidem non potest cuiquam sano in mentem uenire, ista de Legge à Deo data esse accipienda, quum Deus arbitratu suo queat hominibus uim concedere, ut nihil peccent, & nullum de suis mandatis transgrediantur, quanquam hætenus id non fecerit, neque ulli tribuerit, nisi Christo, quem unum semper exceptum uelim, quum hac de re quicquam protulero. Neque ulla extat promissio, quòd tanta copia gratiæ cuiquam sit concedenda. Omnes quippe sumus edocti, ut oremus, Remittas nobis debita nostra. Itaque quum dictum de Deo non intelligam, nihil ad me attinet, quicquid Smythæus obijciat de Paulo, qui leges

ges tulerit: præsertim ad Corinthios epistola priore capite undecimo: Quia quum illas leges non minus à Deo latas esse iudicemus, quàm per Moysen Iudaica, malè isti cadit, quod mihi allatrat per hoc legum genus.

Quòd autem annotaui primo loco, liberat magistratus ab hac regula. Nam illi quum leges ferant de rebus externis, iustè suas leges, quæ conducant ad pacem publicam, ferre possunt, ut de uectigalibus, de annona inferenda, seu exportanda, de monetis, contractibus, & sexcentis huiusmodi, quæ potestatem uoluntatis, aut quemadmodum aiunt, liberi arbitrij non superant. At cælibatus quum requiratur à Deo, mundus, purus, & impollutus, qui ab his non præstatur, qui aduruntur, & subinde labuntur, non debet cum his conferri, quæ ad ciuiles, & ut loquuntur, morales actiones pertinent. Vnde apparet leges latas à Paulo, & cæteris Apostolis, quæ colliguntur à sacris literis, me non aspernari, quum sint spiritus sancti leges, neque præscribere magistratibus ciuilibus, ut suas leges non ferant, quæ tamen ad cælibatum usque se non extendant. Quia neq; Paulus erga filiam potestatem huiusmodi concessit parenti: ut qui non permittebat illum seruare filiam uirginem, si necessitas urgeat, eisi potestatem uoluntatis eius non habeat. Quæ tamen duo si accesserint, non, inquit, ad uotum illam adigat, sed eam seruare poterit. Semper eò spectauit Apostolus, ut quoad cælibatum liberi seruarentur homines. Quòd si neque parentibus conceditur hæc potestas adigendi ad uota, neq; magistratibus, neque proceribus Ecclesiæ dabitur. Huc deinde accedit, quòd absq; matrimonio esse, quandoque posset mandato Dei aduersari, nulli autem potestati creatæ licet aliquã legè ferre, quæ diuinis mandatis repugnet. Ut enim uerum semper astipulatur uero, ita iustū, cum in

sto semper oportet consentire. Proinde friuola sunt, quæ de legibus Pauli & Apostolorum, quæq; de legib. magistratum Smyth. admodum sophisticè cauillatur. Quod eripsum uidisse non dubito, ideo alia utitur strophæ ad hanc meam firmam, solidâq; rationem corrumpendam. Deus inquit, non episcopi huius legis fuerunt authores. Ipse enim est, qui dixit, uouete, & reddite. Deinde episcopi, postquam uotarij, ut eius uoce utar, se obstrinxerint, leges de celibatu condiderunt. Non quod antea illi non essent obstricti ad præstandum quod uouerāt, sed ut metus incuteretur, quouere redderent diligentius, quod uoto nunc cupassent. Siquis attendat his, quæ modò afferuntur, istum semper à scopo & statu præsentis quæstionis animaduertet aberrare. Non enim in præsentia genitur, & deploratur tyrannis, qua exigunt Episcopi, qui pertinent ad Romanam cohortem, ut uota iam edita seruentur, quando quidem de hac uolentia, & iniustitia superius in altera parte huius disputationis conquesti sumus. Verum contra illud impium decretum nunc dicimus, quo statuerunt sacris ordinib. adiunctum esse uotum celibatus, nec unquam patrum tur non uouentes aut reclamantes iniuriari. Quæ eadem auctoritas uolunt præfecti monasteriorum, & abbates, ut sui monachi uoucant. Alioqui in monasterijs eos non ferunt Idemq; facere cogunt sanctimoniales. Queritur itaq; hinc q; his generib. hominum uota huiusmodi obrudantur, cum ea Christus ab Apostolis non exegerit, et absq; illis Apostoli sua tēpestate ministros ordinauerint. Quæ igitur potestate ecclesiastici tyrani sacrum munus concessum ad aedificationem potuerunt onerare superstitiosa uouendi necessitate? Adhæc non respondet Smyt. licet meam rationem suscepit cōsuetandā. Alibi causatus est, sacro ministerio maxime conuenire celibatū, & matrimoniū parum decere.

Sed ibi quoque ut cadat causa, inferius, Deo fauente audimus. Vñ tamē obliuisci nolim, quod hoc loco deblaterat Deum nēpe authorem Legis uoti reddēdi, et posse, & uel le suppeditare uires ad cēlibatū pręstādū. Quod ut ei cōcedamus, diuinis uerbis debebat ostēdere. At id nūq̄ faciet cū in sancta scriptura nuspiā habeatur cēlibatū esse uouēdū, neq; itidē uelle Deū omnib. uires cōcedere ad perseuerādū castē absq; nuptijs. Quapropter cū hæc duo non sint demonstrata, par est, ut desinat tandem suis figmentis ueritati obstrepere.

III. O B I E C T V M.

Friuolus prorsus est, ut enerue, q̄ ais uxorem & liberos plurimum facere ad cōcedam hospitalitatē, ad quā exercitandā Episcopi, & Prębyteri obligantur, ut i. ad Timoth. 3. Non enim omnia, quæ huc conducunt, sunt licita. Cur furari hoc nomine, aut scortū aliquod nutrire non liceret. Dic, si potes, cū hinc non nihil adiuuētū dimanaret, quō exerceatur hospitalitas.

R. 6.

D E F E N S I O.

Quamquam ego etiam hospitalitatis mentionē fecerim quādo cōmoda recēsi, quib. matrimonij resarciuntur molestiæ, attamē iste hoc solū apprehendit, cæteris omnibus præteritis. Quoniā de industria nō solū uera deprauat, sed etiā integra & perfecta, quātū potest, mutilat. Quod licet summo studio firmē ubiq; faciat, nō tamen eius causa, uel pilo redditur melior. Duo quæ mihi sumpsisti uera esse, negare non potuit, ab episcopis & pastoribus requiri, ut sint hospitales, quoniā id Apostoli Pauli testimonio conuincitur, & ad hanc humanitatē exhibendam bonarum uxorū curam & diligentiam plurimū cōducere. Istud expugnare nō potuit, uideamus, quid tādē sophistæ magnificus aduersus nos asserat. Cur, inquit, furari hoc nomine, aut scortum alere non liceat? Et quasi captio-nem hanc euadere omniū nemo possit, adiecit, dic si po-

tes. Hec dicit perinde, quasi non omnes uideant, & furari et adhaerescere ad scorta (ut sui faciunt) et graue peccatum esse, & ea lege diuina prohiberi. Demonstrat autem ipse nobis uicissim, diuina lege interdictum esse, ne minister Ecclesiae fiat maritus: atq; tunc exempla sua ad praesentem causam, ut uoluerit, applicet. Sed ille ut est egregius peccator principij, semper hoc sibi sumit, ministerio sacro additos enormiter peccare, si uxorem duxerint. Quod cum nunquam ab eo probatum sit, quicquid tali principio assuat, ruinoso fundamento nititur. Nolim praeterea, ut lectorem lateat, quomodo iste semper a statu controuersiae deflectat, quod in hoc tertio articulo agitur. Probare nos annitimur, id male factum ab Episcopo bullarum, & eius creaturis, ut decerneretur, ne ministri ecclesiae fierent qui caelibes esse noluerint. Hoc tollendum esse modo contenditur, uotumq; huiusmodi ab ordinatione ministrorum disiungendum. At iste quasi non audiat, semper afferit peccatum esse huic hominum generi si matrimonio iungatur, quia uouerunt. Quod & ut demonstrauius falsum est, & etiam si daretur, ad id, quod modo agitur minime pertinet. Ille contendit obligationi iam contractae standum nos affirmamus, & ostendimus cum rationibus scripturarum obligationes huius generis non esse interponendas.

D. 6.

III. O B I E C T V M.

Illud Pauli est istis ueluti anchora, ut uulgò dici solent, totus domus, ut cui inuitantur, cuiusq; fiducia maxime fulciuntur, quod is habet primo ad Timotheum tertio his uerbis. Oportet Episcopum esse unius uxoris uirum. Nam hunc locum accipiunt, perinde ac si creari Episcopus, aut sacerdos nequeat quisq; nisi fuerit maritus unius uxoris, ut existimat scioli & indoctissimi adulescetes, clero praecipuas esse hoc loco nuptias, cum illud sit commentum uanissimum, quemadmodum statim patet scet omnibus, non proflus caecis & stupidis, qui rectè ac suo ipsorum merito dicatur lolo ueritare. Et mox. Quam

Quamobrem paucis dispiciamus, quisnã sit loci huius
 natus ac genuinus sensus, iuxta antiquorum & ma-
 ximè idoneorum scriptorum interpretationem, &c.
 Postquam autem commemorauit prolixas interpretũ
 sententias, ita concludit: Liqueat itaq; Apostolum nihil
 minus sensisse hoc, quem differimus loco, quàm præscri-
 bere ut non eligantur in episcopos nisi mariti, nec epi-
 scopis aut sacerdotib. permittere uxores ducere, sed ca-
 uere ne quis digamus creetur episcopus aut sacerdos,
 &c. Et mox: Nemo est qui non libenter dabit nostris
 aduersarijs temporibus Pauli ex laicis coniugatis, qui
 uirgines duxerant, nec gemino connubio fuerant copu-
 lati admissos fuisse, & subuectos ad sacerdotij ordinem
 sed non ita bigamos, aut qui prius sacris erãt initiati or-
 dinibus, permisos fuisse uxores ducere, simulque sacer-
 dotali fungi officio. Et mox: Ad Timotheum & Titũ
 nihil prorsus differit de presbyteris & sacris initiatis,
 sed tantũ exprimit quales sint eligendi episcopi pres-
 byteri, ac diaconi. Ut bigami non eligantur, sed aut celi-
 bes, aut unius uxoris mariti, ut supra abundè declarau-
 mus. Quid hoc ad persuadendum, licere his qui iam sunt
 episcopi, presbyteri, diaconi uxores ducere? Estne idẽ
 dicere, eligatur in Episcopum, sacerdotem, uel diaco-
 num, qui unius fuerit uxoris maritus, nõ item plurium,
 & ducat uir uxorem unam, qui iam creatus est episco-
 pus, presbyter, aut diaconus? Canones Apostolorũ præ-
 cipiunt, ne qui iam est episcopus presbyter, aut diaco-
 nus uxorem ducat. Paulus cauet ne is qui plures duxe-
 rit, eligatur & ordinetur, quemadmodum supra fufius
 declarauimus. Nõne ergo meritò puidisset te, Petre,
 illos repudiare Canones? causaris eos aduersari Apосто-
 lo, cum nihil minus faciãt. Exorbitas rursus Petre, cum
 ais, Paulum uelle prima ad Timoth. 3. & ad Titum 1. in-
 quientem: Oportet episcopũ esse unius uxoris uirũ, ut
 presbyteri ducant uxores & de coniugio eorũ ferre le-
 gẽ. Nã quo modo uult ibidẽ Paulus ut presbyteri ducãt
 uxores, cum 1. Corinthiorum 7. uelle se dicat omnes si-
 cut se ipsum, id est, uirgines, interprete Hieronymo con-
 tra Heluidiũ. Et toties hortatur ac inuitat ad cælibatũ.
 Nũquid ex uno eius ore frigidũ & calidum? Deinde qui
 feret quæso ut 1. ad Timot. 3. Ferret legem de sacerdo-
 tum connubio, ut tu asseris, cum tantũ admoneat Ti-

motheum quoniam & cuiusmodi inauguraretur episcopi, presbyteri & diaconi? nulla interim penitus inculcata de his qui antea erant episcopi, presbyteri vel diaconi mentione? Nec minus erras quando ais uelle Paulum, cum dicit, Volo iuniores uiduas nubere, ut adolescentulae uiduae nubant, nihil obstante uoto edito, & ideo tollenda esse uota iuniorum sacerdotum, quia non est sermo illi ibidem, ut supra declaratum est, de illis uiduis, quae uouerunt, & uotum soluerunt, sed de similibus alijs. Nec id simpliciter uoluit, sed illud sarius esse iudicauit, quam aut post nuncupata uota resiliire, aut stuprum committere.

D E F E N S I O.

Si nostra nauis anchora uerbi Dei, ut quae firmissima est, innitatur, minime fluctuabit: ueluti, qui mandatis & traditionibus hominum innituntur, semper iactantur superstitionum tempestatibus. Ideo, quod sententiam nostram de honesto ministrorum coniugio, fulciamus uerbis Apostoli ad Timotheum & ad Titum, prudentiae uerti debet, non uitio. Ut autem id iure meritoque fiat, uideri lector facile poterit, modo intelligat, nos minime ita colligere, ut Smythaeus fingit. Equidem nunquam istum locum sic accepi, quasi Paulus ibi praecipiat omnes episcopos, omnesque ministros Ecclesiae, maritos esse oportere, perinde quasi eis aliter esse non liceat. Omnes meos auditores, qui aderant, uoco testes: & assertio mea liquido aperit, quidnam senserim. Alibi extant de matrimonio praecipua, ut alias retuli. Primum quidem illis est dicenda uxor, qui se non sentiunt ad calibatam uocatos, neque uident se in Ecclesia operae pretium facturos, aut regnum Dei magis promoturos, si caelibes manserint. Quoniam hi communi legi subiacent, Non est bonum hominem esse solū, crescite atque multiplicamini. Ab hac lege

lege nemo per Christum est exceptus, nisi datum ei fuerit, ut aliquam singularem uocationem manifestè sentiat sibi sequendam. Ea uerò, cum non sit omnium, qui extra illam se deprehendit, legi communi subiaceat oportet. Illis præterea mandatur connubium, qui aduertuntur, qui que non continent. Neque ullus ab hac lege in scripturis inuenitur usquam exceptus. Quare cuiuscumque sit ordinis, episcopus, presbyter, aut diaconus, illi subiacet. Ex his fontibus & consimilibus matrimonij præcepta colliguntur à nobis: non, ut iste fabulatur, ex uerbis ad Timotheum, & ad Titum: quæ tamen haud frustra seu inutiliter citamus. Dicunt enim pro nobis testimonium contra eos, qui arbitrantur, coniugium cum sacro ministerio non posse conuenire. Apostolus episcopum maritum admittit: uos nuptias procul à ministris omnino esse uultis. Paulus dat episcopum esse posse maritum: uos id non patimini, & maritos hodie ordinare non uultis, nisi ab uxore decreuerint abstinere. Audis in quem finem Pauli locum citemus? Nonne dabis conditiones, quas Paulus requirit in Episcopo ordinando, etiam ab eo, cū ordinatus fuerit, iuste posse retineri? Qui legitur, debet esse sobrius, neque uino deditus. Idem nonne licebit postquam fuerit episcopus? Eum ante à oportet non esse percussorem: in eo certè perseuerabit etiam factus episcopus. Hospitalis legitur: nonne item manebit hospitalis? Et cum de omnibus illis conditionibus ita dicendum uideas, quid uos illum, cum ordinatur adigitis, ne amplius sit maritus. Et illud, unius uxoris, non, quemadmodum tu interpretaris, interpretandum censo, quasi priori uxore defuncta, alteram ei legitime ducere non liceat. Quippè secundas nuptias in nullo Christianorum ordine damno, licet Patres quandoque

Episcopus
uxori prio
ri defuncta
potest alte
rà ducere.

uideam à secundis nuptijs episcopum prohibere: Cum ta-
 men Paulus illis uerbis tria alia possit intelligi uelasse.
 Vnum est, ne episcopus uxores plures eodem tempore
 habeat, quem admodum multis Hebræis licuit: qui si ad
 Christianismum fuissent conuersi, ut tunc sæpè fiebat, ob
 multitudinem uxorū non eligebantur episcopi. Atque
 huius expositionis Chrysostomus meminit, ne me confin-
 xisse illā putes: & ita meminit, ut non improbet. Idq; di-
 fertè fatetur, adeò nuptias esse honorabiles, ut cum illis
 ad sanctum episcopatus thronum licuerit assumi, quod
 uos non permittitis. Altera interpretatio est, ut ab epi-
 scoporū ordine arceantur, qui diuortio dato priori u-
 xori, quod apud Hebræos, et apud Ethnicos leuissimis de
 causis fiebat, alteram superinduxerint. Tales enim non
 poterant eligi: Et rationem adfert Chrysostomus, quo-
 niam uisus est eam uxorem, quæ discessit, abijtq; parua
 prosequi charitate, qui sic ab illa uoluerit separari. Et
 Græcè Chrysostomus habet *ὁτι ἐκ θούρου*, quod malè ali-
 qui interpretantur, mortuæ. Tertio loco his additur &
 alia non contemnenda expositio, quòd episcopum deli-
 gendum ob pudicitiam castitatemq; bene audire oport-
 teat, ita, ut, si fuit maritus, unius uxoris suæ fuerit, neq;
 cum alijs mulieribus per scortationes, uel adulteria com-
 mixtus, uerum sua contentus uxore uixerit. Has tu in-
 terpretationes è scripturæ uerbis oppugna, si potes. Nil
 aliud certò scio in medium poterit adducere, quàm Pa-
 tres: qui ut in hoc rectè senserint, alij uideant. Certè dicitur
 rum interpretationum, quas primo loco retuli, Chryso-
 stomum habeo authorem, Quod etiamsi non esset, ad-
 huc eas proferre auderem, quoniam dum in ipsa conten-
 tione de dogmate sumus, non oportet iactare, aut uelise
 vari Patres, Patres, nisi quantum illi ex scripturis lo-
 quuntur.

Chrysoft.

quantur. Sed unū adhuc restare uideo, quod ex his Pauli uerbis à quouis pio debet colligi. Si Paulus episcopum maritum esse patitur, quid eius refert, antequam, an postea duxerit uxorem quam episcopus fuerit constitutus? Equidem non uideo, cur sit maior culpa uxorem postea ducere, quam retinere ac uti ea, quam prius habueris. Nam quicquid isti affingunt immunditie matrimonio, licet falso, & graui cum eius iniuria, totum id situm esset in reddenda beneuolentia debita. Quæ res, cum à Deo præcipiatur, et munda est, & pura. Quippe Deus culpam seu peccatum nusquam iubet. Proinde cum episcopo concedatur, etiam dum in suo est ordine, uti matrimonio, quid per uerbum Dei potest obtendi, quò non liceat eidem matrimonium contrahere? Si enim per legem concedatur alicui fundo uel prædio uti, certè nisi diserte caueatur noua emptio, nullus non dicet eidem licere fundum & prædium emere. Vnde sic urgebo Sophistas. In ordine sacro concedit scriptura diuina ministris usum connubij, & nusquam prohibuit, ne uxores ducerent, igitur id eis per diuinas literas licebit. Quin & ipsi Canonistæ inficiari hoc non audent, ex Ecclesiastica lege, quam positiuam appellant, dimanasse, quicquid hic est prohibitionis. Et deniq; Smythæus, quanquam aduèrso est sero, tamen concedit Pauli tempestate licuisse maritos ad episcopatum assumi: quod si intelligat, modo relinquerent uxorum usum, quid noui nobis concedit? Quid eum oportet Pauli tempora commemorare, cum hodie quoque id usu ueniat, & absque ulla contradictione permittatur? Sin uerò intelligat, ut par est, Ecclesiæ ministros tum temporis habuisse uxorum suarum usum, iam superest humana traditione contrarium postea fuisse inductum. Quod cum in perniciem & Ecclesiæ,

et animarū uergat, ac uerbo Dei apertè repugnet, à no-
 bis meritò taxatur & reprehenditur. Neque dissimilia
 sum, que Smythæus adeò fingit distare, nimirū illū, qui
 eligitur episcopus, habere posse uxorem, & si non ha-
 buerit, licere illi eam ducere. Cū, sicuti demonstrauimus
 tanta sit inter ista cōnexio, ut qui habere potest, ei ducere
 quoq; liceat. Nuptiæ si quidem quando superueniunt,
 nil immunditiæ afferre possunt. Ob Canones Apostolorū
 grauissimè tumultuatur, & me uehementer accusat, &
 eos publicè docendo, ut Apostolorū Canones recipere no-
 luerim. Sed uelim mihi dicat, an ipse illos recipiat. Fortè,
 ut est incogitans, respondebit, Maximè. At in capite no-
 no ibi præcipitur, ut episcopus, & quilibet ex sacerdoti-
 tali catalogo, qui astat administrationi sacrorū mysterio-
 rum, si non communicauerit, uel dicat causam, uel ex cō-
 municetur. Certè si aduiserit hanc legem, nullies erit ip-
 se excommunicatus, cū frequētissimè ad sit suæ missæ ido-
 lolatriæ, & neq; cōmunicet, neq; rationabilem cau-
 sam dicat, cur absteat à cōmunionē. In 10. capite item
 ibi mandatur, ut omnes fideles, qui Ecclesiam ingrediuntur,
 scripturas audiant, perseuerēt in ratione cū alijs, &
 comunicent, alioquin cōmunionē priuentur. Dicat
 iste, an ecclesiæ suæ Papislicæ canonem hunc hodie sal-
 uum uelint, nedū recipiant. Canone sexto mandatur ne
 quis episcopus, aut presbyter, uxorem propriam præ-
 textu religionis abiiciat: & si abiecerit, ut ex cōmuni-
 cetur, demumq; si perseuerauerit, ut deiciatur. Locis
 iste nōnne satis reuincit, eos, qui uocabantur ad Episco-
 patum potuisse licitè suarū uxorum consortium retine-
 re? Atq; hinc rursus patet matrimonium non adeò (ut isti
 stratum est ex Paulo, ideòque ad confirmandum id non
 opus

opus est his apocryphis canonibus. Verum adhuc progredi-
 amur ulterius, uideamusq; num isti canones usq; adeo
 Smythæo placeant. Capite 38. habetur, ut Concilia epi-
 scoporum bis in anno celebrentur, tempore nimirum Pen-
 tecostes, & Octobri mense, Hic scire uelim, an ecclesia
 papistica recipiat istum Canonem. Non recipit curara sint
 in ea episcoporum concilia. Væ Gregorio Nazianzeno si
 uerus esset iste canon, qui non tantum subterfugiebat Con-
 cilium episcoporum, sed scribere ausus est, ut habetur in
 quadam eius epistola, se fere nullum unquam uidisse bo-
 num exitum episcopaliu Conciliorum. Canones profecto
 isti si ab Apostolis, ut iste uellet me credere, fuissent con-
 scripti, non minus in censu diuinarum literarum habendi
 essent, atq; Apostolorum epistolæ. Quid enim privilegium
 magis assignari posset epistolis, quam canonibus, si Apo-
 stoli fuissent authores ex æquo, utriusq; generis scriptu-
 ræ? At quis unquam catalogo scripturarum istos Canones
 annuerat? Verum adhuc id libet addere, quod in 8. ca-
 none scribitur: Si quis episcopus, aut presbyter, aut dia-
 conus sanctum Paschæ diem ante uernale æquinoctium
 cum Iudæis celebrauerit, abijciatur. Iste canon si ab Apo-
 stolis fuisset conditus, quis locus relinqui potuit conten-
 tioni, quæ tempore Victoris, Polycratis, & Irenæi con-
 tigit? Ephesini more Iudæorum pascha celebrabant, pro-
 ducentes Ioannis Apostoli traditionem. Romani secus, ita
 stabantq; Petri sui Apostoli uetus institutum. Sanè Apo-
 stolorum Canones hanc de lana caprina questionem iam
 desinierat, si nati fuissent. Per multa quoq; in eis alia pos-
 sem indicare quibus conuinceretur, tam fuisse ista decre-
 ta ab Apostolis edita, quam Smythæum esse uerum si-
 delem, & constantem theologum. Proinde mihi desinat
 posthac tam futili de causa obstrepere: neque me repete

re cogat, quæ ipsemet nolit admittere. Ut autem uerum sit, me dixisse hoc loco, Apostolum ferre legem, quæ episcopis liceat uxorem ducere, iam audiuitis, & ex his, quæ attuli, confutatum est. Potuit quidem Smythæus id ex me audire, Paulum hîc tulisse legem de conditionibus ad episcopum requisitis: inter quas illam recensuit, ut sit unius uxoris uir: ex qua robustè conficitur, ut iam sæpius dixi, matrimonium cum sacro ministerio non pugnare, sed cum illo pulchrè consentire. Lex uerò, quæ iubentur uxores ducere, cum opus habuerint, aliunde, ut paulò superius notauimus, accipitur. Nec tamè ratio, quam adducis, uerè confirmat, non potuisse Paulum de coniugio ineundo legem ullam ferre, quòd ad Corinthios dixerit, se uelle omnes homines esse sicut se, quod Hieronymus, ut ais, interpretatur, uirgines. Paralogismus enim hîc admittitur ignorationis elenchi. Quod enim adducis nil aduersum me facit. Ex eo enim quòd ait Apostolus, Volo omnes esse, sicut ego sum, tantum elicitur, cum uehementer desiderasse, ut omnes coniugio carerent. Sed quia hoc intelligitur cum exceptione, si fieri possit, ut declarant quæ sequuntur, ideo cū hoc sit omnibus impossibile, nihil obstat, quo minus legem ferre possit de coniugio, ut incontinentes, & qui aduruntur illud ineant. Voluisset quidem omnes aut uirgines, aut calibes & nihilominus præcipiebat, ut mutuam inuicem beneuolentiam redderent. Et si formam loquendi sectari uelis, ab illo audis ad Timotheum, Volo iuniores uiduas nubere: & ad Corinthios, Volo uos omnes loqui lingua: quæ non dubitamus intelligenda, si detur, & si opus fuerit. Neque nunc ad propositum facit, quicquid iste de iunioribus uiduis cauillatur: quia negare non potest, illas ibi à uoto absterreri, cum subdatur causa, quòd labantur,

tur, & in ualdè absurda ac detestabilia incidant. Vt uero Hieronymus nunc in exponenda illa sententia Pauli, Volo omnes esse sicut meipsum, sibi sumat, illum fuisse uirginem, alijs iudicandum relinquam. Equidem nisi ex scripturis mihi aliter probatum fuerit, non facildè daboꝝ quamuis, ut nunc, de eo contendam, non est opus. Nam ad meam constabiliendam rationem tantundem est, utrum duorum ponatur.

V. O B I E C T V M.

Qui cū uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & diuisus est. Expende iam candidè lector, quàm non congruat cum sacerdotali functione alligari nexibus uxoris, coniugis, liberorum, totius familiae, ac rerum domesticarum distrahi curis, &c. Et cum Bedam citasset, inquit, duo ex his Bedæ uerbis animaduertisse erit operæ pretium: alterum femoralia illa linea quæ Deus præcepit, ut Aaron & sui filij cum essent in tabernaculo, & sanctuario ministraturi induerent, adumbrasse, ac præsignasse perpetuam continentiam ministrorum noui Testamèti, qui Deo essent iugiter in edibus nostris sacris operam daturi. Alterum est, Christum, quando dixit, Qui potest capere, capiat, inuitasse, ac extimulasse Apostolos aliosq; omnes ad seruandam uirginitatem perpetuam. Tantum abest, ut ab illo uitæ instituto quenquam deterruerit, ut astruit Lutherus, &c.

D E F E N S I O.

Iam uirus maleficum incipit serpens euomere, cum nititur probare nuptias ministerio sacro haud conuenire. Principioq; à Pauli testimonio incipit, qui dixerit, eos qui cum uxore sunt, de mundo sollicitos esse, & cogitare, quomodo uxori placeant. Et cum sit Græcarum

literarum imperitus, Latine uersionis errorem sequitur, in qua legimus, Et diuisus est, Que uerba, ut Paulino sensui parum congruant, quilibet doctus per se ipsum satis intelligit. Estq; tam acutus iste sophista, ut hoc suo argumento non solum nos uulneret, sed etiam Paulo, & suis Apostolorum Canonibus ualde sit contumeliosus. Nam si tam parum, imò nihil, ut deducit ex isto loco, matrimonium cum ministerio Ecclesie consentit, imprudenter fecit Paulus, qui ad Timotheum, & ad Titum mariti episcopi conditionem inter ceteras annumerauit. Et Canones Apostolorum quid mandant episcopo, & presbytero, ne uxores suas abijciant, alioqui deponantur? Cauillatur iste, me sapè adigere Apostolum ad contraria, quãdo affirmo, illum certo generi hominum præcipere matrimonium. Nam, inquit, non potuisset alibi dicere, Volo omnes esse, sicut me ipsum. Et nunc non uidet, si ex isto loco, quem citat, uerè sequatur, nuptias cum sacris ordinibus non conuenire, Paulum pugnare secum, qui episcopum maritum, sed unius uxoris describat. Deus isti det saniozem mentem. Nos uerò interim locum interpretemur, quem contra nostram sententiam adducit, quamuis & de eo superius aliqua dicta fuerint. Curare quæ sunt mundi, & quomodo quis uxori placeat, non est, ut hoc loco accipitur ab Apostolo, peccatum. Alioquin omnes coniugati à statu salutis excluderentur. Quique sunt in coniugio non improbantur Deo, quòd rerum perinentium ad hanc uitam aliqua tangantur cura. Id enim aliter fieri non potest, cum uxori atque familie sit prospiciendum. Neque etiam Deo displicet, si uir provideat, ut inter se atque uxorem dilectio & amicitia bene cohereat. Quis hoc studium neget Christianis hominibus

minibus? Nullus planè, qui coniugij leges è scripturis didicerit. Cùmque hæc aliquam curam & diligentiam exigant, non inficiabor ea asserere quippiam distractionis, ut ne toti rebus diuinis uacemus, quod in uirginitate aut cælibatu facilius liceret. Ideò dedimus esse beatiores in promouendo regno Dei, qui sunt his curis atque molestijs uacui, quòd uirginitatis aut cælibatus donum habeant. Ideòque Paulus, eos qui sic facti sunt, ut ita mancant, adhortatur. Veruntamen hinc non efficitur, matrimonij hæc incommoda Ecclesiæ ministerio repugnare: cum etiam suas matrimonium habeat utilitates, uti superius recensui, quæ magno bono esse possunt ministris. At quis istos non miretur, qui sic fingunt, se curare, ministros ab omnibus curis extra diuinas fieri alienos? Et hoc prætextu eorum matrimonia sustulerunt, cum interim sinant eos magnam famulorum turbam curare, magnas opes, & amplissimas diuitias, aulis inseruire, ad ministrare bella, tractare mundi negotia, & alia id genus, quæ maximè ab eorum munere sunt aliena. Vtra, quæso te, pie lector, magis animum à rebus diuinis alienant, hæc, an sancti matrimonij quædam leues molestiæ, quæ tamen intereà multum habent commodi adiunctum? Taceo alias parùm honestas curas, ne turpes dixerim, quas ministris relinquunt, ut perpetuarum uenationum, ludorum aleæ conuiuiorum, exactionis, lupanarium, &c. Hic muti sunt, & nihil prorsus dicunt nostri Catones. Tantùm honesta & sancta matrimonia in sectantur, quæ sacre literæ à nullo Ecclesiæ ordine remouerunt. Martium, inquit, studere, ut uxori placeat: at hic nil peccatur. Illi uerò quotidie nobilibus, & principibus inser-

uiunt extra suam uocationem, imò sese insimuant, & nõ
 raro contendunt suæ amicæ, seu concubine turpissimo
 studio esse grati, atque fœdissimè placere. Et dum hic
 grauitèr peccant, nõne deberent hæc à se præcidere, et
 sanctum inire matrimonium? Verùm sua uitia palpant,
 & hic sunt plusquam Mitiones, qui tamen acerbissimè
 proscindunt ecclesiasticorum connubia, atq; illa omni co
 natu prohibent, quasi Ecclesiæ ministerio de decorosa.
 Vides itaq; Apostolum non taxare coniugij curas, ut ui
 tiosas: tatum dicit, illis non nihil à diuinis animum distra
 hi: quod idem possis dicere de occupatione prandij, cœ
 na, aut somni. Quòd si responderis, non posse nos istis,
 quòd naturæ sint necessaria carere, fatebor: sed identi
 dem regeram, multos esse ad ministerium Ecclesiæ be
 ne appositos & idoneos, qui matrimonio, si debeant ho
 nestè etatem agere, carere non possint. Ostendit Paulus
 his, qui possunt, quanam uita sit expeditior: non tamen
 sacrum ministerium matrimonij usu expoliat. Num isti
 à sacris ordinibus hominem arcebunt, qui propter imbe
 cillitatem sui corpusculi non possit ieiunare, aut delica
 tiori uictu potuq; opus habuerit, si alioqui pietate atq;
 doctrina plurimum ualeat? Non arbitror. Istas nihilomi
 nus curas frequenter edendi, bibendi, atq; utendi mollio
 ribus & præstantioribus alimentis, atq; huiusmodi de
 licias non negabunt à sacris mentem & corpus inter
 dum non leuiter distrahere. Quod cum sic habeat, cur
 in matrimonio exagitando sint adeò uehementes & a
 cres, non poterunt defendere. Sed iam uideamus alterã
 eius rationem ex Beda collectam in locum Exodi. Femora
 ralia linea, quæ Deus mandauit sacerdotibus ut induc
 rent, significant perpetuam continentiam ministrorum
 noui Testamenti. Quare eis non licet uti matrimonio.

Si à me rationes huiusmodi afferrètur, quos risus, quos ué
 cachinnos Smythæus alioqui petulantissimus excitaret?
 Demus tamen ei allegoricam hâc interpretationem es-
 se ueram, ut femoralia continentiam, seu castitatem sa-
 cerdotum significant. Nónne ab eo usquam est animad-
 uersum in coniugio quoq; suam esse castitatē suamq; cō-
 tinentiam? Coniuges procul dubio ab adulterijs, & ua-
 gis libidinibus debent sibi temperare. Quare nihil ista
 femoralia castitatis, quæ nunquam ne in senectâ quidē
 Smythæus inuit, clericorū matrimonia impediunt, quan-
 doquidem illa, si qua alia, debent esse castissima. At di-
 cit, Bedam scribere, absq; hac perpetua castitate nemi-
 minem uel sacerdotium suscipere, uel ad altaris ministe-
 rium posse consecrari, id est, si non aut uirgo permanse-
 rit, aut contracta cum uxore coniunctionis fœdera sol-
 uerit. Beda, licet quandoq; non malè scribat, non tamen
 si contra ueritatem quicquam dixerit, debet audiri. Ce-
 dat oportet Paulo, qui nequaquam dixit, ullū debere sol-
 uere fœdera initi coniugij, si sit ordinandus episcopus.
 Audiatur & Canones Apostolorum, quos noster Smythæus
 plurimi facit, in quibus præcipitur, ne religionis causâ
 uel episcopus, uel presbyter uxorem abijciat. Sed ante
 omnes Christus est audiendus, qui sacros ordines inter ea
 non posuit, propter quæ coniugiū dirimi possit. Itaq; iam
 manifestum est, locum Exodi adductum non auferre cle-
 ricis coniugium, etiamsi detur quam postulant, allego-
 ria, qua femoralia perpetuam castitatem adumbrent.
 Quam tamen significationem, ut necessariam, quis me da-
 re cogeret inuitum? In huiusmodi umbris cuiq; licet pro-
 arbitrio ludere. Ratio uestimenti huius in contextu sa-
 tis demonstratur. Noluit quippe Dominus quicquam
 fœdum turpe, aut obscœnū accidere diuin ministrabatur

in tabernaculo. Propterea cum multa & à Leuitis, & à sacerdotibus facienda essent in hostijs mactandis, exco-
 riandis, lauandis, struendis in altari, & incendendis, ca-
 uit Deus, ne unquam carnis eorum turpitudine reuelare-
 tur: sic enim scriptura loquitur. Vnde potius ex hoc loco
 fuisset deducendum (pace Bedæ dixerim) in opere sa-
 crorum omnia esse cum decoro honestè & grauitè a-
 genda. At iam satis de hoc inepto atq; ridiculo argumen-
 to. Quod autem post hæc adijcitur, Christum, quando di-
 xit, Qui potest capere, capiat, à celibatu nõ absterruis-
 se discipulos, imò potius adhortatum fuisse ad eum cape-
 scendum, neq; aduersum me quicquam facit, neq; aduer-
 sus nostros. Vtrunq; enim uerum est. Illis quip-
 pe uerbis eos adhortabatur, quibus da-
 tum esset, & uicissim illos, qui-
 bus datũ non erat, potest dici
 à celibatu deterruisse.

VI. O B I E C T V M.

A fructibus, inquit Petrus iste, celibatus legē agno-
 sce, uidelicet à scortationibus, adulterijs, fornicationi-
 bus, & id genus alijs. Quorũ hæc Petre? Ad eò tibi
 parum est salis, aut bonæ mentis, ut uelis id eò reijci de-
 bere legem cælibatus, quòd multi ex cælibibus, & uota-
 rijs designarunt sepius quæ recensueris crimina? Quin
 non reijcis eodem nomine diuinam legem decalogi,
 cum contra eam toties quotidie peccetur? Infirmum
 certè oportet esse, qui his capiatur, irretiat, aut illa-
 queatur retibus, quæ aranearum telis sunt imbecillio-
 ra. Causaris ob stare legem cælibatus, ne idonei ministri
 præ sint Ecclesijs Christi: perperam id quidem. Nam si
 tales desint Ecclesijs, non est lex illa culpanda, sed ho-
 minum prauitas. Et habet Ecclesia (laus superis) ido-
 neos multos, qui probè officijs suis defunguntur. At ti-
 bi non

bi non uidentur idonei, nisi tuo more concionentur, & prælegant, hoc est, sedulo atque totis uiribus conentur pia quæuis è medio funditus tollere, ac surrogare & substituere in ipsorum locum impia dogmata.

D E F E N S I O.

Regulam ego sum secutus, quæ in legibus humanis & sancientis, & approbandis retinenda est: in quibus præcipuè id spectatur, an augeant uicia, & illis dent occasionem: an uirtutes confirmet, & probitatem stabiliant. Prout se habere in his deprehensæ fuerint leges, quæ ab hominibus feruntur, aut confirmantur, aut abrogantur. Nec aliam rationem possumus adducere, cur subinde in Concilijs multa constituantur, quoad ritus, uel obseruationes illis admodum contraria, quæ antiquitus fiebant, nisi quòd uetustiora ideò fuerunt abrogata, quia Ecclesia inde accipiebat detrimentum. Inde sublata est scelerum admissorum confessio publica, quæ fuit primis temporibus in usu. Paulus quoque morem aboleuit admittendi uiduas iuuenes ad Ecclesiæ ministerium, non alia de causa, quàm quòd incontinenter uiuentes denique à Christo alienarentur, & post Satanam irent, non seruando propositum aut pactum cum Ecclesia in initum. Christus etiam ueterum traditionem taxauit, quæ suadebatur filijs, ut sua bona templo consecrarent, quoniam ex eo sequebatur miseros parentes debitis alimentis, & necessaria sustentatione destitui. Vides itaq; me iustam usitatamq; regulam induxisse, qua leges hominũ, siue traditiones uel probantur, uel improbantur, cũ de neutris rebus agitur, de quibus uerbũ Dei nil cõstituerit. Atq; hanc me docuit Paulus obseruationem, quando in Ec-

clesia inquit omnia debere fieri, non solum cum decoro
 & ordine, sed etiam ad ædificationem. Quare cum ex
 hac lege cælibatus à tyrannis Ecclesiæ lata, multa uidea-
 mus quotidie nasci grauiamala, eam iure contendo ab-
 rogandã. Cum uerò mihi obijcis, identidem faciendum
 de diuina lege, cum in eam quoq; uarijs, multiplicibusq;
 modis quotidie peccetur, delirare, ne insanire dixerim,
 te ostendis, qui hominibus par ius tribuas in leges à seip-
 sis latas, & in eas, quas Deus ipse condidit. Quis igno-
 rat humanas leges posse pro arbitratu hominum & figi
 & reuellat non ita diuinas: que ad salutem necessaria
 cõtineant, cū humanae solum de medijs & neutris rebus
 ferantur. Hæc discrimina extra te, ut mihi persuadeo,
 nullus ignorat. Constat itaq; in legibus ferendis ab Eccle-
 sia canonem, quem adduxi, de illarum utilitate uel dam-
 no estimando iure non posse improbari. Adieci reuera,
 neq; me pudet, per hanc legem cælibatus accidere, ut per
 multi, qui essent alioqui idonei ministri, à munere sacro
 capeffendo absterreantur, ut qui non facile tolerent la-
 queum si bi iniici: & plerunq; uidere esse illos ad uocen-
 dum præcipites, qui de castitate bona fide præstanda ni-
 hil serio cogitant. Smythæus negat ita esse. Experiencia
 rem doceat: rogenturq; complures & docti & pijs, qua-
 re animum ad ecclesiasticam functionem non appellant.
 Si, quod est, fateri uoluerint, ut plerunq; fatentur, non
 reperies me falsum testem. At quia fortasse uidit sic ha-
 bere, ad aliud responsion desleat dicitq; si Ecclesia mini-
 stris bonis & pijs destituitur, neq; lex cælibatus est ac-
 cusanda, se hominũ improbitas. Prauitatis ministrorum
 culpam uniuersam in legem cælibatus non reijcio. Nam
 probè noui, & aliunde illam oriri posse. Tu uerò quomo-
 do interim mihi ostendes hanc legem non esse bona par-
 tem

tem causæ defectus istius? Quod quum ita sit, quid est quod tāto perē cunctemini eam abrogare? Iactas Dei gratia, differ tam esse ecclesiam bonis ministris, uerū id mihi non uideri. Utinam ita esset, libenter uelim causa cadere, modò mihi solidè probares ecclesiæ, non deesse bonos pastores. Quotumquenque reperiās, qui populum sedulo doceat, qui rudes, uel pueros catechizet? Imò ne legib. quidem ad ista faciendā tui sacrifici hodie possunt adduci. Et in uestris ministris tanta deprehenditur imperitia, ut ne legere quidem possint, quæ sunt materna lingua cōscripta. Mitto, quā uita & moribus parum ædificent, & multum ledant Christi membra. Hic profectò declaras te papistarū omnium impudentissimū, qui ecclesiā crepes atq; bonis abū dare ministris, cū illi, qui tui sunt ordinis & farinae, nō uereātur suorū temporū infelicitatem, quo ad hanc partē publicè deplorare. Calumniaris præterea me, q̄ ministros docendo, uel, ut ais, prælegendo, uelim pia omnia tollere, atq; pro illis impia dogmata substituere. At quid aliud perpetuò inculco, q̄ ut Christianum uulgus pascatur sacris literis? non hominū traditionib. quæ uerbū Dei oppugnēt? Ideo mea dogmata insectaris. Sed missam nunc facio istam contentionem. Demonstra tu si potes, uestrarum ecclesiarum ministros diligentes esse in tradendā populo saltem sua doctrina? Nōne uides pastores in uniuerso papatu, licet ab ecclesia percipiāt amplā stipēdia, nunquam uel saltem rarissimè populum sibi creditum docere? Monachos habent mercenarios, quos ad conciones habendas conducant. Curant sibi præterea sacrificulos, qui uno aut altero obulo dietim accepto in suis parochijs misent. Verū, quid ego istud accuso? Bene præesse ecclesiæ, populum Dei benè curare, hi suauēs homines totum in missa uel cantanda, uel faciēda situm esse

406 PETRI MARTYRIS
 uolunt. Quod quia facillimè fieri potest, & à quouis ne-
 bulone, præstari, propterea Smythæus tantam copiam
 bonorum ministrorum iactat hodie inueniri.

VII. O B I E C T V M.

E. 1.

Istis enim persuasum est, Paulum eorum suffragati
 opinioni, cum hæc refert: Spiritus autem manifestè di-
 cit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fi-
 de attendentes spiritibus erroris, & doctrinæ demonio-
 rum in hypocrisis loquentium mendacium, & cauteria-
 tam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere.
 Existimant enim in crimen hoc loco uerti præscriptum
 ecclesiæ de sacrificorum cælibatu, perinde ac proceres,
 & præfecti ecclesiæ Christi prohibuissent nuptias cle-
 ro, ueluti ex sese penitus illicitas & impuras. Quem er-
 rorem Eucratita, & horum antesignanus seu præsul Ta-
 tianus tutati sunt, &c. Et mox: Vides ergo mecum Pau-
 li fuisse notam hæreseos inurere Manichæis, Eucratis, &
 Martionistis, Christianos omnes à matrimonio, tanquam
 à reimpura arcentibus. Quod cum nullus procerum ec-
 clesiæ unquam fecerit, constat, frustra abuti aduersarios
 nostros hoc testimonio, quo suum illud constituat dog-
 ma, quod aduersus clericorum cælibatum tantopere
 moliuntur Christiano orbi obtrudere, &c.

E. 3.

Et mox: Num quisquam ex procerum ecclesiasticorum cœtu astruxit
 cum sanxerint, ac edicto uetuerint, ne ex clero quisquam à su-
 sceptis sacris ordinibus alligetur uinculis uxoris? Nõ
 ne alia fuit istis mens, alioque oculos reiecerunt suos, cum
 nuntiarunt iuri contrahendarum nuptiarum, deoque sponte ca-
 stitatis nuncuparunt uota, quo Deo mundius ac terbas per-
 seruirer, præstet datam illi fidem, nec perfidie det acerbas pe-
 nas? Et alibi: Nõne effronte ac exortem pudoris, te proci-
 deras, cum inter prælegendum diceres præfectos ecclesiæ, qui
 cætu uoto nuptias contrahat, dånare nuptias? De quibus
 Pau. 1. ad Timoth. 4. meminit, dicens, illos prohibere uoto
 alligatos debere necessariò præstare, ac psoluere quod
 uouerint? Tatianorum, Manichæorum, Martionistarum hæ-
 resis est dånare nuptias tanquam impuras, malas, & omnibus
 illi-

E. 4.

Num quisquam ex procerum ecclesiasticorum cœtu astruxit
 cum sanxerint, ac edicto uetuerint, ne ex clero quisquam à su-
 sceptis sacris ordinibus alligetur uinculis uxoris? Nõ
 ne alia fuit istis mens, alioque oculos reiecerunt suos, cum
 nuntiarunt iuri contrahendarum nuptiarum, deoque sponte ca-
 stitatis nuncuparunt uota, quo Deo mundius ac terbas per-
 seruirer, præstet datam illi fidem, nec perfidie det acerbas pe-
 nas? Et alibi: Nõne effronte ac exortem pudoris, te proci-
 deras, cum inter prælegendum diceres præfectos ecclesiæ, qui
 cætu uoto nuptias contrahat, dånare nuptias? De quibus
 Pau. 1. ad Timoth. 4. meminit, dicens, illos prohibere uoto
 alligatos debere necessariò præstare, ac psoluere quod
 uouerint? Tatianorum, Manichæorum, Martionistarum hæ-
 resis est dånare nuptias tanquam impuras, malas, & omnibus
 illi-

I. 3.

illicitas. & mox: Vidēsne iā Petre, quos traduxerit Apostolus illo ad Timoth. pronūtiato? At Manichæus, inquit, nō interdicebat omnib. nuptias, sed tantū suis electis. Vbi habes? dic amabō, tuum, id est uanum commentum nullius scriptoris probati autoritate subnixum. Quis nō respuet? Verū si donemus id tibi, quid hinc referes adiumenti ad tuū dogma asserendū? Vetuerūt isti nuptias in sua iuratis uerba tāq̄ malas, & p̄sūs illicitas quemadmodū declarāt ueterum authorū testimonia.

D E F E N S I O.

Legem de cœlibatu latam excusas, quōd non sit ea de causa promulgata, quasi ecclesia proceres nuptias ut illicitas per se se dānarint. Nam inquis, cum uetuerūt, ne quis ex clero à susceptis sacris ordinib. alligetur uinculis uxoris, eō spectarunt, nēpe ut clerici, qui ultro renuntiarunt contrahendarum nuptiarū, uotaq̄; castitatis nūcu parant, præsentent datā fidem, ne perfidiæ dent pœnas. Ut breuibus cōplectar dicenda, de duob. operæ pretium duxi lectorē monere. Primum quidē uerbis istos dicere nuptias ex se se nō esse illicitas, & immundas, ne cū Martionistis Eucratitis, et Manichæis dānentur, sed re uera existimare nuptias aliqua cōtaminatione atq; impuritate nō carere. Quod. n. sanctū est, honorabile, atq; impollutū, cur certo generi hominū, eiq; nō solū honestissimo, sed etiā amplo, et late patēti negant? Si dignū est, atq; honorabile, ut loquuntur, sacerdotiū, nuptiæ certē cū mūda sint, et sancta, illud nō dehonestabūt. Quare cum ministris ecclesiæ matrimonia prohibeāt, se ipsos produūt, quas non iudicēt adeo puras esse atq; honestas, ut fingunt. Addā quoq; id, eos plus audere, q̄ Paulū. Is dānat doctrinā quæ prohibet nubere, isti nubere quosdā prohibēt: cur nō eius sentētia cōdemnātur? Ipse nullos excipit: isti quasi erret, eius uerba contra hūc, et quodāmodo corrigūt, ueluti ipse oblitus fuerit sua lege clericos excipere. Atqui hāc exceptionē esse adhibendā, ex illius scriptis nusq̄ probant. Quare ipsi eam fabri-

cati sunt, neque Spiritum sanctum, uel Apostolicam auctoritatem habent, qua eam tueantur. Hoc autem modo si agere liceat, neque ullum Dei preceptum, neque Apostoli tam firma erit institutio, quam homines uiolare non audeant. Fingent enim semper aliquod hominum genus excipiendum, uel aliquod tempus, aliquem item locum: & ita pro sua libidine uim diuinarum legum, atque rigorem emollient. Quum itaque Paulus istam doctrinam demouebus prorjus ascribat, nihil excipiat, neque ullam causam adducat, qua defendi possit, manifestum est, uos frustra tot atque tanta coningere. Alterum, quod admonendum esse, est, more solio Manichæum plusquam sophisticè mutare statum disputationis. Non enim queritur modo, an uota cælibatus reddenda sint: nam de eo satis superque iam scripsimus: sed an debeant ecclesiæ (ut iste dicit) proceres ordinibus sacris tale uotum adiungere. Si saltem reliquisset integrum his, qui ordinantur protestari, ac reclamare, tyrannicis minus fuisset intolerabilis. Nam per Ancyranam Synodum constitutum fuit, ut qui sic reclamassent, quum postea duxissent uxores, de suo honore, uel gradu non deijcerentur. Proinde, quum isti ordines conferendo statim uelint ordinatos obstringi uoto, quomodo se defendent, quod magno & amplissimo ordini hominum matrimonium non prohibeant? Subiaceant itaque damnationi Pauli, cum execrabilem doctrinam, seu quemadmodum ille dicit, demoniorum ecclesiæ obtrudant. Vis omnem hanc Pauli accusationem in hæreticos deriuare: ac inter alios, dum huius criminis damnas Manichæos, me perstringis, quod eos dixerim se posse defendere eadem ratione, quam pro uobis ipsi adducitis: quia nuptias non omnibus, uerum suis electis tantummodo prohibuerunt. De me queris, ut

de ego id habeam: calumniariſq; meum hoc eſſe commen-
tum, quod nullius probati authoris teſtimonio poſſit oſtē-
di. Quibus Thraſonicis uerbis, præter id quòd mentiris,
te declaras Auguſtinum obſcitanter admodum legiſſe.
Vnde ſuſpicandum relinquis, quæ teſtimonia ſubinde ci-
tas Patrum, non ea te ab ipsis fontibus hauſiſſe, ſed corra-
ſiſſe ab Eckijs, Cochleis, & huiusmodi hominibus tuæ
farinæ. Quò tamen uideas, me nihil fingere, Auguſtinum
audias, quem licet in multis locis potuiſſem adducere, ta-
men ex duobus tantum ero contentus impudentem ca-
lumniam tuam reſellere. Primus locus habetur, in ſecun-
do libro de Moribus Manichæorum, capite decimo octa-
uo, ubi hæc leguntur. Hic non dubito uos eſſe clamatu-
ros, inuidiamque facturos, perfectam caſtitem uos ue-
hementer commendare, atque laudare, non tamen nu-
ptias prohibere. Quandoquidem auditores ueſtri, quo-
rum apud uos ſecundus eſt gradus, ducere, atque habere
non prohibentur uxores, &c. Iam clarè uides, quidnam
Auguſtinus de illis dicat, qui illos per nouem annos audi-
uit, ut ipſe de ſe teſtatur. Idem poſt illam Manichæorum
excusationem, non inde conuincit eos de nuptijs malè ſen-
tire, quòd illas ſimpliciter prohibeant, ſed quòd filiorum
procreationē dānent, eāq; in ſuis matrimonijs quā maxi-
mè caueant. Hoc itaq; nomine accuſantur Manichæi qui ta-
men aliàs ſuis, ut ita dicā, laicis, uxores cōcedebant, eas tā-
tūmodo ab electis remouendo. Sed idē, ut ſecundū locū ad-
ucam, clarius hoc tradit in epistoſa 74. ad Deuteriū Epi-
ſcopū ubi ait, Auditores aut, qui appellatur apud eos, &
carnib. ueſcuntur, & agros colunt, & ſi uoluerint uxores
habēt quorū nihil faciūt, qui uocatur electi. Nōne animad-
uertis, quòd in lectione retuli, non fuiſſe uanum meum
commentum, ſed Auguſtinum me habere, cuius nit ar au-

thoritate? Ne sis posthac adeo præceptis ad iudicanda, que
 nescis. Ego uerò idem, quod tunc dixi, modò quoq; affirmo
 Vt illi suis electis nuptias prohibuerunt, cæteris uerò cõ
 cesserunt, nempe auditoribus: ita uos uxores à clero sustu
 listis, reliquis integras & liber as permittendo. Illi detesta
 bantur in matrimonijs prolem, et conceptum: Vos mari
 tales curas adeo aspernamini, et traducitis, ut ministerio
 sacro indignus putetis. Atq; ita in matrimonio auferendo
 electis, uel clero, utriq; contra uerba Dei peccatis. Nã ut
 habet scriptura, homines per matrimonia debere cresce
 re, & multiplicari, ita eadẽ habet connubij sancti curas,
 à sacris ordinib. non sic dissiidere, quin unã iungi possint
 Non excusauit Manich. quos mihi constat homines fuisse
 pestiferos: sed tantũ hanc tuã defensionem, omnĩq; papi
 starum cõsutaui, qua uos putatis absolui, ut ne doctrina
 uestra uideatur à Paulo proscissa, unã cũ doctrina demo
 niorũ, & hereticorũ. Ideoq; parum te iuuat, quod mox
 aiebas: Fac ita esse de Manichæis, ut finxit Petrus, nihil ad
 huc habebit hinc adiumenti, cũ illi nuptias uetuerint sibi
 iuratis tanq; malas, & illicitas. Nam ut initio dicebam, te
 interrogabo, cur uos illas prohibeatis clericis, nisi pro illi
 citis aliquo modo habeatis, eorũ saltẽ ordini? Non oportet,
 ut hinc ad uotum cõfugias, cum tantũ nũc disputemus
 de illo decreto, quo uultis absq; uoto huiusmodi neminẽ
 ordinari. Quod statutũ non pertinet ad ius diuinũ cum
 Paul. maritum patiatur episcopum, et Ancyrana synodus
 absq; huiusmodi uoto i miserit aliquos ordinari. Etenim
 si postea duxissent uxores, ut antea dixi, nihil eis fraudi
 erat, q; episcopus licentiã eis dedisset, atq; hoc in 10. cap.
 eius Cõciliij habetur. Proinde cũ tãtus laqueus ab humana
 præsup̃tione fuerit ortus, illũ dixi uerbis Pau. ad Timot.

fuisse

fuisse taxatum, quib. prohibentes nubere perstringuntur.

VIII. O B I E C T V M.

G. 1.

Scortari malis, inquit, quā matrimonium contrahere. Quid nam mihi bone? Hocce probat tibi, qui voto præstādo obstringeris, fas esse nuptias inire, quā alius scortetur? Quis dixerit licere mihi furtū designare, aut committere adulterium, si alius mauelit mœchari, quā sanctum contrahere matrimoniū, atque furari. quā absque ullo flagitio uitam transigere inopem, & piā? Vtrūque uicio dat scriptura: neutrum itaque licet. Sed dispiciamus, nū minus peccet sacerdos, aut uoto obstrictus quispiā, cū scortatur, aut fornicatur, an quando asciscit sibi in locum uxoris solutam fœminā? Minus peccare, qui prius illud admittit flagitium, quā qui hoc posterius, uel hinc manifestum euadit, quod quicquid uoto obnoxius stuprum commiserit, sui iuris est, ac integrum est illi, ut cū libuerit, desinat eiusmodi transigere uitam, & eam in castam commutare, quod non perinde illi eidem licet coniugi.

D E F E N S I O.

Dum lego, quæ iste mihi nūc obstrepat, existimare non possum, illum, dum talia scriberet, non habuisse cerebri partes, uel ut dicitur, uentriculos inuersos. Equidem illos induxi, qui mihi resisterent, in hoc absurdū, ut potius uellent scortari ministrum, quā matrimonio iungi: et fateretur minus peccare sacrificum, qui fornicatur, quā qui uxorem ducit. Et nunc iste me interrogat, an uelim contrahere nuptias, quā alius scortetur, & an liceat cuiquam furari, quoniam alter mœchari uelit. Quid hæc ad rem faciunt? quorsum tu diuersas personas mihi memoras, cū ipse de uno eodemque homine loquar? Dico enim potius esse matrimonium expetendum, quā scortandum. Et dum ita sentio, sequor Apostolum, qui ait: Iungantur matrimonio, si non continent, iste autem audet affirmare, potius clerico scortandū, si non continet, quā ut ducat uxorem. Vter nostrū rectius loquitur, aut sentit? Nunquam dixi me uelle inire matrimonium eo nomine, uel ea causa, quod alter scorte-

tur, sed ne ipse scortetur. Quid mihi tu nunc obstrepsis de altero? Alter sibi ipsi caueat, ego mihi cauere debeo. Quid præterea furti mentionem facis, quasi dixerim me uelle furari, quoniam alter committit adulterium? Sintne ista paria, furari, & uxorem ducere? Si paria ista seceris iam excusari non potes, quin dixeris nuptias natura sua esse malas & illicitas. Sin dixeris non esse paria, sed nuptias esse sanctas, uide quam absurdè atque sophisticè argumenteris. At dicet, sunt malæ nuptiæ post uotum: nam ex illa promissione redduntur illicitæ. Audio et hæc te me dium teneo. Cur uos illa promissione seu uoto, quod ab ordinandis exigitis, tantam iniuriam & contumeliã nuptijs alioqui sanctis facitis, ut postea uestro iudicio, licet non natura sua, malæ, et illicitæ reddantur? Si sanctæ sunt honestæ, ac puræ, cur aliquos homines uultis se illis abdicare? Nonne uos hac uestra impia lege, illos eò adigitis, ut postea si uestram sententiam sequi uelint, se iudicent minus peccare scortando, quàm uxorem ducendo? Vel hinc sanè apparet, quàm illa uestra lex & impia sit, & absurda, unde tantum oritur monstrum, ut scortationem laudare cogamini, præ matrimonio. Hoc tandè expectandū erat à Smyth. ut suã hanc non uereretur proferre sententiã. Non erit adhæc inutile spectare, ut uerba istius parũ sibi consentiant. Primum dicit, clericum, qui ne scortetur, matrimonio iungitur, asciscere sibi loco uxoris solutam scortaminam. Quæ forma loquendi cum indicat sentire concubitionem illam non esse matrimonium. At postea dicit, eum qui uoto obnoxius stuprum commisit, sui iuris esse, ut cui sit integrũ, cũ libuerit, desinere. Qui fit, ut obstructus uoto, si uxore duxerit, iuxta hanc sententiam non sit sui iuris, neq; amplius illi sit integrum, cũ libeat desistere? Dicat iste, qui sic loquitur, quare non sit amplius sui iuris si

Aiunt fatius esse post uotũ scortari, quàm uxorem ducere.

ris, quare nō sit illi amplius integrū desistere. Nō poterit sane aliā rationē reddere, nisi quia matrimonium est contractū. Si enim matrimoniū non esset quod initur, ut iste uidebatur innuere, adhuc sui iuris esset, eiq; esset integrū ut desisteret. Ne autem me effugere quippiam suspiceris, tua ipsius uerba recognosce, quibus ad finē dicis: Quod non prinde illi eidem licet coniugi. Coniunctionem illā hic aperte uocas coniugium. Discas itaque aliquādo cum sentire melius, tum magis consentanea loqui.

IX. O B I E C T V M.

Adducti sunt prisca Ecclesiæ proceres, pie lector, nō modò sacrorum uoluminum testimonijs, ijsq; illustribus admodum, sed rationibus quoque nonnullis, nec leuibus quidem ipsis, nec contemnendis, quæ ex scriptura fuerint petitæ, ut legibus cauerent, ne quis è cætu coniugum sacrificus crearetur. Nam sacerdotibus uxores ducere nunquam uspiam licuit. Tametsi qui antea cōnubia inierunt, quàm in cleri album erant relati, postea sacris fuerunt initiati. & mox: Non est recens calibatus his obtrusus, ut multi impudenter mentiuntur. Caterùm quorsum his subnixus con- tendo persuadere calibatam sacerdotibus, episcopis, & diaconis, non esse nuper iniunctum aut demandatum, cum in promptu sint testimonia longè uetustiora his, quibus facillè atque dilucidè satis reuincatur. Canones enim ab Apostolis proditi luculenter docent, uel illorum temporibus non licuisse sacris inuitatis uxorem ducere, ut qui sic habent: Innuptis etiam qui ad clerum sunt prouecti, præcipimus, ut si uoluerint, uxores ducant, sed lectores cantoresque tantum modo. Constatne ex his coercitos fuisse sacerdotes episcopos, & diaconos ab uxoribus ducendis, etiam Apostolorum etate, idque illorum autoritate, quæ omnibus uerè pijs sacrosancta & suspicienda esse debet, nedum par habenda crasso huic Lutherano errori, mortalibus animis penitus exigendo, exturbando, extrudendo? &c. Nec est quodd nobis obijciant sacerdotes orientales, quorum non paucos tempore episcopatus sui ex legitima uxore liberos sustulisse proditur. Nam

A. 3.

A. 7.

E. I.

ipsis non parum reluctatur, quod Socrates Constantinopolitanus memoriae reliquit his uerbis. Ego quoque cognoui in Thessalia consuetudinem aliam. Cum quidam clericus ante clericatum legitimam uxorem habuisset, quia cum ea mixtus fuisset, abdicatus est, cum in Oriente cuncti spontanea uoluntate, & non aliqua necessitate etiam episcopi seipsum abstineant, plurimi etiam eorum episcopatus tempore ex legitima uxore filios habuerunt. Hæc Socrates ille. Vnde liquet, quod non fuerit mos in uniuersis regionibus Christianis, & in omnibus Ecclesijs earundem, ut qui uxorem duxerit, antequam ascirus fuerat in album clericorum, concumbere cum sua uxore illi fas & licitum fuerit, ac simul munere cleri fungi.

D E F E N S I O.

Si proceres Ecclesiæ adducti sunt, ut ais, testimonio sacrarum literarum, & rationibus inde petitis, ut statuerint, non eligendos ministros è cætu coniugatorum, uicisti. non est, quod amplius tecum rixari uelim, de hac arena tibi cadam. Sed prius hæc testimonia scripturarum, quibus excipitur, ut ne mariti ad sacrum ministerium eligantur, in medium producito. Si Paul. ad Timotheum & ad Titum maritos admisit, quomodo isti docebunt unquam è sacris literis maritos excludendos? Quid damnat iste imprudens sanctos episcopos, qui tempore episcopatus sui uxores suas retinuerunt? Nonne hoc est illos damnare, si concumbantur fecisse contra sanctæ scripturæ testimonia? Non est itaque à proceribus Ecclesiæ constitutum ex uerbo Dei tale decretum, cum iuxta idem uerbum Dei sint admissi, quotquot coniugati sacrum ministerium obiter ducere: quod tamen nosti, me non daturum, nisi fortiter et robuste id probaueris. At iste mos est perpetuus nostri sophistæ, ut tãquã magnus principij petitor, seper id sibi sumat

sumat quasi uerū atq; concessū, quod illi quāmaximè probādum fuit. Cumq; nil proferat ex sacris literis, per quod ostendatur, ministros non posse maritos esse, iam petit suppetias à temporis uetustate, adductisque nonnullis concilijs, antiquum concludit fuisse cælibatum clericorum in Ecclesia. Quis unquam negauit ipsum fuisse antiquitus obtrusum? Imò nos hoc maximè dolemus, tam citò zizania fuisse super agro Domini à malo uel inimico homine superfeminata. Citò, heu, nimium citò inualuerunt perniciose leges, aut potius tyrannica edicta. Sed meminisse oportuit Cypriani testimonio, antiquam consuetudinem, si uerbo Dei non consentiat, nil esse, quàm uetustatem erroris. Scripturis itaque pugnes, non temporum diutina consuetudine. Alioqui si uetustate delectaris, ignorare non debes, diuinas literas omnibus alijs constitutionibus humanis esse antiquiores. Pergit iste, atque mihi Canones apostolorum adducit, quò faciat fidem, non licuisse ministris uxores ducere. Qui tamen Canones contra illos proceres Ecclesie istius maximè faciunt, qui statuere audent, ne ad sacros ordines mariti admittantur: quum apostolorum Canones maritos non solum amplectantur, & in sacris ordinibus sinant, uerumetiam imperent, ne minister causa religionis à sua uxore discedat. Eligas itaque tibi uerum uolueris: aut Canones istos ualere pronuntia, uel statue irritos. Si ualent, mariti inter ministros sunt, & uxores suas retinento. Neque statuam tuos proceres, ut ne mariti ordinentur. Sin uerò his Canonibus nos minimè teneri arbitraris, quid eos mihi obrudis, quasi mihi & tibi non sit par ius in ista questione? Mitto quòd superius luculenter ostendì esse per multa alia in quibus nolles ipse Canones istos admittere.

Canones
apostolorū.

Sed nunc ad illa id mihi uenit in mentem, quòd, ut ipse ci-
 tas, & lectorum, & cantorum mentionem faciant, quasi
 apostolorum tempore inter ordines sacros aut lectores,
 aut cantores recenserentur. Sunt, mihi crede, ordines isti
 post apostolos inducti: nusquam fit in sacris literis noui
 Testamenti horum ordinum mentio. Episcopos, presby-
 teros, diaconos reperias: cæterij sunt ascititij, & ab ho-
 minibus inuenti. Non quòd apostolorum tempore non
 essent qui legerent, aut recitarent quippiam in sacro cœ-
 tu, aut qui aliquid canerent. Verùm hæc ad sacros ordi-
 nes pertinuisse, nunquam ostendes. Quare quum istorum
 ordinum tui Canones apostolici meminerint, se produunt
 esse commentitios. Mitto præterea Zepherinum episco-
 pum Romanum in sua epistola decretali facere istos apo-
 stolorum Canones septuaginta cū tamē solum quinquagin-
 ta recenseantur. Quæ numeri tanta diuersitas demon-
 strat illos esse adulterinos. Nam si proprie ac legitime ab
 apostolis fuissent editi, summa diligentia conseruatos ha-
 beremus, & de illorum numero certo constaret, prout
 Canonica apostolorum extant epistola, neque de illarum
 numero ambigitur. Quæ uerò Socrates refert in sua hi-
 storia, non parum pro me faciunt. Primum ipse scietur
 plurimos episcopos episcopatus sui tempore liberos su-
 stulisse. Quòd quum illi fecerint, & neque in illa histo-
 ria, neque in sacris literis taxentur, quare uoluerunt pro-
 ceres Ecclesie, quos commemoras, ex suo capite, suaq; tra-
 ditione sancire, ut nullus maritus episcopus aut minister
 eligeretur? Quòd uerò dicat, clericum in Thessalia fuis-
 se abdicatum, quòd cum uxore, quam ante ordinatione
 duxerat, rem habuisset, pessimum refert exemplū, quòd
 etiā Paphnutio autore, de quo infra dicetur, damnari po-
 tuit. Is enim omnino sensit, non esse abducendos à suis uxo-
 ribus

Quos ordi-
 nes diuinæ
 literæ co-
 gnoscant.

Canones a
 postolorū
 commentij.
 Zepheri-
 nus.

Socratis hi-
 storia.

ribus, qui sacris erant initiati, ut ne scortationib. uel adulterijs omnia implerentur. Demumq; cum narrat in Oriente maximam partem sacerdotum, aut episcoporum ab uxoribus suis abstinuisse, nil contra me facit. Nam addit, Absque ulla necessitate, sed sponte. Quis enim ignorat ex Paulo, coniuges aliquando posse temperare sibi ad matrimonij usum, Deumq; dare aliquibus, ut hoc diuissimè facere possint? Utinam hæc libertas quam ille refert, nunc Ecclesiæ redderetur, nempe ut necessitas & uota essent ablata. Quamobrem ex his quæ sunt nobis obiecta, nullam prorsus accepimus plagam: sed tu potius, tuaq; superstitiosa opinio est non parum labefactata.

X. O B I E C T V M.

k. 4.

Iam quando dicis iugum Domini esse suaue, & leue, ac proinde non debere id insuaue & graue istis traditionibus hominum reddi, quis negat iugum Domini esse leue & suaue his qui uerè credunt & diligunt? Nec illud piæ sanctæque traditiones, quales sunt omnes, quas Catholica amplectitur Ecclesia, reddunt aut insuaue, ut tu perperam ac falsò quereris, aut graue, sed suauius potius & leuius, quando conducunt uel ad eius intellectionem, uel impletionem omnes. Ad donemus reddi iugum Domini hominum mandatis acerbius & grauius. Quid hinc erit tibi patrocinij contra Vota? Hæc ex humanis tantum pendent traditionibus? aut ut edantur, aut ut præstentur? Quis est tam cæcus, Petre, præterquam tu, ac tuæ farinae alij, ut dicat uotorum nuncupationem, quam Deus in scriptura consulit toties, seu redditionem eorum, quam Deus præscribit ac iubet, hominis esse constitutionem? Deinde cum uis, iugum Domini nosse tantum mandata, si iugi uocabulo complecteris totam legem Dei, cæcutis planè & turpiter hallucinaris Coryphæum & præfultorem uestrum Lutherum intelligo imitatus. Nemo enim nisi Liberide cæcior astruet desertionem & abdicationem omnium nostrarum facultatum,

ac earundem communicationem esse præceptum: cum nusquam exigat Deus in scriptura ut Christiani discedant à suis facultatibus, ut nullas omnino possideant, sed utique ferè earum dominos esse permittit, ut his pro arbitrio eleemosynas largiantur. In Actis tamen Apostolorum legimus illud in ipsius Ecclesiæ rudimentis fecisse non paucos. Vt brevis sim, ac multa opera supererogationis missa faciam, quia de his alio libello egi abundè, quis calibarum præscriptum esse fatebitur, cum hoc esset amoliri uelle nuptias, ac eas damnare, laqueumque hominibus injicere? Quanta igitur est hæc imperitia, quantaque impietas asserere legem Dei nosse duntaxat mandata? Nõnne in istos nugatores plusquam nugacissimos competit illud Apostolicum, profitentes se esse sapientes stulti facti sunt? Rursus, Volentes esse doctores legis, non intelligentes que loquuntur, neque affirmant. Cæcus es, Petre, & dux cæcorum, erras quam turpissimè nescius genuini scripturarum sensus. Sacra scriptura tibi est Lesbia regula, ut quam cogis tuis subinde inseruire dogmatibus, non contra dogmata tua huic accommodas.

DEFENSIO.

Miror quo possis ore negare, iugum Domini aggravari ea constitutione, qua ministris uotum perpetui celibatus decreuistis, ita ut neminem absque illa conditione patiamini ordinari. Non ad id astrinxit Christus, neque usquam Apostolicæ literæ. Vnde cum uos istam seruitutem addideritis, iurè meritoque accusamini, ut qui legem Dei traditionibus uestris reddatis grauiorem. Christus autem iugum suum non hoc tantum nomine uoluit esse leue, quòd uis spiritus sancti fides, spes, & charitas assentur, quibus uolentes & alacres efficiamur ad ea obeunda que mandantur, uerum etiam quòd ab infinitis nos absoluerit legalibus ritibus, quos proceres illi tui Ecclesiæ suis traditionibus nõ tantum numero sed citè pondere iam sermè adæquauerunt. *Qua de re Augustinus*

nus conquerebatur dicens, nos ferè conditionè aeterio-
 ris effectos, quàm unquam Iudæi fuerint. Institutum Chri-
 sti de industria impediunt, ut ne locum habeat, sed potius
 ipsi suam tyrānidem cōstabiliant. Ad hæc affirmas omnes
 traditiones, quas Ecclesia catholica sanciuit, quam procul
 dubio Papisticam intelligis, iugum Domini potius redde-
 re leuius ac suauius. Possẽm hic rursus de te quærere, si
 res ita habet, ut tu dicis, quid Augustinus de suis tempori-
 bus lamentabatur? Num cæremoniæ ritus, aut traditiones
 ab illius ætate usque ad nos imminutæ sunt, an auctæ? Cer-
 tẽ illo iam defuncto concilium Chalcedonense habitum
 est, Constantinopolitanũ unum atq; alterum, Lateranen-
 se sub Innocentio, & alia multa: infinitæq; constitutiones
 Romanorum pontificum sunt adiectæ. Quæ omnia sem-
 per onera grauiora multiplicauerunt. Quum ergo san-
 ctus ille uir de suo tempore conquestus sit, quid esset
 facturus, obsecro te, si nostra hac ætate uiueret? Sed
 hoc mihi præterea dicito, quānam ratione adduceres, ut
 credas, traditiones, quæ hodie retinentur, iugum Domini
 reddere suaue ac leue? Hanc niteris asserre, quòd tum ad
 intelligendum melius, tum ad melius implendum istud iu-
 gum conducant. Primũ absque iniuria gratiæ & spiri-
 tus non uidetur posse dici, ut, quòd illorum est, hu-
 manis traditionibus ascribatur. Deinde si Lex Dei
 non facit ad hoc, ut mandata impleantur, sed potius
 ob transgressiones est posita, utq; delictum abundaret, at-
 que ideo gratia & spiritu Christi opus fuit, quomodo
 hanc uim attribues humanis traditionibus, ut conducant
 ad implendum iugum seu legem Domini? Pluris igitur e-
 runt iuxta tuũ sensum humanae traditiones, q̄ lex diuina.
 Quòd uerò dicis traditiones facere, ut iugum seu lex Dei
 melius intelligatur, nequaquã tibi facile cõcesserim, cum hu-

Traditio-
 nes huma-
 næ ad præ-
 cepta Dei
 uel intelli-
 genda uel
 præstanda
 nihil con-
 ducunt.

manae traditiones uerbi Dei notitiã obscurant: quod Christus non latuit, qui ob id scribas & phariseos uehementer increpauit, quod suis traditionibus Dei mandatum irritum facerent. Et hodie in Ecclesia id inoleuit, ut, dum ritibus, caeremonijs, & signis humanitùs inuentis populum occupatis, prædicationem Euangelij, & publican scripturarum interpretationem contemnatis. Atque tandem eò uentum est, ut, cum significationes rituum atq; signorum à populo ignorentur, et sæpius à sacrificijs qui eis utuntur, plebs insulse stupeat ad signa et characteres, elementis mundi affigatur, & omnia uerbis occultis, crucibus & gesticulationibus tribuatur, ita ut nostra salus elementis mundi prorsus uideatur alligata. Dicitis quæso, quid ad intelligentiam uel obseruationem mandatorum Dei conducit, si pascha magis uno die, quàm altero celebretur? Quæ de re traditionibus tam uehementer ultrò citroq; actum est, ut ea contentione orbis terrarum penè concuteretur. Quòd adolescentulæ, ac penè puella in monasterijs receptæ perpetuam uirginitatem uoucant, & Ecclesiæ stipe alantur, quomodo ex usu fuit ut melius lex Dei intelligeretur, aut impleretur? Lex Dei planè promulgata per Paulum non uult ab Ecclesia recipi nisi sexta genariar: si nunc fiat contrarium, ut re uera fit, certè hoc nihil facit ad legem Dei intelligendam, nisi fortasse, ut nigrum album reddit manifestius, ut quæ tenebræ magis lucem declarant. Ita in præsentia cum uos censeatis e diuerso faciendum quàm sanciat diuina lex, uestra impia traditio monstratis, quàm rectum fuerit institutum spiritus sancti. Et ista consecratio iuuenularum tantum ad maiorem obseruationem mandatorum Dei conducit, quantum demonstrauit Paulus, cum diceret eas contra Christum luxuriare. Implentur sanè omnia scortationibus, & ab in-

finitis posse satanam itur, ut Apostolus etate sua fieri uidebat. Quid rursus ad mandata Dei uel implenda, uel intelligenda conducit ea traditio, qua statuitis, ut ne sacrificus audeat missam facere, nisi tot ac talibus uestibus prius fuerit instructus? Moriar, si uel ipse sacrificus quid proprie singula quaeque illarum uestium sibi uelint, intelligat. Denique quid ad legem Dei uel implendam uel intelligendam iuamur, si is qui uiduam uxorem duxit, uel priusquam ordinetur ad ministerium, uel ante baptismum, eaque sit iam mortua, non possit ad sacrum ministerium ordinari? Hoc quoque habet uestra traditio. Et me prius tempus et spiritus deficerent, quam omnes uestras traditiones recensere ualeam, quae hodie in Papistica Ecclesia receptae sunt, et obseruantur: ex quarum usu neque meliores efficitur quoad uitam, neque illustrantur quoad intelligentiam: sed potius per eas pietatis impeditur cursus, et doctrina quae summum debet in Ecclesia locum habere, abijcitur. Donnas praeterea, ut tibi uideatur, satis liberaliter, humanas traditiones iugum Domini aggrauare: Sed inquis, id nil prorsus facere contra uota, cum illa pendeant a iure diuino, quo et suadentur, et reddi praecipiuntur. Non possis credere, te adeo esse obtusum, ut non uideas quomodo contra uota faciat regula quam adduxi: nempe iugum Christi, quod ille uoluit esse leue, a pastoribus Ecclesiae aggrauari. Si Deus, quemadmodum tu dicis, uota solum consuluit, cur uos illa praecipitis? Cur ipse modo non retines pertinentia tua discrimina inter praecipitum et consilium? Deus cetera uotum, quemadmodum tu affirmas, tantum modo consilium uoluit, certe tantum iugum eius uos aggrauatis, quantum praecipitum arbitrari grauius consilio. Quod si dixeris, minime uota praecipimus, cur igitur legem tulistis, ut nullus absque uoto celibatus nuncupato minister Ecclesiae fiat? Ne

gare hic non potestis, quin faciatis necessarium, quod liberum Deus uoluit, & id non quoad paucos & ignobiles, sed quoad amplissimum & nobilissimum Ecclesie ordinem. Præterea quod scribis me affirmare, iugum Domini esse, tantum nosse mandata, & in hoc me imitatum Lutherum nostrum, ut uocas, præultorem, ut uerum fatear, non intelligo quid balbulias. Sacramento planè contendere possem, nusquam me talia protulisse, neq; te ullo in loco apud Lutherum, uerba quæ adfers legisse. Quare apologiam de huiusmodi sententia idcirco prætereo, quod illam neq; dixerim, neque nunc bene intelligam, neq; arbitrer id a me requiri, ut diuinationibus utar. Scio quidem me in opera supererogationis non semel inuectum: ut quæ non possunt absque magna superbia, & misericordie Christi contumelia uel iactari, uel defendi. Pro illis quidnam tu alibi scripseris, nescio: sed tantum uideo quæ modò attingis, infirmissima esse ad illa confirmanda. Et quoniam de his latius dixi superius, me nunc uno uerbo expediam. Cum itaque priorum bonorum abdicatio-
nem quæris, an ego præceptam esse constituam, dico lege
communi & quoad omnes non esse præceptam. Adoles-
centi tamen qui Christum de sua salute consulebat, impe-
ratam fuisse contendo, atq; illū peccasse grauiter, qui eam
Christo petenti & iubenti non præstiterit. Aio etiam ei,
qui uiderit, illam ad honorē Dei conducere, & se ad eam
uocari non dubitet, præcipi iure uniuersalis mandati, Di-
liges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota ani-
ma, omnibusq; uiribus tuis. Quomodo enim aliquis hoc
præstat, qui, cum possit, id non uult facere, quod uidet fo-
batu sentio, ac de uirginitate, quandiu ad ista uires Deus
elargitur. Neq; obstat meæ sententiæ, quod Paulus dicat,
præcc-

Abdicatio
honorum
an sit præ-
ceptum.

præceptū Domini se non habere. Quoniā id intelligit in
 uniuersum. Nō enim omnib. ista genera uitæ præscribun-
 tur, sed illis tantū qui possunt, quiq; intelligunt, per hæc
 Dei nomen se illustraturos. Quæ cū non sint eadem in o-
 mnibus, ideo Paulus consiliū dat, ut quisq; uideat quantū
 possit, & quid honori Dei magis conducatur. Atq; ita sta-
 tuendo nuptias minime cōdemno, neq; cuiquam laqueum
 iniicio: quando quidē nuptiæ sunt omnib. licitæ, atq; ab o-
 mni hominū ordine possunt contrahi. A quibus tamen ab-
 sinebit, quicunq; se uiderit, & celibatus donū habere, &
 absq; coniugio regno Dei magis posse prodesse. Laqueus
 uerō iniicitur à uobis, qui celibatū ab his qui ad illū apti
 non sunt, & uoto nuncupari, & uoto facto præstari co-
 gitis. Quòd uerò legem ipsam melius quàm tu, intelligā,
 inde apparet, quod ego præceptū summum, Diliges Do-
 minum Deum tuum toto corde, tota anima, & omnib. ui-
 ribus, unde tota lex pendet & prophetæ, omnibus modis
 tueor: cum tu illud miris sophismatib. coneris diluere atq;
 eneuare. Quisnā uerò ad hæc sit scripturæ sensus genui-
 nus, tam tu potes ex meis dictis colligere, quòd ego igno-
 rem, q̄ ego ex tuis uersutijs intelligo, ut sensib. illius tu ab-
 utaris. Nam per allegorias etiam confictas dogmata quæ
 libuerit, probare niteris. Et quā falso me insimules, quòd
 habeam sacras literas, ut Lesbiam regulam, id satis docet,
 quòd omnib. iam manifestissimū esse spero, nullos esse, qui
 magis q̄ nos, genuinum sensum uerbi Dei rimentur, nos
 enim semper à traditionib. ad scripturas prouocamus, ut
 quibus maxime uelimus obedire, atq; inde corrigi, si quid
 minus rectè dixisse cōuincamur. Vos autē sancta scriptura
 uerissime abutimini ut Lesbia regula. Nā quicquid tradi-
 tionū et rituum ipsi uobis cōsinxistis, id ex Dei uerbo cōfir-
 mare minime curatis: etsi qd interdū fortassis inde petitis.

424 P E T R I M A R T Y R I S
tam ad causam uestrā facit, q̄ terra cum celo habet com-
merciū. Sat habetis, modò una uel altera uocula uideatur
illi ad uestra cōmenta, & impudenter ficta mendacta.

XI. O B I E C T V M.

A. 3. Prodit Exodi codex, nemini è turba Iudeorū licuisse
carrib. agni paschal's uesci, nisi qui renes accinctos ha-
buisset, hoc est, castè uitam trāsegerit. An non igitur eò
castius debeant nostri sacerdotes uitam traducere, quo
sacrosanctum nostri seruatoris corpus, quod cōficiunt,
atq; confectum edunt, præstat agno illi typico? Cui sue-
cinit, quod Achimelech sacerdos noluerit prius Dauidi
& suis panes propositionis comedendos suppeditare,
quantumuis inedia aborantibus ac fame, quàm testaci-
fuerint se mundos fuisse à suarum coniugum amplexi-
bus, nedū alienarum. Quid ergo nõne par est sacrificos
huius tēporis maiori cōtinentia cōmendari, atq; redimi-
ri, ut qui non typicos illos panes contrectant atque ue-
scuntur, sed ipsissimam rem per hosce adumbratā, nem-
pe uerum Christi corpus contingunt, consecrant, offe-
runt Deo pro uiuis & defunctis, præbent aliis, denique
edunt. Horrataburne Paulus Corinthios, ut abstinerent
à commercio connubiali, quò operam darent precatio-
nibus, perinde ac si cōcubitus quantumlibet licitus, &
infra nuptiarum cancellos coercitus præpedimento il-
lis foret, ne præ dignitate Deum comprecarentur? Cùm
itaq; huius etatis sacrifici nunquam non obstringuntur
esse idonei, ut Deum fatigent precibus sibi crediti gre-
gis nomine, quò illum eis propitium reddant, atq; quo-
tidie deuinciantur Eucharistiā consecrare, ac consecra-
tæ uesci, quis ibit inficias, debere eos perpetuò excolere
precationibus ijs quæ populum illi commendent?

D E F E N S I O

Iam hoc loco Smythæus nititur ex sacris literis ostē-
dere, non conuenire cum sacris ordinibus matrimonium.
Cumq; nullum testimoniū posset uspiam inuenire, quo id
aperitis & explicatis uerbis dicatur, aut ex professo tra-
ctetur, quod superest, tentat ex dictis aliorum spectanti-
bus id

bus id colligere. Primum argumentū deducitur ab Israeli-
 tis, qui iuebantur accinctis renibus agnum typicum ede-
 re. Quid certæ fidei, aut solidi roboris hoc habet? Ex alle-
 goria tota uis rationis constat: quæ ut infirma sit, nun-
 quam putavi Smythæum celeberrimum theologum, ut se
 profiteretur in libelli huius inscriptione latere. Quoad il-
 lum habitum nil ex historia colligitur aliud, quam Deum
 uoluisse, illos paratos & expeditos esse ad iter faciendum
 statim, ut ex Aegypto extruderentur: quod ea nocte fu-
 turum probè sciebat. Vides itaque uno uerbo me dicere
 potuisse, nil tuam allegoriam efficere quum aliò spectet
 historia. Sed quia scio multos & pergraues autores dele-
 ctatos illa significatione, quam tu adducis, ut renes succin-
 cti castitatem referant, hîc figo pedem, & quæro, eo po-
 sito atque concesso, quod assumis, quid inde sis assequu-
 tus? Nōne, ut sæpè dixi, coniugium quoque suam habet
 castitatem: quandoquidem illic & uagæ reprimuntur li-
 bidines, & adulteria uehementer damnantur? Deinde
 nōne intelligis omnes Christianos oportuisse illis au-
 reis Ecclesiæ temporibus, quando legimus, fideles quoti-
 die communicasse, matrimonio et nuptijs prorsus caruis-
 se, si tua hæc argumentatio robustè concluderet? Sed ad
 Testamentum ipsum uetus redeo. Nōne Aaron familiā-
 que eius, uxor, inquam, & filij & filix sacrificiorum car-
 nibus, & alijs oblationibus perpetuò uescabantur? quæ
 omnia fuerunt sacramenta ueteris legis, ut ille paschalis
 agnus, de quo tu loqueris. Et tamen absque nuptijs & ma-
 trimonio non uiuebant. Ad hæc quando Aaron ipse solus
 fungebatur sacerdotio, atque ideò quotidie ministrabat,
 siquidem non erant adhuc uices per Dauidem & Salomo-
 nem institutæ, quomodo obsecro te, quum haberet uxo-
 rem, dabat operam liberis? Non est leuis quæstio, ut in

Augustin.

qua plurimū laborarit Augustinus, quæstione 82. super
 Leuiticum: & in ea cum non uideretur sibi ipse planè sa-
 tis fecisse in secundo Retractationum cap. 55. de ea rur-
 sus agit. Quare cum potuerit iuxta Augustini sententiã,
 summus ille sacerdos, qui quotidie ingressurus erat taber-
 naculum ad iuge sacrificium manè ac uesperis offeren-
 dum, atque ad suffitum faciendum coram Domino, libe-
 ris operam dare, cur & nostri ministri tempus non po-
 terant inuenire, aptum usui matrimonij? Quanquam
 hic non dicam quàm Augustinus, & alij quidam sint hal-
 lucinati, putantes concubitum cum legitima uxore in
 Veteri Testamento, fuisse inter illa, quæ hominem red-
 derent immundum, ut scriptura loquitur usque ad ue-
 speram. Verum de hoc paulò post fortassis nonnihil di-
 cam. Nunc uerò ut rem propositam agam, ex tuo ar-
 gumento aio, nihil aliud elici, quàm oportere profectu-
 ros in cælum, quod maxime fidelibus conuenit, dum sa-
 cramenta percipiunt, mens enim illorum per fidem in
 cælū subleuatur, omnes coercere suas prauas cupiditates,
 quas si propter uocem, Lumborū, ad Venereas contrabe-
 re uolueris, nihil habebis hinc aliud, quàm esse necessa-
 rium ut non diffuant, neque uagæ sint, sed uerbo Dei
 constrictæ, quoad coniugatos intra iusti matrimonij fi-
 nes contineantur. Video te præterea, duplicem collationē
 in hoc argumento facere. Prima est nostri sacramenti
 ad agnum paschalem, in qua licet concedam, sacramen-
 ta Euangelica præstare quibusdam prærogatiuis & con-
 ditionibus sacramentis ueterum, ut Augustinus non semel
 dixit, non tamē patiar, tantam contumeliam patribus ue-
 teris Testamenti abs te irrogari. Videris enim statuere, il-
 los tantummodo habuisse umbras: cum re uera, inter eos
 qui spiritu præditi erant, ipsum eundem Christum fide
 perceptum

Concubi-
 tus cum u-
 xore in ue-
 teri lege
 non redde-
 bat coniu-
 ges immun-
 dos.

perceptum fuisse constet, quem & nos ipsi fide sumimus. Quod mihi nunc obiter dixisse sufficiat. Nam questionem hanc modò plenè tractare, plus temporis requiret, & plus prolixitatis, quam nunc adhiberi possit. Verùm hoc tantum dicā, non esse me solum, qui hoc tribuam sacramentis Veterum. Nam Paulus ipse priore ad Corinth. cap. 10. ait, illos eandem escam manducasse, quam nos manducamus spiritualē. Item nobiscum eundem bibisse spirituales potum. Et ne ambigas, adiecit disertis uerbis, illos percepisse Christum. Nam ait: Bibebant de spirituali conseqente eos Petra: Petra autem erat Christus. His cum nihil apertius dici possit, abundè, si sapias te monitum puto, ne posthac ueterum sacramenta ita cõtemnas. Altera tua collatio est, quòd ministri præ cæteris debeant esse casti, quòd corpus Christi non solum edant, sed etiam, ut uerè dicis, conficiant: non enim aptius potuit significari tanta corruptio, atque perditio, quantam in suas missas per istam consecrationem, seu excantationem secretam panis & uini inuexerunt. Primum non negabimus, ministros Ecclesie cæteris debere sanctiores, & castiores esse, nec non omnibus uirtutibus magis ornatos, cum doceant alios: unde non solum uerbo, sed uita etiam illos oportet esse formam commissi gregis. Sed id, quod tu uideris per ista inuenire, minimè dabo, summam dignitatis ministrorum in eo sitam, ut panem & uinum, quemadmodum tu dicis, conficiant. Finis utique sacramenti est Eucharistie, ut edatur, & bibatur: quum, ut rem non ignores, extra usum non sit sacramentum: neque aliter è sacris literis unquam poteris euincere. Vos autem idè isti consecrationi, ut loquimini, tantum datis, quoniam infinita illic miracula per uestram mendacissimam

Ministros
ecclesie ca-
stiores &
sanctiores
cæteris es-
se oportet.

Abusus Eu-
charistie.

transubstātionē fingitis: quæ omnia, ut mēdacia sunt, uos quāmlongissimē abducunt à ueritate. Quid est aliud, quæso te, si sacras literas uelis consulere, administrare sacramenta, quāml uerba Euagelij recitare in sacro catu, & sacramenti partes, hoc est, panem & uinum ad manducandum & bibendum fidelibus proponere, memoriam Dominicæ mortis repetendo? Quòd si obstrepas etiam propter ministerium huiusmodi oportere illos qui sacris præsumt, absque coniugio esse, ut sua castitate ceteros uincant, respondebo, te nil aliud ex illorum functione ac præminētia posse colligere, quāml par esse, ut ipsi ceteris temperantius agant: non tamen ut omnino sint absque coniugio, quum Paulus ad Timotheum & ad Titum maritos quoque admittat ad sanctum ministerium. Atque, ut paucis dicam, est de coniugio, ut de opibus diuitijsq; huius mundi, ut de cibo & potu, atque alijs id genus. Clericis quidem concedo, mortificandas esse cupiditates circa hæc præ ceteris: non tamen dabitur, esse cogendos ut absque ullis opibus & facultatibus degant: decetque non solum ut à crapula, & ebrietate sibi temperent, sed etiam ab intempestiuis & comessationibus, & comotationibus, utque se ieiunijs & frugalitate exerceant frequentius, in matrimonio etiam temperatè degant, ut patitur illorum nature conditio, non tamen eo prorsus, quum opus habuerint, abstineant. Secundo loco rationem adducis ex uigesimo primo capite primi Samuelis, ubi legimus Achimelechū sacerdotem, cum diceret Dauidi, se non habere nisi panes propositionis ad manum, quos illi esuriēti dare posset, eos tamen se daturū testabatur, si pueri mundi essent à muliere. Sacerdos, inquis, iste sanctos panes dare noluit, nisi certior fieret de munditia illorum à cōiugum amplexibus, nedū alienarū.

Nónne itaque par est, sacrificos, qui ipsissimam carnem Christi comedunt, & pro uiuis & mortuis offerunt, maiori castitate ornari? Quid ista discrimina nunc ita oportuit exaggerari inter laicos & ministros? Nónne utriq; comendunt Eucharistiæ idem sacramentum? Quod si laici hodie non faciunt singulis diebus, antiquitus tamen comedeant: præsertim in Romana ecclesia ut Augustinus testatur, & Hieronymus, & Ecclesiastica historia. Quòd uerò ais carnem ipsam Christi à sacrificis offerri etiam pro defunctis, pessimum refers uestrum exemplū, & multarum maximarumq; superstitionum fomentum, Christus ipse obtulit semetipsum, neq; est, quòd alium sacerdotem asciscat, à quo patri offeratur. Ipse sacerdos est & hostia, & ut in epist. ad Hebræos legitur, una hostia consumauit omnia. Quòd si per oblationem seu sacrificium intellexeris memoriam illius hostiæ, quam ipse in cruce obtulit, & pro illa gratiarum actiones, ista non sunt propria ministris, cum etiam pertineant ad omnes fideles, qui unà cum illis communicant. Præit quidem uerbis minister, sed non solus illam memoriam celebrat. Præces quoque simul ab omnibus fiunt, qui sunt eiusdem mensæ participes. Verū qui pietatem ullam spirant, & sapiunt, nequaquam pro defunctis orant, ne purgatorij constabiliāt errorem, quē tu stultè defendēdo, nescio quæ ausus es deblaterare in domino Doctorem Coxum regiæ maiestatis eleemosynarium, Oxoniensis Academiæ tum temporis moderatōrē, utq; uos loquimini, cancellarium. Quæ ab illo cum uir sit grauis, pius, atque doctissimus, ego nunquam audiui proferri: quum tamen omnibus illis disputationibus, quas tu commemoras, semper interfuerim. Quare, uel illa tibi cōsuxisti, quum sis Vulcanus mendaciorum, uel saltem ita narrādo inuertisti, ut pro uerbis illius uiri, quæ tu refers,

Riccardus
Coxus An
glus Theo
giæ doctor

quantum ego arbitror, à nemine haberi debeant. Nec potuit sanè ille, quum undique te sit longè doctior, ita loqui, ut tu illum loquentem facis. Sed ab ingenio deduci non potes, quod tibi cum Harpijs commune est.

Caro Christi non potest à sacrificiis mortuis offerri.

Vt enim de illis dicitur, ita tu deuoras, quæ potes: alia uerò foedas, polluis, contaminas, quæcunque ullo modo attingeris. Nunc si potes, uel unum testimonium proferas, aut ex Euangelio, aut ex Apostolis, unde didiceris, carnem Christi hodie à sacrificiis offerri pro uiuis, & mortuis. Quod si fieri non potest, desine tandem mentiri.

Non quidem me latet, consueuisse antiquitus in ecclesia dum communio celebraretur, pro omnibus Deo gratias agi, qui in religione præcessissent, quòd dignatus est et usque ad finem illos constantes in fide seruare.

Vt autem à pœnis ullis, de quibus incerti sumus, liberarentur, precari nunquam uetustissimis illis ecclesie temporibus usitatum fuit. Verùm his omisissis, ad Achimelechum ueniamus, de quo tu, tuique similes tot ac tanta iactatis. Quomodo ex eo loco concludis tu, illum quaesuisse de Dauide, an pueri eius mundi essent ab uxoribus suarum amplexibus? Id scriptura non dicit, ipse hoc tua interpretatione assuis. Domo aberant, neque uerisimile est, secum habuisse in itinere uxores, quum Dauid sacerdoti dicat, se expedite, ac penè occultè arripuisse inter, puerisque certum locum condixisse. Fingebat enim regem sibi clam aliquid mandasse faciendum. Proinde non est uerisimile de uxoribus magis quàm de alijs mulieribus fuisse questionē. Dices fortasse Dauidis integros mores nõ uisos fuisse pati, ut de illegitimo coitu, siue scortatione quæreretur. Fac ita esse, non solum pro Dauide interrogat, sed etiam pro eius pueris: quos ex uerbis Dauidis intelligere poterat, toto itinere non iuisse cum illo, quo

Historia
Dauidis &
Abimelechi.

quo absente, aliquid fortasse peccare potuissent. Præterea quod etiam de alia immunditia quærere potuerit, quã de cõplexu legitimæ uxoris, ex eo licet cõijcere, q̃ mulieres quæ fluxum menstruum patiebantur, in lege fuerunt immundæ, atq; ita immudæ, ut quicumq; uel illas, uel uestimẽta, uel sellas, uel stratum earum attigissent, immundi efficerentur. Quod idem constitutum erat de mulierib. quæ peperissent, quoad abiissent dies à partu in lege definiti. Cũ itaq; tot aliæ contaminationes à mulieribus esse possint, quare tu, quæ dicuntur solũmodo ad legitimum congressũ coniugum detorquens? Præsertim cũ ex lege domini certũ locum ostendere non ualeas, quo (si hebraicam ueritatem sequaris) probes matrimonij usum reddidisse coniuges immundos. Scio te unã cum multis ex ueterib. in eo esse hallucinatum, quod istius rei putaris in Leuitico mentionem fieri cap. 15. Verum quæ ibi scribuntur, et uisa sunt multis huc pertinere, de semine dicuntur, quod ex dormiẽtib. interdum effluit. Inde uoluit lex, ut homines redderentur immundi. De coitu autem cum uxore, ne uerbum quidem licet uersio Latina eius meminerit. Sed ibi translator potius egit paraphrasten, q̃ interpretem: & quæ addidit ex suo, minimè sensui uerborũ legis cõueniunt. Atq; de hoc tibi nõ adducã testes cõmẽtaria Hebraica, ut possẽ, neq; Munsterũ, & Paulũ Phagiũ, uiros Hebraicæ linguæ peritissimos: quoniam testimonia huiusmodi fortasse contēneres. Monebo tantũ Cardinalẽ Caietanũ, Steuchũ, et Vapilũ, quos nos potes dicere Lutheranos, idẽ uidisse, ac in dicasse. Quod si me roges, quare deus in lege uoluerit sõniale, ut ita dicã, semẽ homines immũdos reddere, nõ autẽ legitimũ cũ uxore cõgressũ, respõdere (licet id in præsentia explicare, ut res postularet nimis longum esset) uno uerbo: Casus ille, de quo loquimur, quum in somnis acci-

Locus Le-
uitici de-
claratur.

Pollutio sō
nialis cur
in lege im-
mūdos red-
diderit.

dit nobis, inquam, & imprudentibus, & uolentibus, res est absque fructu, neq; finem assequitur, ad quem fuit ab initio condita. Nec enim semen homini ea de causa est attributum, ut sic inutiliter effundatur, cum inde procreatio legitima sequi non possit. Deinde hinc apparet nostra infirmitas: nam qui nostrarum rerum deberemus esse domini, easq; ita in nostra potestate habere, ut nobis nolentibus aut imprudentibus non exciderent, propter peccatum eò redacti sumus, ut multa quæ nollemus, inuiti patiamur. Quod ut est ab humana perfectione alienum, sic dum immunditia legis notatur, extimulat nos, ut liberationem ex corpore mortis huius uehementius optemus, Eandemq; rationem immunditiei mulieris à partu, & fluoris menstrui possumus assignare. Hac sanè pædagogia ueteres in lege docebantur. His etiam addere potest casum illum nocturnum sæpe accidere ob turpes cogitationes, quæ interdum præcesserint, aut ex intemperantia, uel cibi, uel potus, quæ culpa non sunt uacua, ideo hac immunditia in lege demonstrata, Deus nos uoluit culpam huiusmodi admonitos. Hæc autem uitia, cum ad conjugale opus non necessario adhærescant, ideo inter immunda non receduntur. Verum tu quoniam Hebraica nescias, & non solus, imò cum multis erraueris, facile quoad hoc à me ueniam impetras. Adhuc tamen uideo argumentum, quod ex facto Achimelechi, uel ex ista lege adducis, quæ testari uidetur, congressum legitimum cum uxore immundum reddere, nihil fermè ad tuam causam hoc nostro tempore pertinere. Quoniam fatearis, necesse est, legales immunditias Christi beneficio, & gratia minimè nunc habere locum. Dic obsecro, si forte fortuna murem attigeris, aut cadauer, nū tibi ea de causa iudicabis ab Eucharistia per septione temperandum? Id tamen in lege ueteri reddidit homines

Cur inter
 sacerdotes
 distinctæ
 fuerint ui-
 ces mini-
 strandi.

homines immundos. Quòd si hæc per Euangelium subla-
 ta sunt, etiam si darem congressum legitimum cum uxore
 in lege immunditiam peperisse, cur hæc unam inter alias
 uis adhuc uigere, nimirum, ut nostro tempore coniuges
 post legitimam commistionem reddantur immundi? Pro-
 fectò etiam si olim sub lege sic fuisset, tamen hodie debere
 minus censi liberi. At cum sub lege, ut dixi, nõ fuerint im-
 mundi, certè nunc multo minus pro immundis haberi de-
 bêt. Ex Dauide autem, cum in itinere esset, potissimũ qua-
 siuit sacerdos de immunditia mulierum, quòd ea domi fa-
 cilis caueatur, quàm dum peregrinando in diuersorijs
 homines esse coguntur. Ibi enim facile fit, ut mulieres ob-
 fluorem menstruum immundæ, aut non dum, quantũ lex
 precipit, à puerperio purgatæ ministrãdo aut ipsos, aut
 uestes, aut cibos attingant, unde qui peregrinabantur, im-
 mundi reddi potuerant. Postremò uehementer admiror
 quomodo ipse non uideris, hanc ipsam rationem, quam
 pro te adducis, maxime contra te facere. Si enim dum ha-
 buerunt suam uim hæc legales immunditiæ sacerdotibus
 non fuit à matrimonio abstinendũ, hodie cum sublata sint
 quare ministros Ecclesiæ sic arcetis à coniugio? Ne mihi
 dixeris, quoniam ueteres habuerunt suas uices, & diu po-
 terant à sacro ministerio uacare: quod nostris non acci-
 dit, qui astringuntur quotidie ministrare. Non uos absol-
 uit hæc responsio. Primum quoniam serò fuerunt illæ ui-
 ces sacerdotum per Dauidem & Salomonem institutæ.
 Siquidem antiquitus cogebantur fere quotidie sacerdo-
 tes ministrare. Neq; uices illæ sacerdotales ideo fuerunt
 inuectæ, quemadmodum uos fingitis, ut ministerij tempo-
 re sacerdotes ab uxoribus abstinerent. Id enim è scriptu-
 re uerbis nusquam habetis. Sed potius id uidetur factum
 ut inter ministros Dei certus ordo seruaretur. Vnde que

libet familia eorum ad honorem ministrandi Deo interdū
 admitteretur: quod non fuisset, si perpetuò unus aut al-
 ter in tabernaculo sacra peregisset. Omnibus uisum est,
 ut honor haberetur, & nulla sacerdotalis familia erat
 prætereunda, maximè cum ex oblationibus & sacrificijs
 aliquid emolumenti semper illi sacerdoti, qui ministrabat
 coram domino, accederet, cuius omnes, cum essent per ui-
 ces distributi reddebantur participes. Conducebat præ-
 terea hæc alternatio sacri ministerij ad hoc, ut familie
 cuique daretur spatium, & quies, ut rem familiarem sa-
 cerdotes possent administrare. Neq; uideo quomodo abs-
 te uerè dicatur, nostros ministros debere quotidie sacris
 functionibus incumbere. Te ipsum rogo, quādo eras Oxo-
 nij, q̄ frequenter populo sacramenta ministrabas? Quod
 si tibi uacabat conuiujs, & comotationibus, ut cætera
 taceam, serè quotidie interesse, dic quaeso, quomodo non
 uacasset uxorem legitimā habere? Certè quilibet ex tuis
 congeronibus, dum hæc tua leget, faciliè dicet secum, ad
 populum Phaleras, ego te intus & in cute noui. Sed ut tū
 finem faciam de hoc argumento plura dicendi, quæ attu-
 li, paucis colligam. Primum accipis Achimelechum inter
 rogasse, an mundi essent ab uxoribus, quod in sacro tex-
 tu non habetur, quum simpliciter dicatur à mulieribus.
 Sumis præterea iuxta legem ueterem fuisse immundum
 legitimum congressum cum uxore, quod nusquam pote-
 ris demonstrare. Vis deniq; conficere propter hanc im-
 munditiam debere nostros ministros esse absq; coniugio
 cum potius ista de causa ueteres sacerdotes debuisset esse
 cælibes, quorū tēpore ille immunditiæ legales habuerūt
 locū, quæ nostra tempestate sunt per Christum sublata.
 Ad historiam Achimelechi adijcis Pauli uerba, quæ scripsit
 in 1. ad Corint. ca. 7. Ne fraudetis inuicem, nisi si quid ad
 tempus

tempus ex consensu, ut uacatis ieiunio, & precibus, &
 redite in id ipsum, & c. Hinc tu sumis coitum quantum
 uis legitimum impedimento esse, ne Deum præ dignitate
 oremus: & quum nostri sacrifici debeant parati esse ad
 orandum pro populo sibi commisso, iure meritoque de-
 buisse constitui, ut sint absque coniugio. Hic primum te
 scire uelim, quod si de communibus et usitatis precibus lo-
 quamur, cum illæ debeant ab omnibus Christianis perpe-
 tuò coram Deo offundi, si conjugali mistione impedirentur,
 nullus Christianorum licite posset sua uxore unquam
 uti. Dicit Christus in i. s. Luca: Oportet semper orare, et
 nunquam defatigari. Et Paulus habet priore ad Thessa-
 lonicenses capite quinto: Sine intermissione orate. Qua-
 re non est dicendum, intellexisse Apostolum preces com-
 munes, & quotidianas, quando ait Corinthijs, licere ut a-
 liquando uacent ab opere coniugij ob preces: sed loque-
 batur de his, quæ interdum summa religione indicuntur ob
 aliquam necessitatem populi, uel ecclesie, quæ magni sit
 momenti, Atq; ita esse patet ex eo, quod illis ieiunium cõ-
 iungit. Scimus autem, cum apud Hebræos, tum in Eccle-
 sia nostra consueuisse aliquas preces & uehementes, &
 serias interdum suscipi: in quibus ieiunabatur: ibiq; propheta
 monebat, ut spõsa de thalamo suo egrederetur, uolebatq;
 sanctificari ieiuniũ, et ad cinerem, et ciliciũ omnescõfuge-
 re, quò magis ad Dominum in fortitudine clamaretur.
 Hoc precum genus haud quotidie fit, neq; ulterius, q̃ ad
 unum diem, uel ad biduum, seu ad triduum summum ex-
 trahitur. Fit etiã ut quãdoq; priuati homines, ob aliquas
 iustas causas in sua familia preces instituãt, & ieiuniũ ad
 aliquod tẽpus, ut Esther domi suæ fecit, Dauid à Nathane
 propheta correptus, et Achabus ab Elia reprehensus. De
 his itaq; precibus credendũ est, Paulũ tũ egisse. Nã si de cõ-
 muniibus & usitatis ibi loqueretur, omnes, ut dictum est,

Christiani deberent uxoribus carere, cum omnibus, ut sancta scriptura precipit, assidue sit orandum. Duo preterea in illis Pauli uerbis debuerant annotari: unum, id ab Apostolo non iuberi, ut à coniugibus fiat, imperat quidem ut se mutuo ne fraudent: deinde monet, posse intercedere aliquam intermissionem, aut uacationem ab opere conjugali, sed quæ non fiat nisi consensu mutuo: et addit particulam, si quid, subiicitque, ut ad idem reuertantur: quæ inuicem non fuisse diuturnas illas preces, de quibus agebat. Alterum, quod preteriri non debuit, est, quod additur ieiunium: dicit enim: Ut ieiunio et precibus uacetis. Si quidem ut abstinentia ab opere conjugij, sic etiam ea, quæ est à cibo et potu, iuuat preces, illasque reddit contentiores. Unde cum Paulus ista duo iungat, cur Smythæus et eius complures tantum à ministris auferunt matrimonium, non autem cibum et potum? Etenim si ratio ualet, quam ex his Apostoli uerbis adducunt, ita de ieiunio est intelligenda, ut de separatione à complexu coniugum. Erit itaque sacrificis ira perpetuo ieiunandum, ut perpetuo carendum uxoribus. Si autem respondeant id humanam naturam minime pati, ut semper ieiunetur, idem nos dicemus, non pati eandem hominum naturam, ut sint omnino absque uxoribus. Quod nimis, proh dolor, firmiter probant, sacrificorum assidui lapsus, et continuæ adustiones. Proinde sciant docti piique, ministri quum habuerint coniuges, tempora captare, suas actiones ad functionem iniunctam sic adaptare, ut et non sit uxoribus perpetuo carendum, neque à suscepto ministerio desistendum. Fatemur quidem conjugale opus, cibum et potum omnesque uoluptates corporis, quantumuis honestas, mentem non nihil distrahere ab attentione atque contentione precum, cum tamen inde non sequatur ab his perpetuo abstinentiæ: quod

quod alioqui interdum ad unum aut alterum diem fieri debet, mirum quando maiori studio uidetur esse orandum. Hoc modo inuenies Deum præcepisse in Exodo, cum esset ascensurus in montem Sina, & legem laturus, conspiciendusq; ac audiendus ab uniuerso populo, ut Israelitæ uestes lauarent, atq; triduo ab uxoribus absterent. Argumentatus est itaq; Smythæus à secundū quid ad simpliciter, ut aiunt dialectici. Ex eo enim quòd Apostolus monet, ut aliquando abstineatur, ille colligit semper esse abstinendum, & omnino matrimonio carendū. Itarattocinari putat sibi licere. Et ex eo, quòd sacerdotibus, ut dicit, præ cæteris debeant esse ad preces perpetuò intenti, ab uxoribus oportere semper arceri. Et non uidet eadem ratione, ut demonstraui, fuisse illis perpetuò ieiunandum. Potuissem hîc etiam commemorare infinitum esse numerum illorum, quos isti dicunt sacerdotes, qui iuxta, aut quater in anno publicas preces corâ populo habent, neq; se aiunt ad id astringi. Quare oportebit Smythæum uel illos ex albo cleri expungere, uel eis matrimonium concedere. Nam summotâ causa, non est necessarium ut retineatur effectus. Sed quoniam iste ad hæc iam occaluit, & præ silice obduruit, ea sanioribus expendenda relinquere statui.

XII. OBIECTVM.

Itaq; tandem astruis, Ecclesiam catholicam (quòd est K. 2.) non hoc tantum tuum dogma, sed reliqua omnia dantur, aberrare, atq; amplecti errata subinde, quòd facit in hac, inquis, controuersia de celibatu clericorum. Quàm tu erres hîc Petre turpiter, uel quæ hîc compendio subnectuntur reuincunt. Nonne promisit Christus, qui ueritas est, portas inferorū, hoc est, hæreses & uitia latifera, quibus itur ad inferos, non esse praualituras ad-

uersus Ecclesiam suam? Quomodo itaq; uniuerse simul Ecclesie aberrabunt à fide Christi? Quid enim est Ecclesia portas inferorū praualere, si id non sit? Deinde pollicebatur Christus se futurum cum Ecclesia usq; ad finem mundi. Quomodo liberasset Christus hanc fidem, atq; stetit promissio si errauerit, atq; adhuc erret Ecclesia uniuersalis & catholica? Poteritne illa à fidei ueritate tota recedere, cū qua perpetud est ipsa ueritas? Ad hæc promisit Christus Apostolis suis, se his demissurum spiritum ueritatis, qui omnia eos doceret, atque maneret cum eis in æternum. Hoccine est spiritum ueritatis adesse indefessim Ecclesie, pati eam labi in fœdos errores, totamq; à fide & pietate desectere? Poterintne illuc irreperere, ibique grassari funesti errores contra fidem Christi, ubi ueritatis spiritus præsidet ac sedet à gubernaculis? Accedit his, quod Christus, ut author est Paulus tantopere dilexit Ecclesiam sponsam suam, ut pro ea sese litaret Deo patri. Et tamen passus est eam tam multis retrò annis ad eò crassis & fœdis implicari erratis? Estne hoc tam flagrantis & rari amoris specimen? Postremo Ecclesia, ut ait Paulus, est columna & fundamentum ueritatis. Qui ergo fieret ut illa uniuersa erret & prauaricaretur ab ipsa fidei ueritate? Quin eritne fundamentum ueritatis superstrui hæresis, aut columna, & basi ueritatis inniti impius & exitiosus error quispiam? Nonne inter se ueritas & falsitas pugnant ac diuersa sunt, ut in una sede morari aut consistere nequeant? Nonne fefellit nos Christus, cum dixerit se fore in medio duorum uel trium in nomine eius congregatorum? si ut synodi in quibus multæ fuerint congregatarum turarum hominum à fide aberrarint, quando quæ tu tuiq; similes damnatis, decreuerunt. Precarúsne est Christus pro Petro ut non deficeret fides eius? Exorasse eum quis ibi inficias postquam ipse dixerit patrem suum se semper audire, & Paulus nunquam non exaudiri pro sua uerentia? Proinde dic mihi, quomodo catholica Ecclesia, pro qua Christus orauit, qui non est passus repulsam, sed semper impetrauit quod petijt, tot centenis annis fides defecisset? Et mox. Quo igitur ore fueris, qui dixeris cælibatum sacerdotum, monachorum, & nonnarum, quem ab ipsorum Apostolorum, imò Christi temporibus hucusque Ecclesia approbavit, amplexa est,

K. 3

est, exercuit, bonæ uitæ mortaliū aduersari? Nunc excu-
 tiamus Petri istius testimonia, quibus subnixus affe-
 rit errare catholicam Ecclesiam. Allegabat illud Mat-
 thæi uigesimoquarto. Surgent pseudoprophetæ &
 pseudochristi, & dabunt signa magna, & prodigia. ita
 ut inducatur in errorem, si fieri potest, etiā electi. O ho-
 minis cecā inscitiam, qui quod de temporibus Antichri-
 sti tantum, deq̄, tunc futura persecutione, & tentatione
 dictum est, ut Chrysoſtomus optimè interpretatur,
 imò contextus ipse palam edocet: is id refert ad nostra
 hæc & propria tempora, cum tamen si spectaret ad hoc
 tempus, nihil hinc haberet prorsus suffragij ad suam cō-
 ſtituendam opinionem plusquam impiētissimam. Nam
 siuge iam tam magna fieri signa & prodigia ab impijs
 pseudoprophetis, & pseudochristianis, qualis tu, Pe-
 tre, es, ut si fieri potest, seducantur etiā electi, quid
 tū uis hinc inferre, catholicam Ecclesiam errare in fi-
 de? Quam speciem, quæso, bonæ & iustæ collectionis
 habet hæc ratio tua? Nōne his uerbis uoluit Christus
 significare electos non posse ulla ui tentationum sedu-
 ci? Et idē docet hic locus totam Ecclesiam non posse
 errare. Diuus Chrysoſtomus enarrans illud Pauli, Nam
 mysterium iniquitatis agit, &c. quod tu allegasti, quo
 probes Ecclesiam uniuersam errare, sic habet: Nero-
 nem hic dicit, tanquam typum Antichristi gerentem:
 nam ille n̄ olebat reputari Deus. Idem habet Theophy-
 lactus. Primatus Augustini discipulus intelligit Anti-
 christi præcursores, quia iam Antichristi sunt, ut ait
 Ioannes, multi. Adde his quod Sedulius Hiberniensis
 ait, hoc dixisse Paulum, quod Antichristus operetur per
 membra sua mysterium iniquitatis qui falsis doctrinis
 perniūm faciunt iter eius. Iam dic mihi Petre, quonam
 pacto liceat tibi ex hoc Pauli contextu colligere catho-
 licam seu uniuersalem Ecclesiam errare in Christi fide?
 Nunquid probè sic collegeris: Nero typum gerens An-
 tichristi operabatur tempore Pauli mysterium iniqui-
 tatis, ergo catholica seu uniuersa Ecclesia errat in fide?
 Vel Antichristus iam agit per sua membra mysterium
 iniquitatis, igitur tota Ecclesia aberrat à fide? Qui un-
 quam audiuit aut legit huiusmodi argumentum uel à
 mediocriter docto theologo contextum?

An Eccle-
sia possit
errare.

Cum ista obijcis, apertè demonstras, quid per Eccle-
siam intelligas, nimirum colluuiem Romanorum ponti-
ficum, cardinalium, episcoporum, & magistrorum no-
strorum, synodos quascunq; & absq; ullo discrimine, scri-
pta Patrum, addas etiam consensum aliquè principum,
& popelli, seu plebecule parum in uerbo Dei per ue-
stram, negligētiamne an malitiam dixerim, doctæ ac e-
rudite. Nam multitudinem hominum indigestam cum
Ecclesiam appelles, non pateris eam ullo modo in simu-
lari erroris, præsertim quoad fidem, & ea quæ sunt ad
salutem necessaria. Quæ in re ut uehementer erres per-
multa facillè demonstrant, quæ in hac tua Ecclesia suc-
runt sæpius & decreta & recepta. Per eam purgato-
rium est constitutum, cultus imaginum confirmatus, in-
uocatio mortuorum constabilita, sacramentum Euchari-
stie mutilatum, tyrannis Papæ admissa, idololatria de-
testabilis erga panem & uinum in eucharistia inducta,
missarum priuatarum abusus, & deniq; me tempus defice-
ret, si uellè omnes eius scædos & turpissimos lapsus com-
memorare. Atq; cum sæpe Concilia pugnent cum conci-
lijs, & Patres cū Patribus etiam in his quæ ad fidem atti-
nent, quomodo ab erroris labe absolues Ecclesiã, si per
istos tuos Ecclesiam pergas intelligere? At si per Eccle-
siam accipias uocatos per Christum, qui uerbo Dei ut so-
lido firmoq; fundamento inuituntur, & rectam sacramē-
torum administrationem retinent, neq; disciplinam Euan-
gelicam contemnūt (quæ sanè congregatio non locis, non
cathedris, neq; huius mundi rebus est alligata) ea re uera
ita non potest errare, quin statim à spiritu per uerbum
Domini reuocetur in uiam. Constat quidem ipsa quoque
ex hominibus, qui cū adhuc grauentur carne, sæpius ab-
ducuntur

ducuntur à uero: sed id non est perpetuum, & ubi conti-
 gerit non multo post emendatur. Atq; ita facile concedo
 portas inferorum aduersus hanc Dei Ecclesiam non præ-
 ualere. Quòd si eam tuam Ecclesiam, quam potius Ec-
 clesie Laruam dicas, respiciamus, nunquam ipsam uide-
 bis portas inferorum non succumbere, tam in dogmatis
 & prauis opinionibus, quam in corruptione & turpitu-
 dine morum. Quod non modò Romæ hodie apparet, &
 in Ecclesijs, quæ à Romana pendent, sed etiam in Ecce-
 lesia uisum est, quæ olim fuit inter Iudæos. Cuius externa
 facies, quam pontifices, sacerdotes, scribæ, pharisæi refe-
 rebant admodum foedata erat. (Illic enim fuit religio, &
 diuinus cultus ita deprauatus, ut idololatria, hypocrisis,
 & persecutio sanctorum prophetarum ubiq; fermè ob-
 tinuerit, sanctis & pijs, qui uera erant Ecclesia, ubique
 depressis, & conculcatis) Nõnne ea Ecclesia fuit quæ
 Christum abiecit, damnauitq; ipsius doctrinam, hoc est,
 sanctum Euāgelium, & Apostolos à se ad gentes ui per-
 secutionum propulit? Quo tamen tempore sancti fuerūt
 uiri, qui purum Dei cultum retinere conati sunt: neque
 defuerunt prophetae, qui & corruptos reges, & uitio-
 sos pontifices, malosq; sacerdotes grauissimis increpationibus
 Dei nomine exagitabant. Quod & nostris tempo-
 ribus euenisse, quis non uideat? Cum enim plantata ab
 Apostolis fuissent per orbem passim Ecclesie, diabolusq;
 super seminasset statim zizania, uarijque ac multi plices
 errores ab Antichristi ministris ubique spargerentur,
 ita ut maiorem partem Christianismi occupauerint,
 quemadmodum apud Hebræos minima pars hominum,
 eaque abiecta & contempta mundi iudicio sanam
 profitebatur doctrinam: ita nostro tempore qui bene
 senserunt, & impijs abusibus dum auerentia recla-

mabant, cum pauciores essent, & numero, & authori-
 tate mundana sepius uincebatur. Nunquam tamen de-
 fuerunt, qui recte senserint, & qui puram Christi doctri-
 nam uel usque ad sanguinem & mortem defenderint. Nec-
 que inter illos & hypocritas aliunde potest discrimen ac-
 cipi, nisi quod ut isti uerbo Dei, ut unico solidoque funda-
 mento semper nitentur: sic illi semper conati sunt hu-
 manas traditiones, & literis diuinis repugnantes defen-
 dere. Itaque non est, quod clamites Christum non libera-
 se fidem, si Ecclesiam tam diu permisit errare. Id enim,
 ut soles, falso nobis affingis, quod ueram Christi Eccle-
 siam in errore iacere asseramus. Qui enim potest in er-
 rore manere ille sanctorum coetus, qui nihil ample-
 cti uult ut ad salutem necessariam, & quasi Dei cultum
 quod ex sacris literis non decerpatur? Erras etiam,
 quod arbitraris nos dicere simul uniuersas orbis Eccle-
 sias errasse, ac nunc in errore uersari, quod controuer-
 siam de uotis calibatus clero tyrannice obrusis, cum ad
 nobis hoc non dicatur, neque uere dici possit. Siquidem
 innumeræ hodie per orbem sunt Ecclesie in Græcia, in
 Asia, in India, & alijs prouincijs, ubi ministris licet uxores
 habere. Tu uero per catholicam & uniuersalem Ec-
 clesiam maxime intelligis Papisti cam: quasi omnes, qui
 cum ea non faciunt, ab Ecclesia Christi sint alieni. Nec
 tamen Deus Ecclesiam Europæ nostræ credendus est
 deseruisse, cum semper in ea permultos excitet, qui re-
 sistunt impietati, fortiter clamant, scribunt, & concio-
 nantur. Quin & in ipsa Tridentina synodo fuerunt po-
 stremo tempore, quibus ea non probabantur, que illic
 acta sunt. Bocemi etiam, qui partes erant Ecclesie Ro-
 manæ, quoad multa illi resisterunt, & reclamauerunt.
 Germani sunt subsequuti, & Dani & infiniti penè alij
 principatus.

principatus. Inclitum postea hoc regnum Angliæ Romanæ superstitionis atque tyramidis iugum feliciter abiicit. Per uniuersam Italiam & Galliam sunt innumerabiles cœtus piorum atque sanctorum hominum, qui rectè sentiunt. Et antè nostra tempora Græca Ecclesia, hoc est, Constantinopolitana, in multis Romanis episcopis restitit. Sed quia nimis longum esset omnia recensere, quæ huc pertinent, ideò mihi temperabo, ne sim nimium prolixus. Lector in historijs multa per seipsum faciliè poterit obseruare. Mihi uerò nunc satis erit uno uerbo dicere, Christum liberasse fidem suam, neque passum ut portæ inferi contra ueram Ecclesiam præualerent, licet in hypocritica & externa passim regnent & triumphent, ubi zizania uincunt bonum semen, & paleæ sunt plures, quàm grana tritici. Cum suis nihilominus est Christus usque ad finem mundi, quemadmodum fuit ab Adamo usque ad ea tempora, quibus è uirgine dignatus est nasci. Ecclesiam ueram nunquam deseruit, licet hypocrisis phariseorum & scribarum, humane traditiones pontificum, & idololatria in populo ac externa Ecclesiæ faciè palàm grassaretur, obtinerentque omnes illæ peruersæ legis interpretationes, quas Christus in Matthæo præsertim quinto & sexto capitibus & alibi oppugnat. Promisit spiritum sanctum Ecclesiæ atque suis fidelibus, illumque dedit, à quo diriguntur in omnem ueritatè, quando ex illo agunt. Sed quia nō semper in omni sensu & actione, ne pij quidem illo spiritu aguntur, ideò interdum errant. Sic Petrus est lapsus & Pauli correctione opus habuit. Ita Cyprianus de baptismo repetendo, quādo fuisset datus ab hæreticis perperà sensit, & necessaria fuit aliorum sanctorum emendatio.

Aliaq; permulta huius generis facile occurrunt, quæ co-
 mmitto. Sed hoc pro certissimo habendum est, ueros Chri-
 sti cætus, electorum, inquam, & sanctorum, non deserit,
 ut uersentur in erroribus noxijs. Ita cum multæ Eccle-
 siæ penè totæ Arianae essent, quoad numerum hominum
 & episcoporum, sub Valente Imperatore atq; alijs qui-
 busdam principibus, attamen semper Ecclesia Christi
 agnoui, & confessa est ueritatē. Coluonna uerò & fun-
 damētum ueritatis à Paulo dicitur, quia spiritui Christi
 & uerbo Dei firmissimè inhaeret. Hinc petendum est, ut
 iam diximus, apertum & certū discrimen inter ueram
 Ecclesiam, & hypocriticam. Vnde uestra papistica sy-
 nagoga, cum uerbum Dei passim auersetur, & abroget,
 qualis sit, manifestè se prodit. Miraris, quomodo super
 fundamento ueritatis hæresis superstruatur, aut exitio-
 sus error: cum nos hoc non affirmemus, & edificari posse,
 hoc est, uerè confici, concludi, aut inferri hæreses & exi-
 tiosos errores ex uerbo Dei, quod est solidum Ecclesie
 fundamentum. Licet interdum super ipso Christo, id est,
 ab hominibus, qui credunt in illum, & ipsum proficiuntur,
 aliqua doctrina inutiles, & in fructuose potuerint ma-
 lè edificari. Et Paulus priori ad Corinthios dicit, alios
 inueniri, qui aurum & argentum, & lapides pretiosos
 edificant: alios uerò qui ligna, foenum, & stipulam ex-
 truuunt. Sed tu finem utriusq; edificij cogites, qui ibi de-
 scribitur, & intelliges, quam malè uobis, ac uestris do-
 ctrinis consulatis, quotquot ita contentiose super stitio-
 nes defenditis. Nos uerò illis qui nonnihil errant & edifi-
 cando, & nihilominus fundamentum, hoc est, Christum,
 seu uerbum Dei retinem, saltem quoad prima nostræ sa-
 lutis capita, Dei misericordiam non negamus cum Pau-
 lo, ueruntamen ita, ut ille prauæ ac inutiles illorum do-
 ctrinae

Erina ac opiniones igne diuine reuelationis, atq; iudicij consumantur. Attamen uos, qui clauem scientie tulistis, & ipsi non intratis, neq; alijs intrare permittitis: imò fr̄ quēter ueritatem cogitam oppugnatis, non est, nisi sententiam mutaueritis, quòd ita salutem uobis publice amini. Vestra ignorantia nimium est, mihi credite, inexcusabilis. Veritatem & falsitatem, ut ipse tibi accipis, plurimum inter se pugnare concedo. An uerò in eadem sede cōmorari possint, quoad eius diuersas partes, non negauerim. Quemadmodum in Ecclesia quoad externum aspectum multos esse, qui decipiuntur, dabo: & rursum alios proferam, nimirum electos, qui ab errore seruantur: etsi, quoniam sunt homines, per infirmitatem labantur interdum in errores, usque in finem minimè deseruntur. Est sanè Christus inter suos ut obijcis, præsertim quando in eius nomine conueniunt. At synodi, quas mihi commemoras, non semper quoad omnes partes in nomine Domini congregabantur. ibi multi sæpè exagitabantur prauis affectibus, quod negari non potest, cum legamus in synodo Nicena quæ habetur sanctissima, episcopos, qui conuenerant, ad eò fuisse impotentes, ut, quodammodo relicta causa, propter quam accesserant, sese mutuò proscindere cœperint libellis accusatorijs Constantino principi optimo, qui præsidebat, oblatis. Et in Ephesina synodo Cyrillus Alexandrinus, & Ioānes Anthiochenus patriarchæ uia inter se rixati sunt, ut se inuicè deponerēt ac excōmunicarēt. Dicēsne, quicquid in his Cōcilijs est factū, habendū esse ut à Christo decretū? Quin potius reuocas, quæ ibi acta sunt, ad uerbū Dei, ut illo tanquam Lydio lapide facile deprehendas, quæ sint adulterina, quæ legitima? Putauit se Cyprianus cum suis episcopis in nomine Domini conuenire ad synodū: in qua tamen de-

Non omnes synodi conueniunt in nomine Domini.

finitum est, quod post oportuit retractari. Secunda Ephe-
 sina synodus existimabatur in nomine Domini coacta,
 & tamen Eutychetis errorem confirmauit. Quid di-
 cam de Ariminensi synodo, quæ cum Ario fecit: de se-
 cunda Nicena, ubi cultus imaginum turpiter est defen-
 sus? Quas ita synodos errasse quandoque ideò contigit,
 quòd non omnes qui accedebant, semper consenserint,
 & uerè conspirauerint, idq; in nomine Domini: quod
 illi soli faciunt, quibus nihil aliud est uiuere, quàm ipse
 Dominus. Quare locus qui abs te adducitur, maximè
 stat à nobis, quia numerus minimè spectandus est, aut
 dignitas illorum qui consentiunt & petunt. Nam e-
 tiansi duo sint aut tres, modò uerè credant, & in nomi-
 ne Christi petant, audiuntur. Propterea cum semper
 aliqui boni sint, pij, sancti, ac electi, qui à Domino pe-
 tant, & in nomine illius conueniant, etiamsi damnentur
 ab exteriori Ecclesia numerosissima, & splendidissima,
 non contemnantur à Deo. Scio Christum pro Petro o-
 rasse, ut fides eius non deficeret, quæ tamen non ita sem-
 per fuit constans & solida, quin interdum sit lapsus.
 pro Ecclesia item orauit Christus, & est auditus: quo-
 niam, ut sum testatus, uera Christi Ecclesia electorum
 etsi quandoque offuscatur, nunquam tamen relin-
 quitur in errore: quod in Petro, quem commemorasti,
 liquidò apperet. Quòd uerò ais monachorum, non-
 narum, & sacerdotum uota celibatus, à temporibus
 usque Apostolorum & Christi fuisse probata, certò sci-
 to me tibi non credere: ideòque uel probes, quod iactas,
 uel desinas tam futilia & Thraonica blaterare. Dum
 Ecclesiam hanc externam errare posse ostenderem, si
 locum ex Matthæi uigesimoquarto citauis, non id inui-
 ria feci: cum ibi dicatur usque adeò inualituras esse
 tentationes,

tentationes, ut seducantur, si fieri possit, etiam electi. Deinde adieci, fidem adeò esse labefactandam, ut Christus dixerit, Quando filius hominis ueniet, putásne fidem inueniet super terram? Hic mihi tua fibrilia sophistica obstrepis, & ista contendis reijcienda in extrema tempora, quando Antichristus apparuerit: quasi nunc non sit extrema hora, & quod tunc maximè fiet, nunc bona ex parte non possit accidere. Illi ijdem Patres, quos ut sententiæ tuæ fauentes adducis, scribunt Antichristum suos habere præcursores, & sua membra, per quæ agat, & cœpisse opus sum iniquitatis ab Apostolicis temporibus exercere, cum multi pseudoapostoli, & pseudoprophetae, atque fallaces prædicatores Ecclesiam tum temporis turbarint, & simplices uitiosa doctrina seduxerint. In me clamas, quòd ipse sim pseudopropheta, & seductor. Verùm ut lis nostra finiatur, ad communem iudicem adeamus, nempe ad sacras literas. Cupio equidem explorari diligentissimè, an ab illa uerbi Dei certa regula aberrem, & ibi corrigi non recuso. Verùm tu, cum ad traditiones & hominum commenta semper te recipias, cuiusmodi sis facile prodis. Christus, inquis, illis uerbis, ut seducantur, si fieri possit, etiam electi, manifestè ostendit ulla uigentationum eos non posse seduci: atque ita docemur, Ecclesiam totam in fide non posse errare. Quid hæc obsecro, faciunt aduersum me, qui utrunque fateor? Electos enim aio, licet, ut homines, quandoque labantur, non tamen in errore deseri, saltem cum moriuntur: extrema nempe illa hora non destituuntur misericordia Dei, & si quid errauerint, corrigunt, & agnoscunt, quid ad salutem sit necessariam. Idq; non dubito Cypriano euenisse, cum denique pro Christi nomine uitam poneret.

Libenter etiam concedo, totam Ecclesiam non errare. Nam sepius dixi, permultos esse bonos & sanctos, qui uestra horrenda superstitioni se opponunt, & ut possunt, uehementissimè reclamant. Vtq; paucis dicam, quæ uisq; citauit, aut ex Matthæo, aut ex epistola ad Thessalonicenses, quò probarem Ecclesiam, ut de ea tunc loquebar, exteriorem errare posse, quicquid ipse cõsingas, & rectè, & appositè adduxi. Quæ tu dum accipienda esse tantum de extremo tempore, cum Antichristus uenerit, affirmas, frustra à laboras. Nam si tunc bona Ecclesiæ huius externa pars, imò maxima falli poterit, quare nunc præsertim cum ad ea tempora quotidie magis accedamus, non poterunt seduci multi, qui uersantur in Ecclesia, imò eorum maior pars. Eas hodie in Africam, Ephesum, Smyrnam, Hierosolymam, & uideas, quomodo illic habeat Ecclesiæ Christi. Videbis planè, quàm bene multa pars earum falli ac seduci potuerit. Si Nero tempore Apostoli crudelissimè Christianos persequeretur, quod hodie facit Papa cum suis satellitibus, siquidem is nonne igne, ferro, flammis, & omni poenarum & cruciatuum genere in professores Euangelij seuit? Nero uoluit ut Deus coli: hodie Papa ut Deus adoratur: illiq; ad pedes osculandos in ipso templo Dei homines prouoluuntur. Nonne pseudoapostoli, pseudoprophetæ, ac mali concionatores tunc omnia conabantur uitare atq; corrumpere? Cur hodie ista negas posse fieri? Si dum uiueret Paulus Galatarum Ecclesiæ penè seducta erat, quæ diu bene cucurrerat, quare hodie bona pars Ecclesiæ non potuit esse decepta? Si Paulus dicit se timere, ne Corinthiorum Ecclesiæ, quam ille cupiebat Christo, ut uiro cõiungere, uirginè castam, à serpente ut Heua seduceretur, quid mirum, si hodie, quod Apostolus timuit, bona ex parte usu

uenit?

uenit? Non ego tam insulse colligo, quam ipse fingis. Nō dico, Nero persecutus est Ecclesiam, ergo illa quæ est catholica, seu uniuersalis errat. Vel, Antichristus iā operatur mysterium iniquitatis per sua membra, ergo tota Ecclesia à fide aberrat. Ipse mihi hæc impingis: quàm uere Dominus iudicabit. At dixi, cum Christus nos monuerit, tantam fore tentationem, ut seducantur fermè omnes. etiam electi, si fieri possit: cumq; ab eodem sit dictum, Putas filius hominis cum uenerit, fidem super terram inueniet? esse manifestum, bonam Ecclesiæ partem, imò maiorem, si externam respicias, & non contrahas ad electos, errare posse. Nam quod Christus prædixit fore, non tantum possibile est, sed omnino fiet. Et ne ista, quæ adduxi, reijcerentur prorsus, quemadmodum tu facis, in extrema tempora, ostendi iam Antichristum operari cœpisse mysteriū iniquitatis usq; à temporibus Pauli. Quod quæ ratione tu solum ad Neronis persecutionem reuoces, nō uideo: cum Ioannes agens de malis dogmatibus, quæ de Christo spargebant pseudoapostoli, dixerit sua tempestate multos Antichristos esse. Quamobrè toto hoc tuo conatu, quo ad rauiū usq; in me clamasti, nil aliud es cōsecutus, quàm ut mēdacia tua magis patefeceris. Quàmquam ut non ignores, locum illum ad Thessalonicenses maxime significare Papiisticam tyrannidem, hic te monebo. Quid enim uoluit aliud Paulus, cum diceret, qui tenet, teneat adhuc: id est, uigeat adhuc aliquanisper Romanum imperium, quod modò rerum potitur, donec de medio fiat, & inclinēt: quod tunc contigit, cum imperatores deserta Roma, Constantinopolim cœperunt colere: deinde maxime, cum imperium ad Germanos translatus est, saltem quoad nomen, tū filius ille iniquitatis & perditionis sese declarauit in templo Dei, Papa inquam, qui

cepit ibi sedere, atq; pro Deo coli & adorari. Myſte-
rium quippe iniquitatis à primis temporibus cepit ope-
rari, ſed occultè: uerùm ſub Phoca uerè ſeſe manifeſta-
uit. Vide itaq; Smythæe, ut iſta bene conſentiant uerbis
Apoſtoli. Quod ſi adhuc intelligere non potes, Deus tibi
cordis oculos dignetur aperire.

XIII. O B I E C T V M.

E. 4.

Nec iſtorum cauſam quicquam iuuat, quòd Paphnu-
tius ſanctus ille epiſcopus diſſuaſerit ſynodo Nicenæ,
ne interdiceret epiſcopis, preſbyteris, & diaconis uſum
ſuarum coniugum, quas duxerant antequam ſacris ini-
tiarentur ordinibus. Nam ut ſynodus illa nō conuabat
lege cauere, ne quis iam ſacris initiatus ordinib. cōtra-
hat matrimonium, ita ille huiusmodi quiddam nō ſua-
ſit, ſed tantū ne clerici arcerentur ab uſu & cōmercio ſua-
rum cōiugum, quas priuſq̃ in clericorū cætum referre-
tur, duxerāt. Et proinde aduerſarij quod iſte fecit, ni-
hil omnino ſuffragatur. Hiſtoria ſic habet, ne quis ter-
giuerſetur dicens, me rem hanc bona fide non atigiſſe.
Synodus corrigere uolēs hominum uirā, & in eccleſijs
cōmorantium, leges poſuit, quas canones appellamus,
in quorum tractatu uidebatur quibuſdā legem introdi-
cere, ut epiſcopi, preſbyteri, diaconi, & ſubdiaconi cum
coniugibus, quas ante conſecrationē duxerant, nō dor-
mirent. Surgēs autē in medio Paphnutius conſeſſor cō-
tradixit, honorabiles conſeſſus nuptias, & caſtitate eſſe
dicens concubitū cum propria cōiuge, ſuaſitq; concilio
ne talem ponerēt legem, grauē aſſerēs eſſe cauſam quæ
aut epiſcopis, aut eorū coniugib. fornicationis occaſio
exiſteret. Et hæc quidē Paphnutius, licet nuptiarum eſſe
inexpertus, expoſuit, ſynodus q; laudauit ſententiā eius,
& nihil ex hac parte ſanciuir, ſed hoc in uniuerſuſq; uo-
luntate dimiſit, nō in neceſſitate. Haſtenus Cōcilij uer-
ba, unde liquidò conſtat, nihil omnino dixiſſe hunc epi-
ſcopum de uxoribus à clero ducēdis, quæ res nunc con-
trouertitur inter Chriſtianos, ſed tantū de cōcubitu
cum antea ductis quàm erāt clerici aſcripti atq; accerſi
ti in albū ſacrorum miniſtrorū Eccleſiæ. At propterea
in caſum adducunt aduerſarij mei hanc hiſtoriam, quòd
perſuaderent nō eſſe nefas ſeu illicitū, ut epiſcopi, preſ-
byteri

dyteri & diaconi matrimonium contrahāt. Quod nunquā
licitum fuisse uel Græcis ipsis, atq; ad eō ecclesijs Orien-
talibus legimus. Nam de hac re Cōcilium Ancyranum,
quod primo Concilio Niceno prius erat, ut author est
Gratianus, sic meminit. Hoc diligenti obseruatione cu-
stodit Orientalis Ecclesia, ut post adeptam sacerdotiū
defuncta priori uxore cū qua sacerdos factus erat, si al-
teram duxerit deponatur, &c. Et alibi. Abuteris Paphnu-
tij sententia, quō statuas impium dogma tuum contra
uotorū obseruationē, quā nihil tibi iussurij porrigit.
Egit enim iste in eo Niceno concilio cū coactis in illud
Patribus, ut nō cauerent ullo edicto aut decreto, ne sa-
cerdotes redderēt debitū uxoribus, quas duxerāt ante
priusq; sacris initiarētur. Dixerat enim hoc esse laqueos
illis injicere, ac ueluti in præcipitium eos dedere, quod
prohibet Apostolus. 1. Corinth. 7. Sed quid hoc ad rem
inter nos cōtrouersam, cū litigemus ac disputemus, an
qui iam sunt sacrifici, arceri debeāt à ducēdis uxoribus
necne. Sunt etenim hæ duæ quæstiones longè diuersæ,
An sacerdotibus permittēdus sit usus uxorū, quas duxe-
rant anteq; sacris erāt initiati, quod synodi illi persuasit
Paphnautius: & An liceat sacris iā initiatis uxores ducere,
quod cū scriptura sacra negāt catholici omnisætatis.

D E F E N S I O.

Historiam Paphnautij celebrē ait Smythæus, nihil pro-
desse nostræ causæ: quod ille non de uxoribus ducendis à
sacrificis postquam essent initiati sacris quippiam ege-
rit, sed ut ne arcerentur ab illarū usu, quas prius habue-
rāt. Quomodo nō animaduertit iste disputator egregius
primū hinc sequi usum connubij rem non esse alienam
à sacro ministerio? quod ille prius nitebatur probare,
adductis rationibus ex habitu filiorum Israel cum pascha
egebant, quos oportuit accinctos esse renibus: argumēto
item arrepto ex historia Dauidis, cui non sunt dati pa-
nes propositionis, nisi mundum se à mulieribus profes-
sus esset. Item allato est ab eo probatio, quod Paulus,
ut uacetur ieiunio & precibus, dixit, licere cū iugibus ali-
quantisper desistere à reddenda beneuolentia debita.

Omnes istæ rationes quorsum à nostro theologo sunt aductæ? Nónne ut demonstraret Ecclesiæ ministros debere uxoribus carere? Quòd nimirum usus coniugij muneris sacro non conueniat. Nunc audimus Paphnutium longè secus decernentem. Nec ego in præsentia curo, an loquatur de uxoribus ductis, an de uxoribus ducendis. Tantum colligo ex eius dictis cõiugale opus non pugna- re cum sacris ordinibus, neq; ab illis necessariò esse disso- cian- dum. Nónne uides, hac sententia tuos illos enerua- ri a ietes, quibus putabas, te omnino euicturum, sacrificos tuos, cum perpetuò debeant conficere, ut loqueris, ac ministrare sacramenta oportere prorsus ab opere con- iugij abstinere? Verùm ista quæ uisa sunt te mouere, mo- uerunt fortasse aliquot Patres illius Niceni Concilij, & propterea uoluisse illam seueram legem promulgare. Sed ut uides, & fateris, Paphnutius restitit. Vnde sequi- tur, illas tuas rationes non fuisse ualidas, & firmas, quæ- admodum tibi persuades. Hinc nostra causa releuatur, licet iste suauis homo id inficietur. Cumq; sit ut a sinu, qui portat mysteria, & ea non intelligit, uerba huius sancti confessoris adducit, quibus testatur, castitatem esse cum propria uxore concubitũ, & non sentit quàm uel hoc ipsum contra se faciat, qui superius cõtenebat, non potuisse dari Dauidi panes propositionis, nisi mun- dus fuisset uel à coitu cum iusta & legitima uxore. Ca- stitatem id dicit esse Paphnutius, iste pronuntiat immu- ditatem. Ad hæc non sentit, dum ista narrat, alia se mibi dare, quæ superius nunquam se daturum clamabat. Di- cebam enim id esse laqueum iniicere, si cogantur, qui o- pus habet uxoribus, ab illis abstinere. At nunc de Paphnu- tio inquit, ut eius utar uerbis, dixerat enim, hoc esse la- queos

queos illi iniicere, ac ueluti in precipitium eos dedere, quod prohibet Apost. 1. Corint. 7. Aiebam ego cū Paulo laqueū non esse iniiciendum, quod idem iste nūc affirmat, ut Paphnutium tueatur. Superius uerò prorsus negabat, eos qui uotum castitatis introducunt, & necessario coniuugunt cum sacris ordinibus, laqueum iniicere cuiquam. Idē itaque negat, et affirmat, ut conuenire sibi animaduertit, unde Vertumnus iustissimè potest appellari. Atque ut in mendacijs confingendis, nusquam sibi ipsi desit, scripturā sanctam cum omnibus catholicis testatur affirmare, nunquā licuisse initiatis sacris uxores ducere. Quæ hæc sūt huius Vulcani portenta? Quando ex sacris literis unquā hoc demonstrauit, aut demonstrare poterit? Admittunt sacræ literæ maritos ad sacros ordines: quid refert, an prius, an postea fiant mariti? Votum dicis obstare. At uotum si esset diuino iure ordini sacro annexum, non liceret ordinatis uti suis uxoribus. Nam uotum susceptum cum ordinibus impediret. At cum initiatis liceat uti uxoribus, ut dixit Paulus, ut dixit Paphnutius, et ut ipse quoq; affirmas, patet, dum ordinantur ministri, non esse necessarium ut uotum edant. Quare nihil impedit, quin ordinati ualeant uxores ducere. Atque quod ex Concilio Ancyrano adducis, deprehendes non sic habere, uti refert, si canones eius probè discussis, imò uehemēter contra te pugnare. Sic enim habet canon decimus. De diaconis, quicūq; cū ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, dicentes, uelle se habere uxores, nec posse se continere, hi postea, si ad nuptias uenerint, maneat in ministerio, propterea q̄ is episcopus licentiā dederit. Quicūq; statim tacuerūt, et susceperūt manus impositionē, professi continentiam, si postea ad nuptias conuenerint, à ministerio cessare debebūt. Ex isto canone, probè potes intelligere,

Synodus
Ancyranæ

de iure diuino, aut scripturarum autoritate, ut tu falso
iactabas, non esse coniunctos sacros ordines cum uoto ce
libatus, quando quidē, ut audis, possunt diaconi absq; illo
consecrari, & episcopus eis potest dare licentiā. Vnde si
nuptias cōtrahant, in ministerio manent. Audisne post sa
cros ordines susceptos potuisse diaconos uxores ducere?
et in nuptijs perseuerādo ministrare? Quid tibi uidetur?
Si potest episcopus dare licentiā, hoc nos querimus, ut
fiat. Quando per istud conciliū, quod adducis, hoc liceat,
quomodo tu dicis id nō posse fieri: atq; scripturā secus de
cernere, nimirū q; his qui sacris initiati sunt, nō sit fas du
cere uxore: deinde quis fermentū, uouendi cēlibatū iam
obrepserit in ecclesiā eo tēpore, considerandū est tamen,
q; humaniter iste canon loquatur. Qui inquit, professi fue
rint, & non reclamant, si post ordinationē ita susceptā
ad nuptias trāsuerint, deponantur. Solū priuat. eos mini
sterio, quod quidē iniuste facit, si ex uerbo Dei uelimus iu
dicare: attamē illa matrimonia non dicit nō esse matrimo
nia, neq; iubet ut dirimantur, quēadmodū uos clamatis. Et
in Canone 19. habet idē concilium, quotquot uirginitatē
pollicitam præuaricate sunt, professione contēpta, inter
digamos, id est, eos, q; ad secūdas nuptias trāsierint, habeā
tur. Hic quoq; nō dicit, has cōiūctiones nō esse matrimo
nia, nō dicit esse diuellenda, uel nō habenda rata. Solū cō
stituit, ut qui ita contraxerint, inter digamos habeantur.
Hæc de Ancyra synodo, quoniā tu illā pro te adduxisti
dicere libuit. Nūc ad Paphnutiū redeo, de quo sermo fue
rat institutus. Prudens illius oratio causam attulit, ne mini
stri cogentur à proprijs uxorib. abstinere, scortationū
euitationē. Quæ si tunc ualuit, nunc etiā ualere debet, ne
uota cēlibatus cum sacro ministerio cōiungātur: quoniā
illorum occasione omnia turpibus libidinibus implētur.
Deinde

Deinde is Paphnutius, quoniã ut ipse fateris, rectè saneq; respondit, ut episcopi, presbyteri, diaconiq; nõ iuberetur à proprijs uxoribus, quas antea duxerant, separari, abs te libenter peterem, ut saltè conciliorum tuorũ inconstãtiam agnosceres. Nam sententia Paphnutij, quæ tũ laudata fuit, & probata in Nicena synodo, postea rescissa est, tempore, inq; Syriaci episcopi Romani, et Innocëtij. Paphnutius aut uerè respõdit, aut malè. Si malè, quare Nicenũ concilium præbuit assensum? Sin uerè, cur postea mutauerunt? Certè in Concilio Carthagin. s. cap. 30. mandatur sacerdotibus, diaconis, & subdiaconis, ne suis misceantur uxoribus. Hæc certo certius demonstrant, neq; synodis, neq; Patribus esse confidendum, cum inter se frequentissimè pugnent, & collidantur. Confugiamus iam tandem ad scripturas: in illis fundamentum solidum ac stabile collocemus. Quod si uel unq; facere Smythæus in animũ induxisset, & hæc horas, & hæc uerba non cogerer ita perdere. Ut autem nan obliuiscatur lector, quare huius confessionis Christi sententiæ meminerim, non me pigebit denuo repetere. Constitueram demonstrare, totam ecclesiam nõ errare, quod semper boni uiri fuerint in ea, qui reclamauerint aduersus abusus, & leges tyrannicas, quæ quotidie promulgantur per Antichristi membra, aut in synodo Nicena iste fecit, & illi feliciter cecidit, quoniam fuit auditus, licet alijs interdum non tam commodè accidit, qui & numero suffragiorum, et potentia impiorũ uincuntur.

XIII. O B I E C T V M.

Quando uero allègas illud Dei oraculum, quod Helia propheta se solum relictum conquerenti fiebat. Reliqui mihi septem milia uirorum, qui non curauerunt genua ante Baal, quo persuadeas catholicam, & uniuersalem errare ecclesiam, quid aliud facis, quàm quoddam deridendum, aut potius desendum omnibus uel merito priter eruditis in re theologica propinas? Nõne hic

locus est, trito illi adagio, suo ipsius gladio hunc iugulo, suoq; telo? Nam iste suis ipsius dictis reuincitur optime, ut quæ suum institutum a deo nihil prouehant, aut subleueuent, ut illi ex diametro repugnent. Nam hoc pacto licet nobis colligere. Cùm tempore periculossimo, & quando ferè omnes defecerant à fide Christiana, ac Helias propheta fuerat conquestus, se solum derelictum superstitem, qui uerè crederet, ac coleret deum, Deus reliquit sibi septem millia uirorum, qui idolum Baal non adorauerunt, ergo tota Ecclesia catholica nunquam errat in fide. Quando enim tota erraret, cùm ne tunc quidem erret, quando maximè scuit tentatio, & persecutio? En Petre, tu tuo ipsius laqueo captus es.

D E F E N S I O.

Iam in nostram sententiam, licet imprudens, iste admittendus dialecticus discedit: & ita discedit, ut idem prorsus affirmet, quod ego dico. Nunquam, ut audiuistis, & in assertionibus, & in defensionibus allatis, ego docui, totam ecclesiam à fide aberrare, quum in ecclesia quoq; contineantur sancti, & electi Dei, qui pendent à uerbo eius purissimo. Atq; hi minimè sic aberrant, ut in erroribus relinquantur. Licet illa ecclesia laruata cornutorum, rasorum, unctorum, ut sunt papæ, cardinales, episcopi, monachi, & magistri nostri, laniæ sint, ululæ, pilosi, & onocrotali. Tales erant Eliæ tempore, in regno decem tribuum sacerdotes, leuitæ, doctores, & populus, qui eis assentiebatur. Adco uitiarant Dei cultum praua doctrina, & idololatria, ut iam nil sani superesset. Publicè receptus erat cultus uitulorum aureorum: sacerdotes ex alia stirpe, quàm Leuitica elegebantur: interdictus erat cultus à deo præscriptus: neque cuiquam erat tutum per crudelitatem regum, & sacerdotum, illum profiteri. At tamen septem millia uirorum interea supererant integri, & sancti, qui tamen latebant, nō agnoscebantur à propheta, solus Deus illos

illos nouerat. Dic quaeso Smythæ, quot hodie tu esse putas, quando externa facies Ecclesiæ sic est corrupta, qui tamẽ uestras missas priuatas detestantur, idololatriã imaginum, sacramentum Eucharistiæ mutilatum, mortuorũ inuocationem, & alias huiusmodi pestes? Sunt procul dubio multa centena millia hominum, si omnes recensere posses, qui sunt in Anglia, Germania, Gallia, Italia, Scotia Hungaria, Allyrico &c. Qui tamen non agnoscuntur, & praeualet Babylonica ecclesia, miserè decipiens, & infeliter decepta. Hinc ais, concluditur, totam ecclesiam non errare. Fateor: quando quidem pijs, & electi, & qui uocẽ Euangelij audiunt, uestros abusus detestantur, uestra uota reijciunt, & superstitioni uniuersæ, quantum pro infirmitate carnis eis licet, uale dicunt. Neq; morantur externam ecclesiæ faciem, aut hominum inuenta, sed ad uerbi dei regulã omnia expendunt. At uideor mihi audire Smythæum clamitantem: si sic pergas ecclesiam nobis constitues inuisibilem, cui non dabis certum locum, neq; certos pastores. Respondeo, nos quidem scire homines, qui uerè sunt ecclesia, esse ac uersari in mundo, atq; ideo non uiuere sine loco: præterea notas habere certas, quibus inter nosci possint, ab his, qui spiritu dei, & uerbo Euangelij non ducuntur. Non est uera ecclesia ut arbitramini, cathedris, titulis, personis, & locis alligata, sed in omni loco est, & ideo catholica dicitur. Quando potest libentissimè utitur ministris, tantum abest, ut illos contemnat, sacramenta pura, & simplicia maximè cupit: euangelium denique ac Dei uerbum nunquam non legit, aut audit, aut loquitur, neq; disciplinam, & censuras, quæ proficiscantur ex uerbo Dei, contemnit. In quocunq; coetu ista licet & uigent ecclesiam Dei esse satemur, ac tali congregatio ni pijs ac sancti se adiungunt. Quare non statuimus, ut fin-

An uera ecclesia sit inuisibilis.

gis Ecclesiam inuisibilem, quamuis dicamus nō posse cer-
tos sciri, qui nam uerè sint ecclesie membra, quiue fide
in ea uersentur: notæ attamen eius congregationis, que
dici potest ecclesia, ut eas recensuimus, & uisibiles sunt,
& à pijs benè discerni possunt. Apostolorum tēpore po-
tuisset uideri ecclesia inuisibilis: nam templo destituta e-
rat publico, per domos fidelium clam conueniebatur. ce-
remonijs multis caruit, ornamentis sacerdotibus, cathe-
dris, & præclaris locis: quum tamen eo tempore fuerit ec-
clesia ualdè nobilis, & illustris. Similiter cum Patres in
Aegypto essent, uel in Chaldæa captiui, non destitit inter
illos esse Dei ecclesia: imò sicut fuit sub Apostolis clarissi-
ma, ita in illis captiuitatibus fortasse Deo magis placuit,
quàm in domestico luxu, & apparatu. Nonne tu fateris
Eliam conquestum esse, quòd solus esset relictus, qui ue-
rè crederet, & Deum coleret? Non potuit sanè id suspicari,
nisi tum publicè obtinuissent religionis uitia, quemad-
modum hodie quoque inualuerunt. Opto itaq; tibi Smy-
thæe, atque id ex animo, ut uisitationis diuine tempus se-
riò agnoscas, iam non unus missus est Elias ad arguenda
papisticæ synagogæ uitia, & sic arguenda, ut salce dunta-
xat uerbi Dei ea metant. Quare desinas, obsecro, fabulis
argutijs, strophis, & sophismatis ueritati iam rutilanti
resistere, aut allatrare. Sepositis affectibus, oro te, aliquā-
tisper causam expendas, & redeas ad sacrarum litera-
rum iudicium, quod ita uideris hætenus abiecisse. Atq;
Deum precare quàm diligentissimè, si fortè det tibi locū
pœnitentiæ, quam ego cum omnibus, qui Christo in spi-
ritu seruiunt, sincerissimo corde, & animo fraterno tibi
cupio, Deumque rogo, ne te in tenebris iacere diu pa-
tiatur.

Cum iam sit, ut mihi persuadeo, demonstratum, uota
sicuti

sicuti nunc de illis disputamus, & praesertim monastica, seu calibatus, nulla habere scripturarum, aut solidarum rationum firmamenta, quibus nitantur, & assertionem à me allatam satis defenderim, atq; nostri phrenapatae in a teologiâ; Smythæi obiecta confutauerim, possem uideri pijs hominibus causæ à me susceptæ, abundè satisfecisse. uerim quia in eius rationibus diluēdis omisi Patrum sententias, & Conciliorum decreta, quæ iste pro se adduxit, nisi hac quoque parte illi uidebitur satisfactum, forsân uel ipse, uel eius amici clamabunt, me bonam disputationis huius partem uasfrè uoluisse dissimulare. Igitur uolui tanti criminis cauere infamiam: & modò constitui de Patribus, de Concilijs, de Decretis, de Decretalibus, & postremo de Scholasticis doctoribus perspicuè scribere, quidue mecum, quidue cum illo faciant. Quorum ego dicta nolui superius referre, prout ab eo passim recitabantur, ne mihi sepius idem esset repetendum. Nam partim à Smythæo eadem alicuius sententia Patris, bis, terue adducitur, partim id, quod ab uno ex Patribus dictum fuit, in alijs quoq; idem haberi testatur. Et cum eadem opera uni atq; alijs responderi possit, non cōmittendum putauit, ut eadē responsione lector esset mihi frequēter obtūdendus. Neq; uisum est æquū, ut grauis & sancta pugna, qua primo loco è sacris scripturis dūnicatū est, permisceretur atque cōfunderetur admotis & Patrū et conciliorū acieb. Hæc enim quum humana sint, atque illa diuina, longè plus à se inuicem distant, quàm cælum à terra. Hunc ordinem seruasse uideo Augustinum quum aduersus Pelagianos disputaret. Priori enim loco, quæ dicenda erant è sacris literis probauit, et defendit: postea et Patrū sententias pro se adduxit. Quin & aduersarius meus à principio sui primi lib. uidetur hūc sibi ordinē præfigere. Verū

Obseruare
metho
dira
tio.

August.

Duo decla-
randa susci-
piuntur.

ut est impotēs, in sentētia, propositoq; non māsit: etenim
 simul cū diuina tum humana commiscuit. Ego tamē pri-
 usquam ad uniuscuiusq; Patris authoritatem examinan-
 dam accedam, paucula pręfari operę pretium duxi. Pri-
 mū quidem quid causę fuerit, cur statim ab Apostolorū
 temporibus uirginitas tanto in honore fuerit. Alterum
 autem quantum tribuendum sit iudicio Patrum. Et de pri-
 ori quęstione, Cur tanto in pretio uirginitas fuerit, cau-
 sa una esse potest, quōd Christus dixerit, esse quosdā Eu-
 nuchos, qui se castrēt propter regnum cęlorum. Et in eā
 sententiam, permulta Paulus habet in 7. cap. prior. epist.
 ad Cor. Hęc sanē Patres semper habuerūt in ore. Sed eos
 cogitare oportuit, quemadmodum essent intelligēda. Nā
 Paul. laudat quidem uirginitatem, et cęlibatū: sed addit
 cautiones, ex quibus intelligi possit, quid senserit. Patres
 autē uerba quidem accipiunt, sed cautiones, & tēperamē-
 tum non admittunt. Nam Paulus (ut de illo prius dicam)
 prudentissimē cautissimēq; scripsit. Bonum est, inquit,
 homini mulierem non attingere: sed addit exceptionem,
 Attamen ad uitandam scortationem, quisq; suam habeat,
 et quęq; suam. Postea coniugibus suadit, ut orationis cau-
 sa ad tempus secubent, interim tamen adiuncto tempera-
 mento. Rursum ad illud ipsum conuenite, ne tentet uos
 satanas propter intemperantiam uestram. Ait pręterea,
 uelim omnes esse, ut ego sum: temperat tamen sermonem:
 Quisque donum suum habet à Deo, alius sic, alius au-
 tem sic. Porrō uirginibus & uiduis inquit, dico bonum
 est, si sic permanserint: sed statim addit cautionem:
 Qui non continent, nubant: Et melius est nube-
 re, quā uiri: Solutus es ab uxore, noli quærere u-
 xorem. Subijcit: Si nupsert uirgo, non peccauit.
 Postremō, Vellem, inquit, uos esse sine sollicitudine:
 sed ad-

sed adhibet rursus cautionem: Nolo uobis laqueum iniicere. Si Patres has cautiones urfissent, non ita incitassent homines ad celibatū. Christus etiam cum dixisset esse qui se castrarent quò latius propagarent regnum cælorum: statim addit exceptionem: Non omnes capiunt uerbum hoc, quasi diceret, id non omnibus cōuenire. Si Patres ita fuissent loquuti, & temperamenta orationis nō reticuis-
sent, nunquam secuta fuisset ea mala in celibatu quæ nos uidimus.

Altera causa est, cur tantū datum sit cæliba-
tui, quòd illo tempore omnibus in locis graues erant per-
secutiones. Christiani erant plerūq; in fuga & *ἀστατος*
quodammodo, omnibusq; bonis eueriebantur. Minus au-
tem molestū est in persecutione, si quis solus fugiat, quàm
si cogatur sollicitus esse de uxore & liberis.

Tertia causa est, quia illis temporibus Christiana reli-
gio graui laborabat infamia. Cum enim horis antelucan-
is et in tenebris metu principum ad hymnos & synaxes
conuenirent, populus cœpit suspicari illos uti inter se pro-
miscuo concubitu & nefaria libidine, ut autor est Iustinus
Martyr in 2. Apologia. Atq; de hac infamia ueteres mul-
ta tradiderunt. Imò Iustinus ait, iuuenem quendam Ale-
xandrinū huius suspicionis delendæ causa egisse cum chi-
rurgo, ut ab eo secaretur: Ille respondit, non licere sine ar-
bitrio magistratus aut præsidis. At ille noluit. Hoc autem
fecit iuuenis, ut populus intelligeret, Christianos quiduis
potius cogitare quàm libidines. Atq; ea gratia magnum
numerum alebant uirginum & cælibum.

Quarta causa est, quia bona pars eorum qui accesser-
unt ad Christum, erat ethnicorum. At illi maximè sem-
per suspiciebant uirginitatem & cælibatum. Pontificem
enim Maximum oportuit unius uxoris maritum esse, &
Flaminicam Vniuiram. Sacerdos Cereris abdicabat se con-

lugio, sed amice & assentiente coniuge, ita ut abstineret prorsus ab omni uirili contactu usque ad osculum filiorum, in Digest. de Donationibus inter uirum & uxorem. Lege Vitricus: Facile diuertimus, si sacerdotium interueniat. Quis nescit apud Romanos in honore fuisse Vestales uirgines, & uirgines Iunonis Achaicae, & Dianae Scythicae, & Appollinis Pythij? Hæc habet Tertullianus in libro de Præscriptione contra hæreticos, de Monogamia, & in adhortatione ad Monogamiam, & Hieronymus ad Gerontiam. Sed addit hierophantam Atheniensem euirari solitum, ut sacerdotes etiam Cybeles. Hæc omnia à nullo exemplo diuinarum legum profecta sunt. Nihil enim est huiusmodi in sacris literis Veteris Testamenti. Erant autem hæc omnia in usu apud Ethnicos & ab illis traducta sunt ad Christianos.

Quod ad alterum attinet de Patrum iudicio, quoniã aduersarij nostri, & in hac causa, & in alijs controuersijs, semper prouocare solent ad eos: pronuntio, mihi non uideri hominis esse Christiani, ad hominũ iudicia prouocare à scripturis Dei: Hoc enim est iniuriam facere spiritui sancto. Nam fides est ex auditu, auditus autẽ ex uerbo Dei, non ex Patribus. Et ad Corinthios, Ut fides, inquit, uestra sit, non ex sapientia hominũ, sed ex uirtute Dei. Et ad Timotheum, Omnis, inquit, scriptura diuinitus inspirata utilis est ad docendũ, ad refellendũ, ad increpationem, & ad institutionem, quæ est in iustitia, ut integer sit homo Dei & ad omne opus bonũ instructus. Hæc uerba notanda sunt diligenter. Quatuor enim sunt in doctrina Ecclesiastica necessaria: ut doceamus uera: ut refellamus falsa: ut instituantur ad uirtutes: ut arguamus uicia. Atq; hæc omnia petenda sunt è sacris literis. Et ut ista dicam apertius, quicquid minister agit ad populum, id uel ad dogmata

A scripturis non est prouocandum ad patres.

ad dogmata pertinet, uel ad mores. Et dogmata, uel ue-
 ra docenda sunt, uel falsa refellenda: mores autem uel bo-
 ni instituendi sunt, uel mali corrigendi. Ita perfectus erit
 homo Dei, ut nihil ei desit uel ad dogmata, uel ad mores.
 Est etiam locus alius in eodē capite: Literas sacras didici-
 sti, ex quib. habere potes salutem. Hæc perspicuè docent,
 non esse prouocandū à scripturis ad Patres. Id enim esset
 prouocare à certis ad incerta, à claris ad obscura, à fir-
 mis ad infirma. Patres enim, quāuis erant sapientes & do-
 cti, et multa uiderūt, tamē homines erāt, et errare potue-
 rūt. Et illud potissimū spectandū est, Patres non sēper cō-
 gruere inter se, & interdū ne unū quidē ipsum conuenire
 secū. Sed hīc aduersarij respōdēt: At audiēdi sunt cū om-
 nes inter se cōsentiūt. Nos autē dicimus, non idcirco audi-
 endos esse q̄ inter se cōsentiant, sed quod cōsentiāt cū uer-
 bo Dei: ut dici possit illis, quod dictū est Samaritanæ muli-
 eri: Iā nō credimus propter sermonē tuū, sed quia ipsi ui-
 dimus. Nā etsi omnes inter se Patres cōsenserint, tamē nō
 faciemus hāc iniuriā sp̄iritui sancto, ut illis magis creda-
 mus, quā uerbo Dei. Imō patres ipsi nunquā ita sibi credi
 uoluerūt idq; scriptis suis testati sunt, nolle se cū honorē si-
 bi sed tantū Canonicis scripturis tribui. Quare qui à scri-
 pturis prouocat ad Patres, prouocat ad Patres contra Pa-
 tres. Id Augustinus multis in locis cōfirmat: Vt, cū obie-
 ctus esset Cyprianus de Baptismo hæreticorū, respondit
 se nō habere Cypriani Epistolas pro Canonicis scripturis
 sed illud se tantū tribuere uerbo Dei. Et sæpē reprehēdit
 eos, q̄ scriptis suis plus æquo cōcedebant. Et cū Hierony-
 citasset tres aut quatuor Patres de reprehensione Petri, re-
 spōdit se quoq; posse citare Patres, sed malle prouocare
 ad sacras literas. Basilius in Moralib. sūma do. ca. 22. ait:
 Si omne quod non est ex fide, peccatū est, fides autem est

August.

Basilius.

ex auditu, auditus autem per uerbum Dei, ergo quicquid non est ex uerbo Dei, peccatū est. & in oratione De confessione fidei: Lapsus, inquit, est à fide, & crimen maxime superbiæ, uel à scripto recedere, uel non scriptum admittere. Et addit probationem: Quia oues meæ uocem meam audiūt. Nec astringimur, inquit, ut alios audiamus, quam pastorem. Utq; magis etiam confirmaret sententiam, adduxit locum ad Galatas: Testamentum hominis nemo mutat, aut superordinat. Quòd si hominis testamēto, inquit, tantus defertur honos, quanto maior deferendus est testamento Dei? Et in expositione symboli, quæ ascribitur Cypriano, post recitationem Canonicarum scripturarū. Ex his, inquit, colliguntur, quæcunq; sunt ad salutem necessaria. Et contra Aquarios semper prouocat à consuetudine ad sacras literas, & ad ea quæ Christus ipse gessit. Et in epistola ad Pompeium multa habet in eandem sententiā. Hieronymus etiam in Hieremiam cap. 9. Maiores, inquit, non sunt imitandi quo ad errores: sed fides petenda est è sacris literis. Chrysost. ad Hebræos cap. 7. Sicut qui regulas tradunt, non habent opus ut tradant mille uersus, sed pauca quædam, unde reliqua intelligantur, ita si nos teneremus tantum literas diuinas, non tantum non laboreremus ipsi, sed etiā alios lapsos reuocaremus. Idq; probat ex eo, quòd Christus dixit, Scrutamini scripturas, in quibus putatis esse uitam æternā. & Erratis nescientes scripturas. Et citat locum Pauli: Quæcunq; scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Postremò adducit ea loca omnia quæ à me citata sunt paulo antè. Et in oratione de profectu Euangelij, in illum locum Pauli ad Philip. Siue per occasionē, siue per inuidiam etc. Si hæc uerba, inquit, teneretis, possetis hæreticis occurrere. Sed in epist. ad Gal.

Hieronymus.

Chrysost.

ad Galat. de diuite & Lazaro habet multa multò clario-
 ra. Abraham respōdet, Mosen habent, & prophetas. Hic
 Chrysoftonus, ostendit, inquit, maiorem fidem habendam
 esse scripturis, quàm si quis resurgat ex mortuis: et addit,
 non tantum uerbo Dei magis credendum esse, quàm ho-
 minibus mortuis, sed etiam magis quàm angelis: ut Pau-
 lus monuit: Etiā si angelus de cælo docuerit uos aliud Euā-
 gelium, quàm quod nos docuimus, anathema sit. Ad hæc,
 certum est Ecclesiæ libertatem suam eripiendam nõ esse.
 At Ecclesia semper iudicauit per uerbum & spiritum. Sic
 ergo etiam nũc eam æquũ est liberè iudicare. Quid enim
 fecerunt antiquissimi illi scriptores, cum nulli adhuc esset
 Patres? Si tum Ecclesia iudicabat ex uerbo & spiritu, cur
 nunc quoq; ita non potest iudicare? Nã Patres iuuare cer-
 te uolebant Ecclesiam, non eam libertate sua priuare. Sed
 solent dicere, Apostolorum temporibus infantiam tantũ
 fuisse Ecclesiæ; eam autem postea magis magisq; promo-
 uisse. Hec non refellenda, sed ridenda sunt. Vtinã enim nõ
 bis liceret ad illorum apostolicorum, dico, temporum pe-
 des infimos accedere. Verum, fuerit ea Ecclesiæ infantia
 ut uultis. At si illi tum promouere potuerunt Ecclesiã uer-
 bo & spiritu, cur non etiam nos nunc possumus eam eo-
 dem pacto promouere? Multa enim semper sunt in Eccle-
 sia quæ uel instaurari, uel tolli debeant, iudicando per spi-
 ritum & diuinas literas ea, quæ Patres constituerunt, uel
 illis consentiendo, uel ab eis dissentiendo, prout in adultio-
 re ætate iam sumus Ecclesiæ, quàm illi fuerint. Sed isti quo-
 modo æstimant Patres? Si ætate, nos etiam aliquando futu-
 ri sumus Patres: & scholastici illi qui fuerunt ante quin-
 gentos aut sexcentos annos, nunc erunt Patres: & ita
 Patrum nullus unquã erit certus numerus. At dicunt, scri-
 pturas obscuras esse, eoq; opus esse Patribus interpretib.

Sed Patres quoq; obscuro erāt: atq; idcirco opus erat Magistro sententiarū. Cum autem Magister ipse obscurus uideretur, opus erat infinitis propè cōmentarijs. Atq; hinc natae sunt complures sectae opinionib. inter se dissidentes, ut alij Scotistae, alij Thomistae, alij Occamistae, alij alijs nominibus dicrentur. Neq; uerò negari potest, sepe errasse Patres. Cyprianus errauit de Baptismo haereticorū, Tertullianus de Monogamia, & alij aliter. Concilia etiam sepe errauerunt, ut supra plurib. docuimus. Traditiones potest interdū errant, & inter se pugnant. Ephesina traditio fuit, ut Christiani pascha celebrarent decimaquarta Luna cum Iudæis, eamq; ad Ioannem Euangelistā & apostolū referebant. Contrā Romana traditio fuit, ut ne Christiani celebrarent pascha nisi post decimaquartam Lunam, ne uiderentur cum Iudæis conuenire. Atque huius traditionis autores faciunt Petrum & Paulum. Vtraque est Apostolica: tamen utraque probari non potest. Ipse uerò Panormitanus de Electionibus, cap. Significasti, Magis ait credendum idiotae, si scripturas afferat, quam Papae & toti Concilio, si absque scripturis agant. Canonista, quamuis in alijs multis sepe errauerit, tamen hoc uidere potuit. Paulus ait, quum aliquis prophetat, sed deant ceteri, & iudicent. Patres quum interpretatur scriptura, nonne prophetant? Nos ergo quasi sedere oportet, & de illorū dictis iudicare. Sed tum saltem, inquit, Patres probandi sunt, quando omnes inter se cōsentiunt. Imò ne tum quidem semper. Nam Ephesini Concilij 2. cōsensum sustulit consensus Concilij Chalcedonensis. In synodo Constantinopolitana, sub Leone imperatore erat consensus de imaginibus tollendis. Sed ille consensus in synodo Nicena 2. sub Irene alio consensu sublatus est: & ille ipse consensus postea etiam sublatus consensu Germanico

Patres concilia & traditiones errant, & inter se quandoque pugnant.

sub Carolo Magno. Sed addam probationē per inductio-
 nem non semper esse de scripturis iudicandum ex Patri-
 bus: sed Patres potius ipsos iudicandos esse ex scripturis.
 Alij Patres dicunt iustificationem esse ex fide, non ex ope-
 ribus: alij ad iustificationem multum tribuunt operibus.
 Quis hanc controuersiam disceptabit? Verbum Dei. Pau-
 lus ad Romanos ait: Aestimamus hominem iustificari sine
 operibus legis. Nec dici potest, Paulum eo loco tantū age-
 re de ceremonijs. Agit enim de ea lege, quæ ostendit pec-
 catum, quæq; iram operatur: & addit nos iustificari gra-
 tis, & attingit decalogum: Concupiscentiam, inquit, non
 cognoui, nisi Lex diceret, non concupisces. Petrus repre-
 hensus est à Paulo, quòd simulasset, & se à mensa subdu-
 xisset. Hic litigat Hieronymus cum Augustino. Hierony-
 mus Petrum cum Paulo ait sic egisse, quasi de composito
 res ea fuisset gesta, ut ex reprehensione Petri, Iudæi qui
 aderant, rem omnem melius intelligerent. Augustinus nō
 potest simulationem aut mendacium admittere in scriptu-
 ris. Quis hinc erit iudex? Verbum Dei. Paulus ad Galatas,
 Erat, inquit, reprehendendus, siue reprehensus, quia non
 recto pede ambulauit ad ueritatem Euangelij. In hæc uer-
 ba, Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Eccle-
 siam meam, alij intelligunt, super petrā, id est, super Chri-
 stum, & super fidem & confessionem Petri: alij autem
 super Petrum ipsum. Quis hanc litem iudicabit? Verbum
 Dei. Paulus ait, Fundamentum aliud nemo potest pone-
 re, nisi quod positum est, Iesus Christus. Sæpè mortui in
 scripturis appellantur dormientes. Id alij ad corpus re-
 ferunt, alij ad animum. Quis hinc erit iudex? Verbum Dei.
 Christus dicit latroni: Hodie mecū eris in paradiso: et Pau-
 lus ait, Cupio dissolui, et esse cū Christo. Daniel cōfitetur
 peccata sua. Quo loco Origenes ait, eum sustinere non

suam personā, sed aliorum. Augustinus hunc locū ipsum citat cōtra Pelagianos, ut doceat, neminem esse innocētē. Quis ista iudicabit? Verbum Dei. Paulus ait: Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. & Ioannes: Si dixerimus, quod peccatū non habemus, nos ipsos decipimus, & ueritas in nobis non est. Paulus ait: Quis liberabit me de corpore hoc morti obnoxio? Id Ambrosius & August. interpretantur de Paulo regenerato. Alij de alijs non regeneratis dictū putant, nec posse conuenire in Paulū. Quis has sententias iudicabit, nisi uerbum Dei? Scribitur eodem loco, Mente seruiuo legi Dei. At non regenerati mente non seruiunt legi Dei. & addit: Non quod uolo bonum, hoc ago: at non regenerati non possunt uelle bonum. & addit: Gratia Dei per Iesum Christū dominum nostrū. Non est hominis non regenerati agere Deo gratias. Millennarij putabant Christum rediturū in terras, & inter homines regnaturum mille annos: & in hac sententia fuit Papias, Lactantius, Apollinarius, Irenæus, Iustinus, & alij. Eos Hieronymus naso suspendit, & appellat fabulam Iudaicam. Hanc controuersiam facile dirimit uerbum Dei. Paulus ait: Regnum Dei non est esca & potus. & Christus ait: Regnum meum non est de hoc mundo. & In regno patris mei neq; nubent, neq; matrimonia cōtrahent.

B. 3. Cypriani & August. temporibus Eucharistia tradebatur infantibus: id hodie non fit. Vtrum autem melius fiat, uerbum Dei iudicabit. Paulus ait: Probet se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. At infantes se probare nō possunt. Multa possem prætereā commemorare, in quibus Patres inter se dissentiunt, ubi necesse sit, iudicium referre ad uerbum Dei. Quapropter uideat Smythæus meus, q̄ prudenter scribere potuerit: ad horū gnationem & amūsim sensum Bibliorū exigamus sacrosanctorum:

storum: horū in edisserendis sacris uoluminib. iudiciū se-
 temur. Sed aduersarij nostri, dum sic Patres obrudūt, ni-
 hil querunt aliud q̄ ut dominantur fidei nostrae. Id autem
 Paulus noluit: Nolumus, inquit, dominari uobis nomine si-
 dei: hoc est eo nomine, quòd fidem uos docemus, nolumus
 dominari uobis auferendo uestras substantias. Quare Pa-
 tres ob id, quòd fidem in Ecclesia docuerunt, sic dominari
 par non est, ut quicquid dixerint, aut scripserint, non li-
 ceat contra sentire. Id enim non dominari esset, sed tyrannidem exercere. Augustinus ad Cresconium grāmaticum
 lib. 2. Nos, inquit, nullam Cypriano facimus iniuriā, cum
 eius quaslibet literas à Canonica diuinarum scripturarū
 autoritate distinguimus. Neq; enim sine causa tam salu-
 bri uigilantia Canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quē
 certi prophetarum & apostolorū libri pertineant, quos
 omnino iudicare nō audeamus, & secundum quos de cæ-
 teris literis uel fidelium, uel infidelium liberè iudicemus.
 Et Cōstantinus in synodo Nicena hortatus est episcopos,
 ut deciderent omnes controuersias ex scripturis Canoni-
 cis, propheticis & apostolicis, & à Deo inspiratis, ut
 Theodoretus in sua historia testatur. Et Augustinus con-
 tra Faustum Manichæum libro 15. cap. 5. Scriptura, in-
 quit, tanquam in sede quadam sublimiter constituta est,
 cui seruiat omnis fidelis & pius intellectus. Ibi si quid ue-
 lut absurdum mouerit, non licet dicere, autor huius libri
 non tenuit ueritatem: sed aut codex mendosus est, aut in-
 terpres errauit, aut tu non intelligis. In opusculis autem
 posteriorū, quæ libris innumerabilib. cōtinentur, sed nul-
 lo modo illi sacratissimæ Canonicarū scripturarū excel-
 lentiae coequantur, etiam in quibuscunq; eorū inuenitur
 eadem ueritas, longè tamē est impar autoritas. Itaq; in eis
 si qua fortè propterea dissonare putatur à uero, quia nō,

ut dicta sunt, intelliguntur, tamen liberum habet ibi lector auditorue iudiciū, quo uel approbet, quod placuerit: uel improbet, quod offenderit: & cūcta eiusmodi nisi uel certa ratione, uel ex illa canonica autoritate defendantur, ut demōstretur, siue omnino ita esse, siue fieri potuisse, quod uel disputatum ibi est, uel narratū, si cui displicuerit, aut credere noluerit, non reprehenditur. Et ad Hieronymum in epistola 19. Hanc ingenuam de beo seruitutem scripturis diuinis, qua eas solas ita sequar, ut cōscriptores earum nihil omino in eis errasse, nihil fallaciter posuisse, non dubitem. Nulla autem antiquitas aut dignitas personae tanta est, ut possit præscribere uerbo Dei. Siue nos ipsi, inquit, Paul. siue angelus de caelo prædicauerit uobis aliud Euangeliū, q̄ nos prædicauimus, anathema sit. At aduersarij nostri semper clamāt, annos & tempora & sanctitatē Patrum. Sed hæc omnia nullū momentū habere debent contra uerbum Dei. Christus & apostoli nunquam citabant Rabbinos & Patres, quamuis multi essent doctissimi: sed omnia docebant ē lege & prophetis. Hieron. in Esaiam lib. 18. cap. 65. Ut nequaquā festinent absq; ratione credere, sed imitentur Nathanael, qui domini uoce laudatus est: sed ce uerē Israelita in quo dolus nō est: qui Christū autoritate scripturarū querebat, & de prophetis cupiebat agnoscere dicens: de Nazareth potest aliquid boni esse? & est sensus: Quomodo mihi Messia adducitis de Galilea, & a Nazareth, quē ego de Bethleē Iuda scio esse præmissum? Apostoli igitur & apostolici uiri ita filios generabūt, ut de scripturis sanctis instruant. Idē super 23. cap. Matth. in illa uerba: Et ueniet super uos omnis sanguis qui effusus est à sanguine Abel iusti usq; ad sanguinē Zachariæ. Agit de loco cōtrouerso, quisnā ille Zachariæ fuerit occisus in ter templū & altare: & insert illorū sententiā, qui uolūt cum

Hieron.

eum fuisse patrem Ioan. Baptista, qui fuerit occisus, quod Christum annuntiasset. Qua de re ita inquit: Hoc quia de scripturis non habet autoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Et his uerbis occulte perstringit Basilium, qui erat in ea sententia. Ita 17. cap. Act. cum Paulus apud Thessalonicenses predicasset Christum, illi non statim habuerunt fidem eius uerbis, sed consuluerunt scripturas, an ita se res haberet. Et ad Corinth. cum dixisset; Fundamentum aliud nemo potest ponere, nisi quod positum est Iesus Christus, addidit, alios superaedificare, sed non omnes aurea et argentea, aut lapides pretiosos, sed alios foenum, alios stipulam. Cum lego Augustinum lib. 3. De doctrina Christiana pluribus locis, ubi agit de interpretatione scripturarum, uideo eum nunquam lectorem remittere ad Patres. Si quid, inquit, occurrat in scripturis obscurum et difficile, id confer cum alio loco scripturarum uel apertiore, uel simili. Tum si ex uno loco plures sententiae possunt elici, illam magis amplectere, quae magis uidebitur aedificare. Tertio fac, inquit, ut linguis instructus accedas ad interpretationem scripturarum. Fit enim saepe, ut quod in uno idiomate non intelligis, intelligas ex altero. Quarto ne pigeat consuleri uarios interpretes: nam quod unus reddidit obscurius, id alius saepe expressit planius. Quinto considerandae sunt diligenter omnes circumstantiae. Sexto uidendum est, quid antecesserit, quid sequatur. Sed in primis, inquit, nunquam oculos dimoucas a scopo scriptoris. Hac ratione et uia putauit Augustinus facillime ad sensum et intelligentiam scripturarum posse perueniri. Quanquam nihil impedio, quin iuuenes consulere etiam possint uiros doctiores, et interpretes. Hoc tamen meminerint: eos quicumque sint, et quantumuis docti, non posse praescribere contra apertum uerbum Dei. Est pulcherrima epistola Cypriani ad Caecilium lib. 2. epist. 37.

Non curandū est, inquit, quid hic aut ille senserit, sed quid
 Christus fecerit & docuerit. Agebatur eo loco contra A-
 quarios, qui in celebratione cœnæ dominicæ aqua utebā-
 tur pro uino. Eos Cyprianus reprehēdit, q̄ facerent cōtra
 uerbū Dei. Hodie Papistæ non quidē aqua utūtur pro ui-
 no, sed lacerant & mutilāt sacramentū, & alteram partē
 populo eripiūt: neq; cogitāt interim quid Christus docue-
 rit aut fecerit, sed tantū quid aliquot homines contra uer-
 bum Domini decreuerint. Ita priscis illis Iudæorū tempo-
 ribus, cū omnia expēderētur ad scripturas, omnia erāt sa-
 na & integra. Cum aut cōtrouersie reuocarētur ad Rab-
 binos, qui sedebāt in cathedra Mosi, omnia erāt uitiata et
 corrupta. Eoq; pharisæi reprehēsi sunt à Christo, q̄ pro-
 pter traditiones suas uiolarēt mandata Dei. Ad hæc quid
 aliud queritur, q̄ ut animus possit acquiescere? Acquiesce-
 re autē animus nō potest nisi in uerbo Dei. Sed uerbum
 Dei, inquit, obscurū est. Esto: & Patres etiā sæpē sunt
 obscuri. Quapropter semper uacillēt oportet animo &
 cōscientia, qui ancorā istā sibi auferūt. Hunc ordinē ethni-
 ci quoq; scriptores secuti sunt. A notiorib. enim, inquit,
 proficiscendū est ad ignotiora. Quæ autē ad religionē at-
 tinent, fide tantū nota sunt, nō sensu. At fidei scripturæ no-
 tiores sunt q̄ Patres. Fides enim est ex auditu, auditus autē
 ex uerbo Dei, nō ex uerbo Patrū. Sed in primis animad-
 uertendū est, quod habet Paulus in priori ad Corint. Spi-
 ritualibus, inquit, spiritualia cōparantes. Nā animalis ho-
 mo nō percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Faciēda est ergo
 collatio, ut spiritus noster spiritualib. confirmetur. Quid
 autem tam est spirituale, q̄ diuinæ literæ? Profectæ enim
 sūt immediate, ut ita dicā, à spiritu Dei. Sed Patres quoq;
 aiunt, sunt spirituales. Fateor: erāt enim fideles & regene-
 rati. Sed quō erant spirituales? Certē nō quatenus erāt Pa-
 tres, sed

tres, sed quatenus erāt Christiani. Hoc aut cōmune est omnib. fidelibus. Et ut fuerint Patres spūales: nō tamen ita prorsus erāt spūales, ut nihil haberēt carnis, aut affectus humani: nō enim semper aut loquebātur, aut scribebant, aut sentiebāt ex spiritu. Pugnant etiā interdū inter se: ita nō faciunt sacræ literæ. Addo, in Christo nō est masculus, neq; foemina, neq; seruus, neq; liber, sed tantū noua creatura. Spiritus enim Dei nō alligatur personis, ut in hoc sit quod sit rex: in illo, quod sit subditus: est enim cōmunis omnibus. Habet Pater spiritū Dei, sed nō eo nomine, q; sit pater: habet iuuenis spiritū Dei, nō tamen idcirco q; sit iuuenis. August. cōtra Donatist. lib. 2. cap. 3. Quis nescit sanctam scripturā Canonicā tam ueteris q; noui Testamenti, certis suis terminis cōtineri, eamq; omnib. posterioribus episcoporū literis ita præponi, ut de illa omnino dubitari et disceptari nō possit: Episcoporū aut literas quæ post cōfirmatum Canonē, uel scriptæ sunt, uel scribuntur, et per sermonē fortē sapientiorē cuiuslibet in ea re peritoris, et per aliorū episcoporum grauiorē autoritatē, doctiorumq; prudentiā, et per cōcilia scimus debere reprehendi, si quid in eis fortē à ueritate deuiatū est. Et ipsa cōcilia quæ per singulas regiones, uel prouincias fiunt, plenariorū cōciliorum autoritate quæ sunt ex uniuerso orbe Christiano, sine ullis ambagib. cedere: ipsaq; plenaria sepè priora posteriorib. emendari, cū aliquo experimēto rerū aperitur quod clausum erat, et cognoscitur quod latebat. Et cōtra Maximinū Arrianum episc. Nunc, inquit, nec ego Nicenū, nec tu Ariminense debes tanq; prædicaturus proferre conciliū. Nec ego huius autoritate, nec tui illius detineris. Scripturarū autoritatib. non quorūcunq; proprijs, sed utrisq; cōmunibus testibus pugnemus: ut res cum re, causa cum causa, ratio cū ratione concertet. Et de

August.

Bono Viduitatis. Quid ego amplius te doceam, quã quod apud Apostolum legimus? sancta enim scriptura nostre doctrinæ regulam figit, ne audeamus sapere plusquam oporteat sapere: sed sapiamus, ut ipse ait, ad temperantiam, sicut unicuique dominus partitus est mensuram fidei. Sed obijciūt nobis, Paulum in Epistola ad Timotheum appellare Ecclesiam columnam Veritatis. Fateor: est quidem columna Veritatis: sed non semper: Verum quando nititur uerbo Dei. Et Ecclesia dicitur à Græca uoce *κἀλειδαι*: excitatur autem & euocatur uerbo Dei: & quã diu ex eo agit, tam diu est columna Veritatis. Quid, ergo abijcimus Patres? Nihil minus. Sed minuimus superstitionem multorum de authoritate Patrum, qui illorum uerba eo loco et numero habent, quo si essent uerba Dei. Multa illi quidem scripserunt, & inuenerūt, quæ nos fortasse nunquam inuenissemus. Non tamen ita omnia scripserunt, quin oporteat nos iudicare atque expendere quid scripserint. In iudicando autem de rebus obscuris duo nobis proponenda sunt *κριτήρια*, quorum alterum internum est, hoc est spiritus: alterum externum, hoc est uerbum Dei. Tum si ad hæc Patrum etiam authoritas accesserit, ualebit plurimum. Sic in causis ciuilibus oratores, re iam confirmata, addunt argumēta alia à iudicatis, eaque interdum plurimum habent ponderis. Iudex tamen secundum ea non pronuntiat. Legibus enim uiuitur, ut inquit Demosthenes, non exemplis. Hinc intelligitur illud Augustini contra epistolam Fundamenti. Non crederem, inquit, Euangelio, nisi me authoritas Ecclesiæ commoueret. Hic se mirificè iactant aduersarij, & clamant, maiorem esse authoritatem Ecclesiæ, quàm uerbi Dei. Et proferrunt regulam dialecticam: propter quod unumquodque est tale, illud ipsum est magis tale. Sed propter Ecclesiam inquam,

Quæ adhibenda sint à nobis *κριτήρια*.

Nota locū August.

inquinunt, credimus Euangelio: ergo multò magis credendum est Ecclesiæ. Excutiamus illam regulam, & uideamus quantum pro illis faciat. Præceptor in causa fuit, ut Vergilius esset poeta: ergo præceptor ille fuit magis poeta quam Vergilius. Propter uinum aliquis est ebrius aut furiosus: ergo uinum ipsum magis est ebrium aut furiosum. Cur ista non sequuntur? Quia in causis efficientibus hæc regula non tenet, nisi sit & tota causa, & proxima, non remota, aut instrumentalis. Ecclesia autem non est tota causa, cur credamus Euangelio: accedit etiam spiritus, sine quo nunquã credimus. Conseruantur quidem scripturae in Ecclesia: & ab episcopo aut magistratu cõseruantur testamenta: sed ea nec episcopus nec magistratus mutare potest. Notarius aut tabellio scribit acta & contractus, & interdum scripta apud se retinet. Non tamen maior fides habetur notario, quàm testatori, aut contrahentibus. Sed dicere solent: hæretici non credunt scripturis. Atqui id ipsorum fit uitio non scripturarũ. Et Iudæi obstinati ne Christo quidem credere uoluerunt, aut Apostolis. Id autẽ ipsis uitio uerti debuit, non Christo, nec Apostolis. Quid quòd ne Ecclesiæ quidẽ uolũt credere? Nam post Nicenã synodum Ariani et plures erãt, et pertinatiores, quàm unquam fuerant antea. Sed qui Ecclesiã statuunt supra scripturas, eant ipsi ad Turcas, ut Ecclesiæ autoritate ac nomine eos inducãt in fidem. Cyprianus de singularitate clericorũ habet locum pulcherrimũ. Si totum, inquit, quod gerimus ad hoc tantũmodo gerimus, ut domino placeamus, profectò hoc solũ erit iustũ, quicquid uoluerit, & iusserit, et probauerit Dominus, cui placere gestimus. Nã cũ serui nõ possint à semetipsis scire, quid suis dominis placeat, nisi dominorũ sequantur imperia, & utiq; homines hominũ similũ sibi non ualeant utilitates agnoscere, nisi

acceperint, quod obseruet, multò magis mortales nesciunt immortalis Dei iustitiam comprehendere, nisi ipse iustitiarum suarum dignetur iudicia demonstrare. Quamobrem isti qui fugiunt scripturas, & colunt Patres, mihi non uidentur theologi dici posse, sed patrologi. Nos autem dicemus, quod quidam olim ethnicus respondit, non curare se minutos illos Deos, modò Iouem haberet propitiu: ita nos non tanti facimus Patrum sententias modò scriptura à nobis faciant. Quamobrem uidemus olim laudabilem fuisse consuetudinem, ne quid legeretur in Ecclesia præter scripturas Canonicas: idq; concilio Carthaginensi tertio decretum est. Et in synodis quum controuersie essent ultrò citroq; disputatæ, episcopi postremò sententiam pronuntiabant è sacris literis. Cuius rei exemplum luculentissimum habemus apud Cyprianum. Nam quum controuerteretur in concilio de Baptismo hæreticorum, episcopus quisque sententiam suam probauit testimonio scripturarum. Deinde quum uolumus instaurare Ecclesiam, in qua aduersarij ipsi multa deprauata esse cõfitentur, nihil cõsultius est, quàm omnia reuocare ad prima Ecclesie principia, & religionis primordia. Quandiu enim consistimus in concilijs & Patribus, uersabimur semper in iisdem erroribus. Ita in Rebus publicis ubi aliquid collapsum est, boni ciues dant operam, ut id reuocetur ad prima initia ciuitatis & fundamenta, si bona fuerint. Sed ne longius abeamus à proposito, aduersarij nobis perpetuò obijciunt uotum. Id primu uideamus an ex uerbo Dei obijciant, an sine uerbo. Si id obijciant ex uerbo Dei, omnino cedendum est: sin sine uerbo operæ pretium est uidere, in quem finè obijciat, et quid uelint. Nam si uotu statuunt & cultu Dei, quo homines iustificetur, et cælestia præmia mereantur, est aperta impietas, nec ferri potest.

In templis non sunt legenda nisi scripturæ Canonicae. Concilium Carthaginense tertium.

potest: iustificamur enim gratis, ex fide, non ex operibus, et
 eterna felicitas gratis datur. Quod si dicent, se in uoto
 edificatione tantum querere, ne id quidem audiri debet.
 Certum est enim ex eo secuta esse magnam piorum hominum
 euerfionem. Verum si contra uerbum Dei uotum obruda-
 tur, ferendum omnino non est. Supra autem pluribus uerbis
 docuimus, uotum caelibatus inuectum esse contra uerbum
 Dei. Quamobrem uideant illi quemadmodum tolerari de-
 beat. His iam constitutis, ueniamus ad singulos Patres, ut
 uideamus quid illi de uoto & caelibatu senserint. Certe, ut
 quod uerum est fateamur, eos in hac causa habemus ini-
 quiores. Statim enim ab Apostolorum temporibus nimium tri-
 bui captum est caelibatui. Quibus autem de causis id factum
 sit, supra multis uerbis docuimus. Non tamen huic cause
 ita prorsus iniqui sunt Patres, ut omnes contra nos faciant
 ita enim potens est ueritas, ut etiam ab inuito interdum ex-
 torqueatur. Sumemus autem principium ab Apostolis: nam
 quodanmodo sunt Patres Patrum. Illi autem primum, quis
 essent sanctissimi, tamen non aspernati sunt coniugia. Imo
 si credimus Ambrosio omnes habuerunt uxores, praeter Io-
 annem & Paulum. Nam in illa uerba Pauli, Despondi uos
 uni uiro uirginem castam exhibere Christo, haec, inquit, re-
 ferenda non sunt ad corporis castitatem. Nam ita exclude-
 remus Apostolos ab ecclesia Dei, qui omnes praeter Ioan-
 nem & Paulum habuerunt uxores, & tamen pertinebant
 ad ecclesiam. Paulus ergo intelligit castitatem spiritus, ne ec-
 lesia inficiatur idololatria, aut adulterio haeresum, et pra-
 uarum opinionum. Sed solent dicere, Apostolos, postquam uenif-
 sent ad Christum, repudiasse quodammodo uxores, & ab il-
 larum consortio abstinuissent, Qui ista dicunt, sua tantum di-
 cunt, nihil probant. Imo absurde, & sine ratione dicunt.
 Nam nisi intercessisset adulterium nullo modo licuit disce

Patres plus
 a quo tri-
 buerunt
 uirginitati
 & caelibatui.

Apostoli
 magna ex
 parte con-
 iugati.
 Ambrosius

dere ab uxoribus. Nec Christus uenit in mundum ut faceret diuortia: sed potius monet, ut quos Deus coniunxit, homo ne separet. Quanquam ita Ambrosium citato hoc loco, non ut prorsus concedam in eam sententiam. Vnde enim sciebat ille, Paulum non habuisse uxorem? Certè alij Patres eo longè antiquiores putant habuisse. Quid autem dicemus de diaconis? Nicolaus diaconus habuit uxorem, ut apparet ex Eusebio & Clemente. Sed de eo post plura dicemus, quum uentum erit ad Clementem. Philippus diaconus & uxorem habuit, & filias. Quam sunt, qui eum referant in numerum Apostolorum. Verum id non multum refert. Hoc certè ex his exemplis intelligimus, munus nec Apostoli, nec diaconi abhorreere à matrimonio. Inter reliquos Patres primus occurrit Ignatius Cuius epistola & si numerentur inter apocrypha, tamen eas diligenter excutiemus. Erat episcopus Antiochenensis uir sanctissimus, & constantissimus martyr. Is cum Christi causa condemnatus esset, & obijceretur bestijs, magna uoce inquit: frumentum sum Christi, oportet ut bestiarum dentibus molar, ut inueniar mundus panis Dei. In epistola ad Philadelphenses, Non detraho, inquit, de cæteris beatis, qui nuptijs copulati fuerunt, quorum nunc memini. Opto enim Deo dignus ad uestigia eorum in regno Dei inueniri: sicut Abraham, Isaac, Iacob, sicut Iosephus, Esaias, & cæteri prophete: sicut Petrus, & Paulus, & reliqui Apostoli, qui nuptijs fuerunt sociati: qui non libidinis causa, sed posteritatis surrogandæ gratia coniuges habuerunt. Primum ait se commendasse uirginitatem, sed non ita tamen, ut quicquam derogaret matris. Imò optat, ut ipsi contingat, ad illorum accedere uestigia. Quare matrimonium nihil impedimento est ad

Nicolaus
diaconus
habuit vxorem.

Philippus
diaconus
habuit vxorem.

Ignatius

eternam

eternam salutem. Enumerat patriarchas, qui familiariter cum Deo loquebantur facie ad faciem, & Prophetas, & Apostolos, qui & spiritu sancto erant præditi, & populo proponebant uerbum Dei. Si illos non impediabat à sancta functione matrimonium, cur nunc cum sacro ministerio non conueniat? Sed dicunt se spectare oportere diuina: & illi diuina spectabant, ut qui maximè dicunt se prædicare, atque utinam prædicarent: illi tamen prædicabant assidue. Sed mitto Ignatium, & uenio ad Iustinum Martyrem. Is in secunda Apologia, quam dedit Antonino imperatori, quum male audiret Ecclesia propter Gnosticos, & Carpocratianos, qui uxores habebant inter se communes, ita respondet. Sunt multi in ecclesia, qui se castrauerunt propter regnum cælorum: uerum hoc non cuiuis datum est.

Iustinus

Siquidem & qui iure humano duas uxores ducunt, peccatores sunt, iudice præceptore nostro, & qui spectant mulieres, ut alant concupiscentiam. Et mox: Et multi in utroque sexu reperiuntur egressi annum sexagesimum, ac septuagesimum, qui à teneris disciplina Christiana imbuti perpetuam castitatem conseruauerunt. Hic de castitate uoluntaria mentionem facit, nullam de uoto. Imò inquires, etiam uotum nominat in questione 89. fateor: Sed uideamus, quid dicat. Tractatur historia de filia Iephthe. Verba autem eius sunt hæc: Permisit Deus illam immolari, non quasi humano sanguine delectaretur, sed quò documentum statueret posteris, ne unquam imprudenter Deo uota nuncuparent. Multa enim metuenda sunt absurda in eiusmodi uotis imprudentibus: quæ ne eueniant, prospiciens Deus, permisit immolari filiam Iephthe. Quod quidem non fuit antegressi consilij uel Dei, uel ipsius Iephthe, sed accidens imprudentis

uoti. Hæc uerba si aduersarij expenderent, non ita homines adigerent ad uota, unde uidemus tot mala in ecclesiam redundasse. Sed obijcient: At questione uigesima prima addit etiam insuper de monachis. Esto: sed primum eo loco nulla est mentio de uotis: deinde hoc addo illas interrogationes non esse Iustini. Id nisi probauiro, nolo mihi quisquam credat. Nam qua ætate uixit Iustinus? Anno Domini 164. sub Antonino. Et tamen questione 52. & 56. citat Origenem qui uixit sub Alexandro Mammææ Anno 212. Videmus ergo Origenem longo post tempore sequutum esse Iustinum. Hic tamen quisquis est, eum ita citat, ac si multo ante præcessisset. Adhæc mentionem facit de Manichæis.

At Manes author eius sectæ multo post uixit sub Aureliano, Anno 260. ut centum anni omnino interfuerint, inter eum, & Iustinum. Et questione quinquagesima secunda ad Orthodoxos negat, fuisse uerum Samuelem, quem maga excitauit. At in colloquio cum Tryphone Iudæo, qui liber Iustini est sine omni controversia, ait fuisse Samuelem. Fuisse & non fuisse sunt contradictoria. Quare liber ille Interrogationum non uidetur esse Iustini. Proximus est Dionysius Corinthiorum episcopus, qui epistolam scripsit ad Gnosticos, in qua monuit Pinytum illorum episcopum, qui iam tum coeperat eiusmodi quippiam meditari, ne iugum castitatis fratribus imponeret, quod illi ferre non possent, & citatur ab Eusebio, & à Hieronymo de uiris illustribus.

Irenæus Post hunc sequitur Irenæus. Ille hac de re neutram in partem multa scribit. Aliqua tamen habet, quæ nonnihil pro nobis faciant, libro primo, capite nono de Marco quodam, quem ait fuisse maleficum, & magum, & præstigiatozem. Efficere enim solebat præstigijs, ut ui-

Dionysius
Corinthio-
rum episco-
pus

Irenæus

num

num in calice ruberet, ac si sanguis esset: & de paruo calice cum magna spectantium admiratione magnum implebat. Decepit etiam mulieres, & eas illexit ad adulteria. Vnde quum uenisset in Asiam, & diuertisset ad diaconum quendam, eius uxorem corruptis malis artibus, & abduxit. Ea postea quum egisset pœnitentiam, restituta est ecclesie. Ex hoc loco colligitur, illum diaconum non solum habuisse uxorem, sed etiam eam domi sue habuisse. Idem Irenæus libro primo, capite trigesimo primo, ait, Tatianum quendam discipulum Iustini, qui quoadiu præceptor uiueret, quum se continuisset in officio, postea elatum superbia æquasse matrimonium scortationi. Et quid aliud nostri faciunt aduersarij? imò isti matrimonium ministrorum statuunt esse adulterio, & scortatione deterius. Quid est consentire cum Tatiano, si hoc non est? Et ut ne hoc taceam, libro secundo, capite quadragesimo sexto, idem Irenæus scribit, quum uniuersæ scripturæ & propheticae, & Euangelicæ in aperto sint, & sine ambiguitate, & similiter ab omnibus audiri possint, & c. Videant isti hæc uerba pro nobisne, an pro illis faciant? Illi populo eripiunt scripturas, Irenæus eas uult esse in aperto, & similiter audiri ab omnibus. Veniamus nunc ad Clementem Alexandrinum. Is in secundo libro pædagogi capite decimo, scribit in hunc modum: In summa oportet Christianos, aut matrimonium contrahere, aut, si qui non contrahant, mundè ac purè uiuere. Hæc oportuit papistas ad suos sacrificos accommodare. Nam si purè & mundè non uiuant, Clemens monet, ut contrahant matrimonium: Illi autem contra statuunt. Quantumuis enim spurcè, ac impurè uiuant, tamen eos non patiuntur uxorem ducere. Sed ueniamus ad apertiora. Idem Clemens Stromatōrum libro tertio ait:

Clemens
Alexandri
nus.

πέτρος καὶ φίλιππος ἐπιστολοποιήσαν. Et de Philippo
 τὰς θυγατέρας ἀνδραγατεύειν ἐξέδωκεν. Et alio loco, Paulus
 inquit, quoque non est ueritus in quadam epistola
 nominare coniugem suam. Ea autem epistola est ad Phi-
 lippenses, in qua sic affatur uxorem suam: ἐγὼ τὸ σε σὺ-
 ζυγε γήσισ. Quam alio loco ad Corinthios, ait, se non
 circumducere, quamuis alioqui liceret. Sic enim ait:
 Non habeo potestatem ἀδελφῶν γυναῖκα circumδύ-
 cendi, sicut & ceteri Apostoli, & fratres Domini, &
 Cephas? Clemens ergo testis est, Paulum habuisse u-
 xorem. Sed hic aduersarij occurrunt, & dicunt a-
 lios Patres id negare. Et in eam sententiam citant Am-
 brosium, Chrysostomum, Hieronymum, Augustinum,
 Theophylactum. Primum quòd ad auctoritatem atti-
 net, nemo unquam explosit Clementem, quasi uirum
 malum, aut non rectè sentientem. Deinde quero, quem
 Ignatius, & Clemens propiores Apostolorum tem-
 poribus fuerint, & rem omnem scire facilius potue-
 rint, cur non illis potius fides habenda sit, quàm his,
 qui longo post tempore secuti sunt? Certè quando uel de
 furto uel de homicidio testimonium dicendum est, ma-
 gis illis creditur, qui propius adfuerunt, nisi impro-
 bi, aut malitiosi esse arguantur, quàm alij, qui scire non
 potuerint. Sed hic Smythæus meus clamat, locum il-
 lum Ignatij, impostura alicuius hæretici esse depraua-
 tum quòd facilius persuaderetur, licere sacerdotibus du-
 cere uxores. Nam Oxonij inquit, in bibliotheca Mag-
 dalenensi in libro miræ uetustatis, non excuso typis,
 sed manu perpulchris characteribus exarato non in-
 uenitur nomen Pauli. Pulchrum est, quum aliquid o-
 bijcitur ex Patribus, quod soluere nequeas, responde-
 re, lo-

re, locum esse deprauatum ab hæretico. Et nonnihil miror cur Clementem quoque non ausus sit dicere, deprauatum esse eodem modo. Hunc autem errorem in Ignatio, cur ante hunc Aristarchum uidit nemo? Tum ille hæreticus, quo nomine, ubi, aut quando fuit? Hic satis est Smythæo dicere, fuisse aliquem. Sed ille aliquis unde tantam nactus est potestatem in libros, ut unus omnia exemplaria, quæcunque essent, ubique terrarum potuerit corrumpere? Verum ut fuerit aliquis, & omnia exemplaria corruerit, quo consilio corrupit? Vt facilius, inquit, persuaderetur, licere sacerdotibus uxores ducere. Ea causa interposuit nomen Pauli. Ridiculum. Quasi minus sit ponderis in Petri nomine, quàm in Pauli, aut quasi nobis non sit satis, ut doceamus matrimonium non abhorere à sacro ministerio, si probari possit, Petrum uel solum habuisse uxorem: aut, quamuis tollas nomen Pauli, quasi Ignatius non aperte scribat, Petrus & cæteri Apostoli domini. Sed ut intelligas, lector, quanta dehinc Smythæo fides habenda sit, ego quum essem Oxonij, uidi in bibliotheca Magdalenensi librum illum, quem iste ait, miræ esse uetustatis, & multa legi, & multa cum alijs exemplaribus contuli. Quid queris? Inueni librum non modò non ita mirè uetustum, ut Smythæus prædicat, sed etiam multis locis corruptissimum. Sed ut redamus ad institutum, quamuis inquit Ignatius & Clemens sint magnæ authoritatis, tamen uerba Pauli illorum sententiam non probant. Nam si in epistola ad Philipp. uxorem suam intelligi uoluisset, γυναικα dixisset potius in fœmineo genere, quàm γυναίκα. Hic ego non possum non mirari uelle istos corrigere Græcè

scripta, quum & Ignatius, & Clemens fuerit Græcus, & præsertim Clemens græcè doctissimus, & in poetis & oratoribus maxime uersatus, & tamen Pauli dictione nõ sit offensus. Proprium enim est Atticorum masculino genere uti pro foemineo. Sed dicent fortasse, Paulum com muni potius lingua usum esse, quàm Atticã. An uerò e- pistolam Pauli ad Titum non legerunt? Nam in illa e- pistola sic scribit, Apparuit $\chi\acute{\alpha}\rho\iota\varsigma$ ἡ σωτήριος, &c. Eodem prorsus modo, quo hic uxorem suam dicit $\psi\upsilon\lambda\lambda\acute{o}\tau\iota\varsigma$. Et certè Paulus si uirum aliquem eo loco intelle- xisset $\sigma\upsilon\upsilon\epsilon\gamma\gamma\omicron\upsilon\tau\iota$ eum potius appellasset, quàm $\sigma\upsilon\lambda\lambda\acute{o}\tau\iota\varsigma$. Nusquam enim fratrem $\sigma\upsilon\lambda\lambda\acute{o}\tau\iota\varsigma$ salutauit. Adhæc quo- tiens salutatur aliquem, eum uel uocat proprio nomine, uel ita describit, ut intelligit possit, quem uelit. Id au- tem hoc loco non fit. Vxorem autem suam ita appellat $\sigma\upsilon\lambda\lambda\acute{o}\tau\iota\varsigma$, ac si eam suo nomine salutasset. Alterum au- tem illum locum ad Corinthios, Non habeo potestatem sororem mulierem circumducendi &c. superius ex- plicuimus: Sed dicere solent, illa uoce, $\gamma\upsilon\upsilon\alpha\iota\alpha$, aliam quamuis mulierem significari, non uxorem. Cur ergo dixit Paulus sororem mulierem? Quid erat opus, ut ad- deret mulierem? Quasi uerò uir aliquis soleat dici so- ror. Effet nugatio, si ita sensisset. Sed uideamus eius loci circumstantias. Quæ erant illæ mulieres, quas Pau- lus ait, sibi licuisse circumducere? Ambros. respondet, fuisse diuites matronas et pias, quæ de suis facultatib. uictum sub ministrabant Apostolis. Quid ergo agit Paulus eo loco? Ait, se posse pro suo iure petere ab ecclesia, ut res sibi ad- uictum necessaria suppeditentur. Neque id solum, sed ec- clesiam ut mulier, quam posset circumducere, si uellet, ab ec- clesijs aleretur. Ita enim prospectum erat alijs Apostolis.

Ambrosius

Iam

Iam si mulieres illæ ita erant diuites, ut Apostolos alerēt
 & omnia illis necessaria suppeditarent, quomodo ista
 cōsentiunt cum instituto Pauli? Quare non oportuit tam
 facile Clementem condemnare? erat enim & pius uir, &
 antiquissimus, & illis temporibus, ut ista facilius scire po-
 tuerit. Sed obijciūt, Quid ergo dixit Paulus, Volo omnes
 esse, sicut ego sum? Nam si maritus fuit, uideri potest ad
 matrimonium potius hortari his uerbis, quàm ad cæ-
 libatum. Facilis est responsio. Habuit quidem Paulus u-
 xorem: sed eam reliquerat Philippis ex consensu, ut
 expeditius prædicaret Euangelium. Itaque habuit u-
 xorem, quasi non haberet, ut quamuis esset maritus, ta-
 men uideri posset cælebs: eoque se proponit exempli
 loco, quem imitentur. Sed quid respondent Clementi?
 Aiunt, Patres quum scriberent in hæreticos, uiolentius
 torfisse scripturas. Ita Clemens, inquit, quum contra
 Tatianos, & Eucrattas scriberet, quacunque ratione il-
 los uolebat opprimere. Accipio libenter, quod dicunt, &
 peto, ut mihi quoque tantundem concedant alio tempo-
 re, ut mihi quoque liceat dicere, Patres interdum urfisse
 scripturas uiolentius. Sed redeamus ad Clementem. De
 Nicolao citat historiam, quam etiam narrat Eusebius. Ait
 enim, cum haberet formosissimam uxorem, cœpisse malè
 audire, quasi laboraret Zelotypia, eum autem, ut se pur-
 garet, adduxisse uxorem in medium, & dixisse publicè:
 Eat per me, & nubat cui uolet, ac si illi dedisset libellum
 repudiij. Hæc autem eius uerba alij perperam intellexe-
 runt, quasi ille sensisset uxores communes esse oportere.
 Atq; hinc nata est secta illa Nicolaitarum, qui tuebantur
 uxorum communitatem. Excusatur tamē Nicolaus, quia
 illi eum aliter acceperunt, atque ille sensisset. Eoque uxo-
 rem retinuit, atq; ex ea filias procreauit, quæ, ut ait Cle-

Eusebius

Vnde Ni-
colaitæ.

mens, uirgines permanserunt. Idem Clemens refutat illo-
rum argumentum, qui ex 7. capite Pauli ad Corinthios
probare uolunt, non esse contrahendum matrimonium.
Ita enim colligunt: Bonum est mulierem non tangere, er-
go malum est tangere. Id refutat à simili. Paulus, inquit,
octauo ad Corinthios ait, Bonum est non comedere car-
nes, & non bibere uinum. Quare si ex altero loco impe-
dire uolunt matrimonium, ex hoc, inquit, impediunt, ne
quis edat carnes, aut bibat uinum. Utq; doceat, nihil es-
se obsceni in matrimonio, citat hæc uerba Pauli, Sancti-
ficatur mulier infidelis per uirum fidelem. Quare ma-
trimonium nihil impedit, inquit, sanctitatem. Illi autem
dicebant, se nolle nubere, quòd iam facta esset resurre-
ctio. In resurrectione autem, inquit, neq; nubunt, neq;
contrahunt matrimonium. Verum quidem est, inquit ille:
Sed hoc etiam additur, Regnum Dei non est esca & po-
tus: & esca uentri, & uenter escæ: & hunc & hanc de-
struet Dominus. Quare, quoniam iam facta est resurre-
ctio, nec edant posthac, nec bibant. Addit præterea fuisse
maleficorum, & magorum, & eorum qui angelos &
dæmones colerent, abstinere à carnibus, & uino. & re-
Venerca: & alludit ad locum illum Pauli ad Colossenses:
Ne tetigeris, ne gustaueris, quæ percunt ipso abusu: quæ
sunt secundum præcepta & doctrinas hominū, quæ spe-
ciem quidem habent sapientiæ in superstitione & hiant
litate, & neglectu corporis, non in honore ad expletionem
carnis. Qui detestantur matrimoniū, Christum sibi pro-
ponunt pro exemplo. Christus, inquit, non duxit uxore
rem, ergo nobis nō licet uxorem ducere. Par enim est, ut
per omnia Christi uitam imitemur. Respondet Clemens,
alias Christo fuisse causas peculiare, ne uxore duceret,
quæ nobis nō sint. Adfert autem tres. Primum Christum
uisse

Quare
Christus
non duxe-
rit uxorem
iuxta Cle-
mentem.

misse matrimonium cū Ecclesia, eoq; non curasse aliud.
 Quare cum Papa & episcopi uocant se sponfos Eccle-
 sia, abutuntur ea uoce, qua proprie Christo conuenit.
 Christus enim solus est sponsus Ecclesiae. Et Paulus ait,
 despondi uos uni uiro uirginem castam exhibere Chri-
 sto: ac si diceret, Ego sum pronubus tantū, aut paranym-
 phus, non sponsus. Et Ioannes Baptista se uocat amicum
 sponsi, non sponsum. Altera causa erat, quod nihil esset
 imperfectionis in Christo, ut opus haberet adiutorio. U-
 xor autem adiutorium est uiro, non tantum ad propa-
 gandam sobolem, uerum etiam ad multos usus humane
 uitae. Tertia autem causa fuit, quia uxores ducuntur, ut
 parentibus morituris surrogentur liberi. Christus autem
 uiuit in aeternum: quare non erat opus ut sibi liberos
 surrogaret. Et nos, cum erimus in patria, non ducemus
 uxores: quoniam uiuimus in aeternum, nec opus habe-
 bimus liberis, aut uicarijs qui nobis succedant. Addit Cle-
 mens praeterea: Apostoli scripserunt epistolas ad Eccle-
 sias, easq; plenas omnium rerum ad salutem necessaria-
 rum. At illi nusquam prohibent nuptias, imò potius do-
 cent quemadmodum colenda sint. Nam aduersarij fa-
 tebantur, in ueteri Testamēto licuisse contrahere matri-
 monium, sed non licere in nouo. Quapropter ducit argu-
 mentum ex epistolis Apostolorum. Ad haec, mariti in-
 quit, deliguntur episcopi, presbyteri, & diaconi in no-
 uo Testamento. Id illi fatebantur: sed hoc addebant, eos
 qui ita creati fuissent ministri in Ecclesia, statim repu-
 diasse uxores: id quod Papiſtae etiam hodie faciunt. Cle-
 mens autem, imò uerò, inquit, Ecclesia admittit episco-
 pos, presbyteros, diaconos utente s matrimonio citrà re-
 prehensionem. Utentes, inquit, matrimonio, non tan-
 tum qui usi sint. Quibus uerbis refellitur illorum futi-

le commentum. Citabāt porrò Marcioniste, Tatiani, & eiusmodi pestes Euāgelium secundum Aegyptios. Quod quale fuerit, Nazar eorumne an Ebionitarum, an aliud, nescio. Sed in illo Salome sic affatur Christum. Quandiu uobis mors dominabitur? Christus respondet, quandiu uos mulieres parietis. Ergo, inquiūt, ut mors ne amplius dominetur, tollenda sunt coniugia. Hic possumus uerè dicere Euāgelium illud esse supposititium. Sed Clemens aliter respondet. Christus, inquit, his uerbis non prohibet partum, sed tantum ostendit euentum, mortem dominari si mulieres pepererint. Quia qui ortum habet, necesse est, ut eū interitus consequatur. Atq; id fiet, inquit, usq; ad iudicium. Sed redit ad Euāgelia recepta. Hic obijciunt parabolam. Qui inuitabatur ad conuiuium, respondit, se, quod uxorem duxisset, nō posse uenire. Ergo, inquiunt, non licet contrahere matrimonium, quia auerit nos à conuiuio caelesti. Respondet Clemens: ille, qui dicitur duxisse uxorem, significat hominem mundanis curis, & cogitationibus implicatum, quique ob uoluptates recusat sequi uocationem Domini. illa nos morantur à conuiuio Dei. Alioqui si ob eam causam non licet uxorem ducere, eam ipsam ob causam non licebit uillam aut boues emere, aut terram colere. Nam illi quoq; se excusari uoluerunt, ne uenirent ad cœnam. Sed obijciunt aliud aliquanto in speciem grauius ex Paulo. Qui sine uxore est, cogitat ea quæ sunt Domini, quomodo placeat Domino: qui autē duxit uxorem cogitat ea, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori: diuersæ enim sunt mulier & uirgo. Quæ uirgo est, curat ea quæ sunt Domini, ut sit sancta corpore & spiritu: quæ uerò nupta est, curat ea, quæ sunt mundi, quomodo placeat uirō. Ergo matrimonium, inquiunt, prohibet, ne possimus placere Domino.

mino. Hic scire debemus ex his uerbis Pauli nihil aliud
 posse colligi, nisi maiore quadam cura implicari mari-
 tos, quàm cælibes. Sed cum omnibus non sit datum, celi-
 bẽm uitam uiuere, multò satius est has qualescunq; cu-
 ras subire, quàm uel uri, uel apertè scortari. Duobus
 enim propositis incommodis, id eligendum est, quod mi-
 nus lædit. Nam nec qui grauitè uritur, potest animum
 inducere, ut spiritualia curet, & ea quæ sunt Domini:
 quandoquidem distrahitur, & uehementer animo per-
 turbatur: nec qui apertè scortatur, & idcirco laborat
 infamia, potest edificare Ecclesiam Dei. Quin & mari-
 tus habet quædam munera, quæ & Domino placent, &
 faciunt ad gloriam Dei: quale est piè educare liberos,
 regere, & instituere familiam. Quod autem Paulus di-
 cit, maritum sollicitum esse de mundo, cogitare debe-
 mut, Mundum in sacris literis bifariam intelligi. Inter-
 dum enim accipitur in deteriore partem pro peccato:
 Sed ita hoc loco non accipitur. Interdum pro cura qua-
 dam de uictu, & alenda familia. Atq; hic est sensus Pau-
 li. Hæc autem cura damnari non potest, modò ne cum
 dissidentia coniuncta sit. Verùm dicent: at minister ab
 omnibus, nedum ab istis curis solutus & liber esse de-
 bet. Imò, inquit Clemens, non est necesse. Nam istæ cu-
 re matrimoniales sunt quædam meditationes, & quasi
 præparationes ad regendas Ecclesias: & idcirco eligi-
 tur episcopus maritus, qui se exercuerit in alenda fami-
 lia. Itaque cura illa non est tanta, ut possit auellere à co-
 gitatione rerum diuinarum, & à cura Ecclesiæ. Idq; ex
 Luca intelligi potest. Zacharias & Elizabetha erant
 coniuges: & tamen erant iusti ambo coram Domino,
 & ambulabant sine reprehensione. Quare matrimoniũ
 non impedit piæ cogitationes. Et addit Clemens: Qui est

in matrimonio non potest Deo gratias agere? Non potest sollicitus esse de his quæ sunt Dei? Potest, inquit. Et mulier nupta non potest sancta esse corpore & spiritu? Certè, inquit, potest. Nam ambæ sanctæ corpore ac spiritu esse queunt, sed pro sua portione, ut hæc sit sancta ut uxor, illa ut uirgo. Sermo autem Apostoli non est in materia necessaria, ut loquuntur dialectici, sed tantum de his, quæ ut plurimum contingunt. Nam quod Paulus dicit, hominum uitio accidit interdum, non nuptiarum. Homines enim non semper prudenter contrahunt matrimonium. Ducunt enim interdum uxores non Christianas: interdum oculis magis ducunt, & digitis quam iudicio aut ratione. Inde sunt distractiones & sollicitudines, ut mundo & coniugi placeant. At si quis à Deo pius sanctumq; matrimonium petat, non ita superfluis curis onerabitur. At Clemens libro 3. Strom. aperte mentionem facit de uoto, ubi ita definit temperantiam. *Ἐστὶ σωμάτων ὑπεροφία κατὰ τὴν πρὸς θεὸν ὁμολογίαν. κατὰ τὴν ὁμολογίαν.* inquit, hoc est, ex professione, aut ex uoto. Hæc autem continentia, inquit, nõ tantum est in uenera: ἀλλὰ καὶ περὶ τὴν γλῶσσαν, καὶ περὶ τὴν ἡψῶσιν καὶ περὶ τὴν χεῖρας. Quem locum in primis cogitare Papius oportet, cum tantopere urgent uotum castitatis. Verum his locus euitari utcunque possit: sed est alius in secundo libro multo clarior. Sic enim citat Christi uerba, quæ ubi scripta sint nescimus. *πάλιν ὁ κύριος φησὶν: ὁ γῆρας μὴ ἐνδύσθετα: καὶ ὁ μὴ γαμήσας, μὴ γαμέτω. ὁ κατὰ πρόθεσιν ζωνου χίτας ὁμολογήσας μὴ γῆραι, ἀγαμος διαμένετω.* Qui professus est se non ducturum uxorem, caelebs maneto. Erant ergo Clementis etate professiones castitatis, & uota. Fateor: nec ero difficilis. Iam tum inceperant homines desistere à uerbo Dei. Erant primis

Nota pro-
gressum
uotorum.

primis illis Apostolicis temporibus, qui cum donum haberent caelibatus, uivebant caelibes, sed sine uoto. Postea erant qui profiterentur etiam coram Ecclesia, se uelle uiuere caelibes. Adhuc tamen uota non exigebatur à quocumque: imò si quis illorū, qui hoc pacto uouissent, postea duxisset uxorem, non erat ei fraudi. Erat enim legitimū matrimonium. Postea tamen coepit malè audire, ut Basilius.

filius hoc genus matrimonij incestum appellarit. Quamquam Augustinus multis rationibus docet, huiusmodi contractus esse legitima matrimonia, quamuis intercessisset uotum. Et temporibus Iustiniani Imperatoris, ut apparet Iustinian. ex eius Authenticiis, ministri, qui post uotum duxissent uxores, deponerentur tantum à ministerio, non distrahebantur à matrimonio. Nunc & exiguntur uota, & matrimonia soluuntur, & qui contraxerunt comburuntur. Ita non diffitebor etiam tempore Clementis apud paucos quosdam coepisse consuetudinem uouendi. Clemens tamen addit hanc cautionem: qui suscipiunt uotum castitatis, uideant ne per impietate suscipiant: hoc est, ne obscena putent esse matrimonia, neue alios contemnāt, qui uxores duxerint. Vtrunq; in Papistas conuenit: nam & matrimonia foeda & obscena esse clamant, & se, quia caelibes uiuunt, multo putant sanctiores & meliores esse, quam alios qui uiuunt in coniugio. Clemens autē monet, ut uterq; agat gratias Deo de dono suo. Vtrunq; enim, & caelibatus, & matrimonium est donum Dei. In 7. Roma. ait, Petrum adhortatum esse uxore suam, cum illa duceretur ad martyrium, & eam his uerbis compellasse, Heus tu, memento Domini. Talia, inquit, sunt Apostolorum coniugia, ut sibi mutuò sint adiumento, & mutuò se cohortentur ad martyriū. Nunc uenio ad Tertullianum. Hic eduersarij nostri multa inueniunt: sed ut

forex, produntur indicio suo. Quis enim fuit ille Tertul-
 lianus? Certè presbyter Carthaginensis ciuitatis, ut ap-
 paret ex Hieronymo de uiris illustribus. Et cum esset
 presbyter habuit uxorem. De eo si quis dubitat, le-
 gat eius librum quem scripsit ad uxorem suam. Ergo il-
 lo tempore presbyteri habebant uxores. Sed non nimis
 magna fides illi habēda est in hac re: lapsus enim est ad
 Montanistas. In exhortatione ad castitatem, quem librum
 Hieronymus ait, scriptum esse contra Ecclesiam, & in
 lib. de monogamia damnat secūdas nuptias. Veteres au-
 tem etsi multum tribuerent uirginitati, tamen libenter
 concedebant primas nuptias. Secūdas autem uix & e-
 grè dabant, idq; si quis se non contineret. Has autem nu-
 ptias Tertullianus nullo modo dabat. At Montanista lō-
 gius etiā prouecti sunt. Damnabant enim in uniuersum
 omnes nuptias. Argumentum autem, quo Tertullianus
 secundas nuptias damnabat, inane est, & friuolum. Un-
 de, inquit, eliguntur episcopi? Ex monogamis. Ergo om-
 nes laicos, inquit, oportet esse monogamos, ne impediant
 electionem episcoporum. Nam si omnes laici fuerint bi-
 gami, non erit, unde eligantur episcopi. Hoc argumentū
 si Papistæ urgere uellent, prohiberent omnino omne ma-
 trimonium. Nam apud eos episcopi non eliguntur nisi
 cælibes. Sed utitur alio argumento nō magis firmo, quā
 est illud, quod modò retulimus. Oportet, inquit, omnes
 Christianos esse monogamos, quia omnes sumus sacer-
 dotes. Sacerdotes autem oportet esse monogamos. Chri-
 stianos autem esse sacerdotes, probat ex eo quod scriptū
 est: Fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotium. Sed
 in libro de uelandis uirginibus, ait, fuisse quasdam in Ec-
 clesia uirgines Dei. Et in libro quem in scripsit, Exhor-
 tationem ad castitatem, appellat quasdam uirgines ordi-
 natas

natas. Id Papista ita interpretantur acsi essent ab episcopo consecratae. Verum ille mos non coepit ante tempora Ambrosij, cum Ecclesia iam otium & pacem nacta esset. Certum autem est, librum illum de uelandis uirginibus nihil minus spectare, quam uirgines ab episcopis consecratas, quod isti putant. Hoc enim est eius libri argumentum. Virgines Carthaginiensium uenisse in templum aperto capite. Id factum cum à quibusdam reprehenderetur ex Pauli uerbis ad Corinthios, Carthaginienses responderunt, locum illum Pauli intelligendum esse tantum de nuptis mulieribus, non de uirginibus. Tertullianus itaq; probat uerba illa Pauli pertinere ad omnes, & tam uirgines, quam nuptas in coetu sacro uelari oportere. Est etiam in eodem libro, quod pro nobis non nihil faciat. Inuita, inquit, & coacta castitas in grauissima mala protrudit: hinc enim fit, ut sceminae saepe debellant infantes. Virgines, inquit, quae inuitae & coactae uirginitatem colunt, ne facinus prodatur, saepe curant abortum. Hic Papista negare non possunt, multos esse ex sacrificis & sanimonialibus suis, qui & coacti ita uiuant, & saepe in ista scelera & flagitia labantur. In libro de Monogamia ad psychicos (ita enim uerè Christianos, quasi animales aut carnales, uocat, quòd secundas nuptias tertiasq; permitterent) ita scribit: Apud uos episcopi etiam sunt digami. Ex quibus uerbis hoc potest colligi, uel ueteres non ita intellexisse Pauli uerba ad Timotheum, ut ea hodie multi intelligunt, uel certè cum aliqua *ἐπιεικεία* & moderatione intellexisse. Ita cum Paulus monuisset, ne neophytus deligeretur episcopus, tamen adhibita moderatione, & Ambrosius Mediolani, & Nectarius Constanti nopoli, uterq; catechumenus & neophytus creatus est episcopus. Quòd autè ad secundas nuptias attinet, ui-

dicit Tertullianus aduersari sibi Pauli locum ad Timotheum,
 ubi ait se uelle uiduas iuniores nubere, & filias procrea-
 re. Quare ea uerba ad hunc modum interpretatur. Ad eas
 dirigit, inquit, quales supra denotauit, iuueculas uiduas,
 quae in uiduitate deprehensae, & aliquandiu affectatae,
 postquam in delicijs habuerunt Christum, nubere uolunt
 habentes iudicium, quod primam fidem resciderunt, illam
 uidelicet, a qua in uiduitate inuenta, professa eam, non
 perseuerant. Propter quod uult eas nubere, ne primam
 fidem susceptae uiduitatis postea rescindant. Et his uer-
 bis alterutrum horum omnino intelligendum est: uel Pau-
 lum uelle eas nubere, quamuis uouissent, idque magis Ter-
 tullianus uidetur sentire: uel, si non de uiduis, quae profes-
 sae sint, sed de similibus agatur, tamen Paulum eas quoque
 uelle nubere, ne postea a fide data rescindant. Haec quoque
 sententia contra aduersarios nostros facit. Nam illi iuue-
 culas & penes puellas permittunt uouere, & in pericu-
 lum incurrere. Quare in utraque parte sententiam Ter-
 tulliani acceperint, contra illorum instituta facit. Idem
 Tertullianus in libro de Anima, ait uerba illa Domini,
 Crescite & multiplicamini hucusque durare, & consecra-
 re matrimonia. Nihil ergo turpe aut foedum est in nu-
 ptijs, quae uerbo Domini consecratur. Papistae tamen eas,
 ut impuras, & spurcas damnant. Venio nunc ad Orige-
 nem, qui uixit sub Alexandro Mammæae, & peruenit usque
 ad tempora Philippi. Eum nimio quodam laborasse stu-
 dio castitatis, testimonio est, quod se ipsum castrauit: id
 enim eum fecisse, auctor est Eusebius: quod perperam sa-
 ctum multa post Cœcilia damnauerunt & prohibuerunt,
 ne quis se ipsum execaret. Quare mirum non est, si quid
 Origenes de hac re non recte senserit. Homelia 23. in
 Numer. ait, iuge sacrificium non nisi a uirgine aut celi-
 be

Origenes.

be praestari posse. Per iuge autem sacrificium intelligit
 preces: quasi dicere uelit, neminem precari posse nisi ca-
 libem. Contra Christus apud Lucam iubet, ut semper o-
 remus: & Paulus ad Thessalonicenses, Sine intermissio-
 ne, inquit, orate. Atq; haec uerba ad omnes Christianos
 pertinent, non tantum ad caelibes. Quare si Origenes re-
 ctè colligeret, nulli Christiano liceret cōiugium inire. Ve-
 rum quidē est, Paulum 7. ad Corinth. monuisse cōiuges,
 ut precationis & ieiunij causa temperarent sibi ad tem-
 pus ex consensu. Non tamen ita monet, ut à se inuicē di-
 scedant, quasi cū sint in cōiugio precari non possint. De
 quibus aut precib. eo loco egerit iā supra docuimus. Mi-
 mus autem tolerabile est, quod habet idem Origenes ho-
 melia 27. in Lucam. Primus, inquit, gradus est ab omni cō-
 iugio abstinere: secundus unas tantum nuptias experiri: ut
 coniunx apud se uoueat & statuatur, si quid cōiugi huma-
 nitus contigerit, nolle se secundas nuptias inire. Secunda
 enim, inquit, nuptia ut excludunt à ministerio Ecclesiae,
 ita etiam excludunt à regno caelorum. Sed adhibet mo-
 derationem, Non quidem inquit, ut proijcientur in igne,
 sed tantum ut ne sint in regno Dei. Ita meditatur tertium,
 nescio quem locum non satis prudenter, nec ex auctori-
 tate uerbi Dei. Sed Tractatu 29. in Matthaeum, cū expo-
 nit haec uerba Pauli ad Timotheum: Seruabitur autē per fi-
 liorum generationē, si p̄stiterit in fide, At, haec uerba non
 posse intelligi secundū literā. Neq; enim mulier, inquit,
 seruatur propter procreationē liberorum. Quare ista tor-
 quet ad allegoriā, ut animus qui pepererit, & produxe-
 rit opera bona, seruetur per ea quasi per procreationē
 filiorum. Hoc uerò ferendū nō est. Quid enim tandē indi-
 gnū est in uerbis Apostoli? Egerat antē de mulierib. uel-
 le se eas in coetu tacere, nec potestatem exercere in uiros.

Quoniam, inquit, mulier seducta fuit non uir: & Adam
 prior formatus est, deinde Eua. Tamē ne mulieres se con-
 temptas & spretas putarent, seruabuntur, inquit, per fi-
 liorum procreationem, &c. Quid ergo est filiorum pro-
 creatio causa salutis? Non: Christus enim est solus, per
 quem iustificamur, cum fide fuerit apprehensus. Libero-
 rum autem procreatio medium tantum est ad salutem.
 Tantum enim abest, ut id mulieribus obesse possit, ut hoc
 medio Deus uti uelit ad illarum salutem. Ita opera bo-
 na media quaedam sunt ad uitam eternam. Non quod ea
 uitam aut salutē promereri possint, sed quod media tan-
 tum sint, in quibus oporteat uersari. Ita si quis uelit per
 gradus ascendere, gradus illi media tantum quaedam sunt
 ascensionis, non causę. Nam causę sunt uires motus, spi-
 ritus. Ita intelligendus est locus ille Pauli, nec est opus ut
 constringamus allegorias. Et certē nō parum est, si mulier
 patienter ferat dolores, fastidia ciborum, pericula uitę,
 labores in educandis liberis: nam eam per hæc Deus per-
 ducit ad salutē, quę tamen partibus & educationi libe-
 rorum non est sic alligata ut sterilibus & orbis modō si-
 dem in Christum habeant non sit conferenda. Quod au-
 tem Origenes ait absurdum fore, si hæc ad literam intel-
 ligantur, quod pace tanti uiri dicatur, ipse mihi uidetur
 absurdus esse: sed habet alia bona, neq; enim semper er-
 rat. In 12. caput ad Romanos in hæc uerba: Obsecro uos
 fratres, ut exhibeatis corpora uestra hostiā uiuam, san-
 ctam: Deo placentem, &c. Non tantum uirginum corpo-
 ra sunt hostia uiua & sancta, inquit: nam alioqui exclu-
 deremus aliquos Apostolorum, qui habuerunt uxores.
 Nam qui uiuunt in coniugia, si orent Dominum, & mo-
 deratē uiuant, possunt illi quoq; esse hostia uiua. Et uir-
 gines si impudenter & auare, ac dissolutē uiuant, non
 possunt

possunt esse hostia uiua & sancta, quamuis sint uirgines.
 Ut enim in uictima non tantum spectabat sacerdos, an es-
 set ex genere mundo, sed etiam num quid uitij aut macu-
 le esset in pedibus, aut in aliqua parte corporis: ita non
 satis est uidere, num quis caelebs uiuat, sed etiam uiden-
 dum est, an in eo statu mundè uiuat. Et idem in hæc uer-
 ba ad Rom. Ne quis plus sapiat, quam oporteat sape-
 re: Quidam, inquit, plus sapiunt, quam oportet, de qui-
 bus Paulus loquitur ad Timotheum: qui discedent à fide
 attendentes spiritibus erroris, habentes cauteriatam cō-
 scientiam, prohibentes nubere, & c. minus autem sa-
 piunt quam oportet, qui scortantur, & uiuunt in a-
 dulterio. Idem in Matthæum hom. 24. exponens uerba
 Christi de pharisæis, qui sedebant in cathedra Moysis, de
 quibus ait, eos colligare onera importabilia, & ea im-
 ponere humeris aliorum, ipsos autem nolle ea ne digi-
 to quidem attingere, sic inquit: Hodie qui non habent ra-
 tionem humanarum uirium, imponunt hominibus onera
 graua & intolerabilia: Sunt autem illi, qui cauterio in-
 uictam habent conscientiam, prohibentes nubere, & co-
 medere cibos quos Deus creauit: & aggrauant iugum
 Domini, quod ipse leue & commodum esse dixit. Ipsi ue-
 rò interim, inquit, ingurgitant se uoluptatibus, & nec ca-
 stè agunt, nec sobriè uiuunt. Et tractatu septimo, in hæc
 uerba, Quos Deus coniunxit, homo ne separet, Matrimo-
 nium, inquit, ita est bonū, ut uocetur gratia Dei. Nam
 Paulus, inquit, Volo omnes esse ut ego sum: sed unusquis-
 que donum suum habet à Deo. Quod Paulus Græcè dixit
 ἕκαστος μὲν, id interpretes Origenis reddidit gratiam. Nam
 si uir amet uxorem suam, ut Christus amauit Ecclesiam:
 & uxor obtemperet marito, ut Ecclesia Christo, ea est
 magna Dei gratia: non enim fit sine singulari beneficio

Dei. Et idē Tractatu 21. in hæc uerba, Reddite quæ sunt
 Cæsaris, Cæsari: & quæ Dei sunt, Deo, ait, hominē con-
 stare ex diuersis partibus: ex corpore, anima, & inferio-
 ribus uiribus animæ: & addit, hominē posse reddere quæ
 Dei sunt, Deo, & tamen seruire necessitatibus naturæ.
 Vt cum colimus Deū, reddimus quod debemus Deo: cum
 curamus uictum, uestitum coniugium, reddimus quæ Cæ-
 saris sunt, Cæsari. Sed sunt quidam pharisæi, inquit, qui
 nolunt nos reddere uectigal Cæsari, hoc est, seruire ne-
 cessitati naturæ. Et hæc quidē hæctenus bene. Quod au-
 tem Tractatu 7. ait, quædam esse bona simpliciter, quæ-
 dam permissa ad duritiā cordis, & in eo genere ponit
 matrimonium, probari non potest. Nam bonū est, inquit,
 mulierem nō tangere: ueruntamen propter duritiā cor-
 dis additur: propter scortationē unusquisq; suā habeat,
 & quæq; suam. Bonū est, quod Paulus ait, Volo omnes
 esse, sicut ego sum: ad duritiā tamen cordis subdit, Me-
 lius est nubere, quā uiri. Hæc nec bene dicuntur, nec fer-
 ri possunt. Ex his intelligimus, quanto iudicio in Patrum
 scriptis uersandum sit. Quod tamē postremō scripsit Ori-
 genes de nuptijs, eas bonum esse, non simpliciter, sed ad
 cordis duritiem, quasi sint alioqui male, si natura carū
 spectetur, inde posset uideri originem habere, quod Pau-
 lus cum priori ad Corinthios iussisset, ut coniuges, qui ad
 precum nomine, ad id ipsam redirent, id se ait, non ex im-
 perio mandasse, uerū iuxta indulgētiam. Visus est ijs
 uerbis Paulus aliquid peccati aut uitij nuptijs intorere,
 quando earum usui putauit indulgentia opus esse. At si
 genuinū sequamur sensum, res longē aliter habet. Nam
 uocem *συννομιαν* non rectē accipiunt. Vt enim Aristote-
 les 6. Ethic. definiuit *ἡ νόμιμος ἐστὶν ἡ ἀρετή*, id
 est,

est, rectum iudiciū æquū: idcirco εὐγνώμονας laudamus,
 & το ἐπιανὸς συγγνωμικὸν dicimus. συγγνώμη uerbū
 ἐπιγνώμη ἡγριότητος ἐστὶν περὶ ἐπισημοῦς. Versatur itaq;
 circa æquū, & summū ius remittit, quod sepius sum-
 ma est iniuria. Non ergo peccato commuet: tantū id tu-
 tatur quod est æquū. Nō cogit Paulus cōiuges ut sibi tem-
 peret, sed æquū dicit, ut id ad tempus faciant, ieiunij &
 precum causa. Nō item iubet necessario præcepto ut ad
 opus coniugij redeant, sed κατὰ συγγνώμην, quod recta
 sanaq; conscientia ex æquo possint facere. Si Deus con-
 tinentiæ donum sit elargitus, uideantq; illius usu regnū
 Euangelij se posse proferre, nō impedit Paulus, quin ita
 maneāt. Sed intereā si nolint, aut nō possint, ostēdit quid
 liceat, & ita liceat, ut duritiem cordis nō oporteat præ-
 texere, ut Origenes & similes eius forte somniarunt. Sed
 Origenem missum faciamus, & iuxta ætatis ac temporū
 ordinem, uideamus quid Cyprianus afferat. In lib. 1. epi-
 stola 11. quæ nomine cū primis eius, & quorundā aliorū
 episcoporū ad Pomponiū scribitur, de quibusdam sacris
 uirginib. agit, quæ cū marib. nimīū familiariter uersaban-
 tur: quia nō solū unā degebāt sub eodē tecto, uerūm etiā
 eodē lecto cubabāt: nec tamē illæ ob id uolebāt minus ha-
 beri uirgines. Ideo in Ecclesia oriebatur uaria scandala,
 quod uir Dei Cyprianus nō ferēs in hæc uerba tandem
 erupit: Quod si sese ex fide Christo dicauerūt, pudicē &
 castē sine ulla fabula perseuerent: si autē perseuerare no-
 lunt aut nō possunt, melius est ut nubant, q̄ ut in ignem
 suis deliij cadāt. His uerbis indicat, quādoq; fieri ut ce-
 libatus nō feratur, uel q̄ nolimus uel q̄ nō possumus. Er-
 go nō est tam clarū, ut aduersarij uolunt, oēs posse uirgi-
 nes & celibes manere, si uelint. Nam quandoq; fieri po-
 test, quemadmodum inquit Cyprianus, ut non ualeamus,

Cyprian.

licet uelimus. Deinde illis quæ nolint, uel non possint,
 suadet nuptias, easq; docet longè magis cõducere, quàm
 ut ob deliciarum lasciuiam in ignem cõijciamur. Atq; ut
 intelligamus, illum nõ de quibusuis loqui uirginibus, eas
 nominatim alloquitur, quæ uirginitatem profitebantur,
 dicendo: Christus, cum uirginem suam, sibi dicatam, &
 sanctitati suæ destinatam iacere cum altero cernat,
 quàm indignatur, & irascitur? Moxq; addit, Quia quæ
 hoc crimen admisit, non mariti sed Christi aduiteræ est.
 Atq; ad extremum id magis patefacit. Quæ se, inquit,
 semel castrauerunt propter regnum celorum, Deo per
 omnia placeant. Hæc satis indicant ista dicta esse de uir-
 ginibus, quas tum temporis pro sacris habebant. Non ta-
 men aduersarij cauillari desinunt: Primum inquit hæc
 de uelatis non esse intelligenda. Quid illi norunt eo tem-
 pore morem fuisse, ut sanctimoniales uelarentur? Id ali-
 quanto postea inductum fuisse arbitror. Scripsit quidem
 Tertulianus olim de uelandis uirginibus libellum, sed in
 quem scopum, iam superius exposui, neq; hic opus est re-
 perire. Certum id omnino est, Cyprianum hic ueli nullã
 E. 4. E. 5. facere mentionem. Dicunt postea, non de ijs hæc scribun-
 tur uirginibus, quæ in monasterio degerent, & unã co-
 actæ in sacro coetu uiuerent. Quasi Ecclesia, cum non
 dum pacem haberet sub Valeriano & Gallieno, quibus
 imperantibus uixit, & mortuus est Cyprianus, monaste-
 ria edificaret, ubi uirginum cateruæ simul concluderen-
 tur. Non sic agebatur: sed si qua erat uirgo, quæ se Deo
 consecrasset, in suis manebat ædibus, & priuatim, uel a-
 pud suos cognatos unam aut alteram eiusdem uolunta-
 tis secum habebat. Verum facito, monasteria fuisse. Si uo-
 tum editum erat, quid refert, an in monasterio, an in pri-
 uatis ædibus fuerit nuncupatũ? Locus ad ista nihil con-
 fert.

fert. Sunt præterea qui dicant à Cypriano solum de illis
 uirginibus agi, quæ non habita ratione suarum uirium,
 temerè uouerant. Hoc quod nobis dant accipimus: &
 quoniam antea probauerimus, nullum de suo dono certum
 esse, quam diu sit perseueraturus, sciantque omnes suis ui-
 ribus, se non posse cor habere castum, satis liquet caliba-
 tum atque uirginitatem non esse uouendam. Qua enim cõ-
 ditione istas fuisse dicunt, non omnes esse manifestè proba-
 uimus. Quare ut uotum istarum Cypriani testimonio est
 irritum, & si nolint, aut si non possint in uirginitate du-
 rare, præcipitur eis ut nubant, sic aliorum uota hoc testi-
 monio abrogantur, & ipsis nubere, si opus fuerit, conce-
 ditur. Sed multo de his magis mirandum est, qui blate-
 rant, duo hic à Cypriano insitui uirginum genera, qua-
 si earum quasdam faciat unà iacere cum masculis, quas
 grauius coarguat: alias uerò nubere post uotum, & illas
 cum incestas, tum Christi adulteras uocet. Quæ fictio lo-
 cum non potest habere. Non enim de uirginibus, quæ nu-
 pserint, loquitur Cyprianus. Nam si nupsissent, ut id face-
 rent, monendæ non erant. Cur dixisset, aut perseuerent
 absque fabula, uel si non possunt, aut si nolunt, melius est
 ut nubant: suaderetne id quod sibi uel incestus, uel adulte-
 rium uideretur. Ex uerbis eius id solum colligitur, quas-
 dam ex illis uirginibus iacuisse cum diaconis, uerum inte-
 rea se prædicasse uirgines, & exhibuisse se obstetrici-
 bus probandas & inspiciendas. Quibus licet fortassis cor-
 pore, neque corruptæ, neque uitiatæ fuerint, his uerbis
 Cyprianus succenset. Si superueniēs maritus sponsam suã
 uiderit iacentem cum altero, nonne indignatur et fremit?
 Ita Christus cum uiderit uirginem suam, sibi dicatam, &
 sanctitati suæ destinatam iacentem cum altero, quæ indigna
 tur, & irascitur? Sed quia uirgines huiusmodi sæpe uitia-

K. 6.

bantur, ac turpibus coniunctionibus se polluebant, ideo adulteras & incestas appellat. nō q̄ matrimonia contraxissent, sed quia sub nomine Christi, ac professione sanctæ uirginitatis scortabantur. At si matrimonium inuissent, neq; incestus, neq; adulteria coniunctiones illas appellasset, si quidem ipsas suadet. Quid uerò de illis dicemus, qui uotum non propriè nuncupasse eiusmodi uirgines, sed solum propositum decretumue animi, ut non matrimonio uterentur, quod tamen propositum mutari poterat, & ideo Cyprianum ita fuisse de illis loquutū? Primū dicimus eos diuinare, illorūq; cōmentum parum uerbis Cypriani consentire. Deinde illos rogamus, ut sublatis uotis, tale propositum uirginum sacrarum in ecclesia hodie quoq; sinant, ut libera maneant uoluntas, & mutari possit, cū uel ad gloriam Dei, uel ad animæ salutem magis expedit. Cauillatur postremò nonnulli eas publicè in ecclesia, sed tantum apud se ipsas uouisse. Quī hoc sciunt? An adfuerunt? Est facillè quiduis fingere. Sed esto, sic fuerit, ut dicunt, uotum siue apud se ipsum quis nuncupet, siue publicè, quoad obligationem perinde est. Neq; dominus in lib. Numerorum cū de uotis egit, huiusmodi subindicauit distinctionem, Scio quidem Canonistas discrimen inter uotum solenne atq; priuatum posuisse, uerū totum id cōmittitum est. Sciendum tamen, hic Cyprianum in ista epist. expressis uerbis non meminisse uoti: quamuis in libro de habitu uirginum mentionem eius faciat. Ex quo tamē lib. apertissimè deprehenditur, non fuisse uirgines illas in monasterijs. Nam grauiter ibi reprehenduntur, quod ad nuptias irent, & conuiujs lasciujs interessent. In libello uerò de singularitate clericorū, siue Cypriani sit, cuius inscriptionem habet, siue Augustini, inter cuius opera circū fertur, siue cuiusuis alterius Patris, ita disertis uerbis habetur:

betur: Si quis habet matrem, uel filiam, uel sororē, uel cōiugem, uel cognatam, sic habeat, ut nulla ancilla intersit, neq; aliqua ingrediat̄ur extranea. Cum coniuge iste locus clericum habitare cōcedit, uerbaq; tā aperta sunt, ut negari nequeāt. Sed quia uotorū uirginitatis aut cælibatus publicorū, & solenniū cum aliqua episcoporū cōsecratione iam paulō ante mentionem fecimus, operæ pretium duco demonstrare, quando conijciā, illa cœpisse. Opinor id factum sub Constantino. Etenim is legē seuerā correxit ut Eusebius Casarien. testatur in uita eius, lib. 4. qua cauebatur apud Priscos, ne sterilis, quiq; liberis careret, esset heres fœcūdi. Vidit enim pius imper. aliquos esse, qui optarent quidē liberos: uerū ob naturæ imbecillitatē illis nō succedere. Vnde iudicauit indignū, ut ueluti delinquentes punirentur. Et alios esse animaduertit, qui abstinerēt a cōiugijs, nō quia successionē librorum detrectarēt, sed ob uehementē philosophiæ Christianæ amorē. Vnde neq; hos puniendos, aut multandos illa lege putauit, ut hereditatē adire nō possent. Hoc ubi narrauit Euseb. illico subiicit, mulieres ad perpetuā uirginitatē se deo cōsecrassē necnō ad sacerdotiū Dei: ac si diceret publicē in ecclesijs recipiebātur: quod nō est credendū antea permultas fecisse, cū lege non solū fuissent notatæ, sed hereditatib. aliq; ad se pertinentib. expoliatæ. Coniecturā meā proponere uolui, ut cādidi lectores de illa, ut uisū fuerit, iudicēt. Sed Athanasium producam: Is in libello de Passione & cruce Domini, quæcūq; inquit, promissimus Deo, iā nostra non sunt, sed in ære Dei: adeo, ut si quid inde subtraxerimus, haudquā id faciamus, ueluti quæ nostra sunt usurpates, sed ut quæ Dei sunt, sacrilegio deprædantes. Cur ista dicuntur de ijs nominatim, quæ Deo promissimus? Nōne absque nostra promissione omnia quæ habemus in ære Dei

Eusebius

Athanasium

sunt? Certè nihil est quod ab eo non acceperimus. Quare omnia nostra illi absolutè debentur. Quid hic facit, nostra promissio? An indicat, non promissa nō pertinere ad Dominum? Si sic res accipiatur, quid Paulo respondebimus, qui omnia, inquit, nostra esse, nos Christi, et Christū Dei. Quare omnia quoq; nostra siue promiserimus, siue non promiserimus, Dei erunt. Subdit præterea: Omnes professi sumus, & omnes debitores sumus professionis a deo ut necesse sit persolvere, uirginem quidē uirginitatē quam professa est, continentes uerò continentia, cōiugatos pudicitia, mutuamq; inter se charitatem, & honorē. In summa omnes necesse est ut persoluāt fidem erga Deū religionem, iustitiam, ac fortitudinem, ne nos uelut ingratos & iniurios Ananiæ Saphyræq; exemplum occupet. Omnes nos esse ait professos: fortasse putat, in baptismo quemlibet nostrū uouisse. Quod si ita est, et ibi omnia nostra Christo uouimus, nihil superest nobis, quod postea uoueamus. Nomē quidem in baptismo damus Christo: sed aliqua ibi nuncupari uota scriptura nō dicit. Concedo tamen omnes qui baptizantur, profiteri Christi fidem, & uitam fidei susceptæ consentaneam. Verum licet ista non profiteremur, neq; unq̄ polliciti essemus, ad ea tanē uelimus, nolimus, lege sumus astricti. Reddat uirginitatē, quæ illam professa est, reddat, sed liberè, & quādiu in eo statū fuerit, castè uiuat: prætextu Christi aut uirginitatis non abutatur libertate lasciuiendo & scortando. Virgo maneat pura & sancta, quādiu ferre conditionem illam potest. Quod si non ualeat, liberum sit ei sanctum coniugiū. Coniuges quoq; reddant sibi mutuò pudicitiam, charitatem, & honorem, etiamsi hæc disertè non fuerint polliciti. Ab ipsis enim id lex coniugij exigit. Quod idem affirmo de fide, religione, iustitia, & fortitudine reddenda Deo.

Deo. Ista omnia illi debemus, ut ut non simus ea polliciti, neq; ipsa uouerimus. Atq; ita esse uerba, quæ subdit, ostēdunt. Nam & hanc ob causam prius Apostolicus ille sermo confirmatus est: Reddite omnibus debitum, cui uectigal, uectigal, cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. Ista quæ Paulus iubet reddi, an sumus antea polliciti, uel ea uouimus? Quisque debet officium facere, quia Deus, ut fieret, mandauit. Quare sic isti placuit professiones aut promissa interponere? Adhæc omnia satis & plus satis ex legis imperio sumus obstricti. Idem de incarnatione uerbi. Quis unquam hominum uirginitatem seruare homines docuit, eamq; uirtutem putauit esse possibilem? Hæc si de populo Hebræo dicatur, uera sunt: quia nemo ante Christum in illa gente uirginitatem aut celibatum suaserat. Atq; hoc permultum ad meam interpretationē historiæ Iephiæ facit. Solus Christus hoc uitæ genus laudauit. Sin uerò id in uniuersum de omnibus populis capiatur, haud facillè admittetur. Nam apud Romanos uirgines uestales in pretio fuerunt, & apud Aegyptios, & Athenienses tale genus uitæ à nonnullis colebatur. Sequitur mox, & ait: Seruator & rex omnium Christus, eam ita humanis affectibus insinuauit, ut & impuberes pueri, hanc tantæ excellentiæ uirtutem sponte gestiāt tota animi alacritate profiteri. Hoc item cautissimè legendum est. Nam & ipsi canones pontificij, & concilia nonnulla prohibuerunt uotum ratum haberi, quod nuncupatum esset ante pubertatis & maturæ uoluntatis atque iudicij annos. Non enim minoris momenti, eam promissionem esse duxerunt, quàm testamenta sint, & cæteri contractus, ad quorum firmitatem & constantiam iustum ætatis tempus requiritur. Sed iste idem Pater in libro de Virginitate quædam scribit duriora, nempe: Quemad-

modum enim per maritum corpus polluitur, sic & affectiones mundanæ animam simul & corpus continentis, polluunt. Dicit, ut audimus, corpus coniugis à marito pollui: at non ita diuinæ literæ docent: imò habent infidelem coniugem à fideli sanctificari. Propter ea, quum opus coniugij sanctificationem interponat, multum adest, ut contaminationem, aut pollutionem inducat, Proinde his pater, quum aliter loquatur quàm Apostolus, non est hoc loco audiendus. Virgines autem sacras tum temporis habitasse seorsim, neque fuisse aliquo loco clausas, aut coactas, id ostendit, quod is Pater mox subiicit: Si oras, aut psallis, aut legis sola sedeto, ne quis audiat, nisi tu sola, aut nisi habueris concordem unam, aut duas uirgines. Quod idem manifestius indicant, quæ aliquanto postea sequuntur. Si sanctus uenerit in domum tuam, sic illum excipe, ut filium Dei. Dicit enim Dominus: Qui uos recipit, me recipit. Si ingrediatur uir iustus in domum tuam, cum metu, & timore occurreris illi, & procumbes ad pedes illius in terra: non enim illum adorabis, sed Deum, qui misit illum. Hinc uidemus istas uirgines ministerium hospitalitatis habuisse, atque Dei uiros consueuisse suscipere, qui huc & illuc ob uaria ecclesiæ negotia discurrebant. Quod enim aliud ministerium uel uiduæ, uel uirgines, tum temporis habuerint, non facile potest cognosci. Mirum uerò est, quod in eodem libello habetur. Postea enim quàm continentiam professa es, corpus tuum sanctificatum est, templumq; Dei factum. Quid ergo, si non professa esset uirginitatem, uel continentiam, & Christo tamen credidisset, in sancto coniugio, an corpus suum non habuisset sanctificatum et Dei templum? Certè Apostolus in suis epistolis corpora Christianorum etiam coniugatorum templa Dei appel-

appellauit. Non enim alicubi coniugatos excipit, quin
 & ipsi templum Dei essent, & sanctificati. Quod ita-
 que omnium Christianorum est, cur uirginum peculia-
 riter esse affirmatur? Et quod magis est admirabile, tan-
 dem sanctus is uir exclamat: O continentia gaudium
 Prophetarum, Apostolorum gloria: ô continentia An-
 gelorum uita, & sanctorum hominum corona. Sunt
 hæc hyperbolis plena, neque ad amussim ueritatis con-
 sistunt. Apostoli sanè coniuges habuerunt, & prophete.

Quomodo ergo uirginitas est illis gaudium & gloria?
 Porrò cum hoc uitæ genere caruerint, tristitia potius &
 dedecore sunt affecti. Quid præterea cum uirginitate cõ-
 mune habent Angeli, quãdoquidem corpore carente? Un-
 de non magis illi uirgines quæunt dici, q̃ si quis lapidẽ cæ-
 cum appellet. Verum ijs omisissis, clausulã eius libelli audia-
 mus. Ne declines igitur ab ijs sermonibus, neq; ad dextrã
 neq; ad sinistram. Quisquis enim hos sermones auditos cõ-
 tempserit, condemnatio magna erit illi. Hic salua Patris
 huius reuerentia, suæ doctrinæ atque sermoni tribuit ni-
 mium. Hoc Dei sermonum est, ut sic mordicus retinean-
 tur, ne uel ad sinistram, uel ad dextram declinemus.

Quis præterea mortalium comminari potest, aut de-
 bet damnationem illis, qui à suis uerbis recedunt? Si a-
 diectum esset, quatenus propono Dei uerbum, & di-
 uinos sermones, ac sacras literas uobis affero, tolera-
 biliter esset loquutus. At quando suis id sermonibus
 ascribit, non potest piorum lectorum animos non of-
 fendere. Sed quando iam de Athanasio satis diximus,
 Basilius est adducendus, qui doctrina & eruditione di-
 ctus est magnus. Is libellum scripsit de Virginitate, u-
 bi professionis] disertè meminit. Sed agens de uirgine,
 quæ in eo statu parũ Christo integrè seruiat, sitq; curis

Basilius.

mundi, & prauis affectibus contaminata, ita scribit. Nam si abiecto uiri iugo, & ad uitam ad quã conseruanda de-
 mus, et procreandorũ liberorum gratia facta est, inutilis
 et professe uirginitati pudenda futura est, tota res damni
 plena est, dum & incruditis cogitationibus animũ, & re-
 missis exultationib. corpus corrumpit. Et longẽ sanẽ pre-
 stabilius esset, ipsam uiro coniunctam ad uitam governa-
 ri, & quod ad opem rei domesticæ ferendam conducit, ta-
 lionis uice pro præfectura ipsi rependere, & liberos se-
 num nutritiores ad generis successiõnem bonos producc-
 re. Nil pro nobis dici potuit aptius. Non dissentit ijs uer-
 bis à Cypriano, quando longẽ præstabilius inquit esse nu-
 bere, quã ita uiuere. Hortatur postea uirgines huius-
 modi, ne uagentur frequenter, neue accedant ad nuptias,
 & per omnes discurrãt angiportus. Deinde, inquit, si uir-
 go Dei curat, quomodo placeat domino, nihil quod ei nõ
 placeat, debet facere, neq; palãm, neq; clanculũ: quin &
 suos ipsius cogitatus castiget oportet. Nam quæ hoc non
 fecerit, neq; Christo sponsa est, neque homini uxor: sed in
 oculis sponsi opinionem uirginitatis captat uirgineo ha-
 bitu, quo se per pompã uenditat. Imò Christũ non leui assi-
 cit iniuria, cum magis hominũ q̃ eius oculos reueretur.
 Coram hominibus pudet illam non agere uirginem, cum
 tamen clanculũ multò aliter se habeat. saltem quoad affe-
 ctus et cogitationes. Atq; mox, ut seuerius admoneret uir-
 ginem, sua occulta et motus animi haud latere, illa uideri
 ait, non solum à Deo, uerũ & ab infinita quodammodo
 angelorum multitudine qui pijs hominibus perpetuò ad-
 sunt, & à Deo mittuntur ad uaria ministeria. Et addit cũ
 ijs & Patrum sanctos spiritus: nullus enim horum est, in-
 quit, qui non ubiq; omnia uideat, non oculis corporalib.
 carnis, uerũ incorporali uisu uniuersa in cognitione com-
 prehen-

prehendens. Certè hoc de spiritibus beatis, ut obiter dicam, non debet concedi. Siquidem in Esaiâ dicitur: Abraham nesciuit nos, & Israel nos ignorauit: ideoque illis relictis ad inuocandum Deum à pijs, ut narrat propheta, cõfugiebatur. Solent dicere, sanctos uidere, quæ hic aguntur in diuina essentia, quæ speculum fulgentissimū est, in quo apparent omnia. Sed ipsimet fatètur Scholasticus, speculum illud nō esse naturæ, sed uoluntatis. Nam ibi tantū sancti uident, quantū illis Deus uoluerit ostendere. Alioquin non diceretur ad Ephesios, notam factam principib. & potestatibus esse multiformē Dei sapientiā per ecclesiā. In Dei enim essentia illā potuissent contēplari. Sed ad uirgines redeamus, de quibus inquit Basilius quodammodo eorum oblitus, quæ primo loco rectè dixerat, cum ad uoluptatem carnis declināt, uelle nubere: sed prætexere nuptias incassum, cum incestū coniugium amplius inire nequeāt. Ad quod probādum rationē geminam adducit. Quarum prima est, quia in uero legitimoq; coniugio statuit iudicium rationis antecuertere debere cupiditatem uoluptatis, quod istis non accidit, cum desiderio uoluptatis uictæ nubere uelint. Cum itaq; ubi sic agitur, iustū cōnubium non possit intercedere, ait istarū, nuptias nō esse nuptias. Et ad confirmandū quod dicit, affert locum ex 1. ad Corin. cap. 7. ubi de uidua, si uelit nubere, dicitur, nubat, sed tantū in Domino. Id ille interpretatur, præcūte iudicio rationis, nō cupiditate uoluptatis, superante, atque antecuertere. Iudiciū hoc rationis esse putat, ut quis prudenter apud se constituat expedire atq; honestum esse procreare liberos, illos educare sanctè, atq; piè familiam instituere. At non ita sensit Paul. quando ait, melius est nubere, q̄ uri, & qui nō continet, nubat, & propter scortationē quisq; suā habeat, & quæq; suam. Nulla est in his

uerbis liberorum procreandorum mentio. Atque procul dubio si hac regula uteremur, infinita matrimonia rescinderentur. Nubere ad hæc in domino minimè sic accipitur, sed ut fidelem uirum accipiat, neq; tali copuletur coniugio, propter quod à fide Christi facile desciscat. Altera eius ratio est, quia, inquit, uiuente priori uiro, matrimonium quod subsequitur, sit irritum, quoniam mulier lege coniugij tenetur quandiu uir eius uixerit. Christus autem non moritur, uirgo ergo, quæ illi est desponsata, nunquã potest alteri nubere, quum dominus nunquam moriatur. Hoc argumenti genus ab aduersarijs frequentissimè iactatur, quum tamen sit admodum friuolum. Matrimonium quippe inter nos & Christum metaphoricum est, & spirituale, atq; uiuente uiro Christo non licet nobis aliũ uirum superinducere in eodẽ matrimonij genere: alioquin scortaremur, ut Deus fecisse coarguebat Hebræos, qui deos alienos sibi fecerant. At matrimoniũ alterius generis quoad carnem minimè prohibebantur contrahere. Certè Christus non solum uirginum, sed omnium credentiũ uir est, qui tamen inire matrimonia externa possunt. Nonne de omnib; fidelibus Paulus aiebat: Despondi uos uni uiro uirginẽ castam exhibere Christo? Et ad Ephes. cum dixisset ex libro Genes. Propter hoc relinquet homo patrẽ suũ & matrẽ suam, & adhærebit uxori suæ, hoc addebat esse mysteriũ magnum in Christũ & in Ecclesiã. Quibus uerbis demonstrat inter Ecclesiã & Christũ matrimoniũ esse, sed mysticũ & spirituale. Quin & in eadem epist. scribitur: Qui adhæret scorto, unũ corpus efficitur, qui uerò adhæserit Deo, est unus spūs. At omnes per fidem Christo adhaeremus, nõ tamen prohibẽda sunt matrimonia. Si uera esset istorũ argumentatio, consequeretur Christũ fieri adulterũ, quod longè absurdissimũ est. Facito duos coniuges ex

ges ex mutuo cōsensu arguere castitatē. Certē inter sic uo-
 uentes, ut isti uolunt, cū domino matrimoniū initur. Ergo
 mulier quæ sic uouit, efficitur spōsa domini, ut isti uolūt.
 Quare cū prior maritus uiuat, necdum sit mortuus, Chri-
 stus quod absurdissimū esset, & blasphemum, efficeretur
 adulter, quod nouū matrimoniū cum aliqua cōtraxerit,
 priori uiro eius adhuc superstitē. Hoc argumenti genere
 usus est August. ut postea cū ad illum uentū fuerit, demō-
 strabo. Quid est quod addit nō multo post: Nullus adeo su-
 riosus sit sacrilegus, ut impollutā sacerdotē petulātib. ma-
 nibus cōtingat. Sacerdotē uocat uirginē, quæ uoto se ob-
 strinxerit. Locutio ista uerbis apostolicis aduersatur. Iu-
 bet enim Paulus, ut mulier in silētio discat, neq; autoritatē
 in uirum exerceat. Nullus uerò ignorat, sacerdotiū & au-
 toritatē, & potestatē non uulgarē habere, Nos unū habe-
 mus sacerdotē Christū Iesum, quia unicū etiam sacrificiū
 eius mortis agnoscimus. Cumq; honorē hunc nec sacrificis
 quidē Papistis nec nostris ministris demus, quāto minus
 uirginib. aut mulierculis dabimus? Inseruisse primo tēpo-
 re uiduas & uirgines Ecclesiæ, nō dubito. Erant hospita-
 le & sanctorū pedes lauabāt: non tamen propterea sacer-
 dotes erant. Ideo Patres cū nec ex Euāgelio, nec ueteri ex
 Testamento hæc hauserint, id superest, ut ab ethnicis in
 Ecclesiam introduxerint, apud quos etiam mulierculis sa-
 cerdotia credebātur. Statim postea uirginis corpus tēplū
 appellat Dei. & quod omniū Christianorū est, uidetur ad
 certū genus uitæ, hoc est ad uirginitatē cōtrahere. Sed au-
 diamus, quāto mox adscribat collationem. Sicut Adam se-
 men per nuptias presentis uitæ fuit, ita semen futuri secu-
 li per uirginitatis incorruptionem Dominus fuit. An ita
 dictum hoc intelligitur, quòd celum non replendum sit
 nisi uirginibus? Hoc nisi uelit, quorsum ista dicit?

Augustin.

Videtur post aliquot uerba correctionē addere. Non precepit Dominus, inquit, ullibi uirginitatē, neq; usquam nuptias interdixit. Est utiq; ista sermonis allati nonnulla correctio, sed tamen ea deberet ubiq; addi: & quod ipse nunc facit, à nobis ubique deberet præstari. Querit præterea, quomodo contingat uirginitatem acquirere: ac respondendo uerba usurpat, quæ ad Romanos ex Mose habentur. Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cælum, hoc est, Christū detrabere: aut quis descendet in abyssum, hoc est, Christū reuocare à mortuis? Verum quid dicit? Prope te uerbum est in ore tuo, & in corde tuo. Non, inquit, oportet ut de uirginitate ita dicas, quasi uel in cælū, uel in abyssum, uel ultra mare sis iturus, ut illam adipiscaris. Est prope te, hoc est, secundum naturam tibi ingeneratur uirginitas: & in teipso secundum naturam occultatam reperies: atq; si uis eam apud te manere, sabbatū age, maneat id quod natus es, neq; moueas manum ad tactum uiri,

Hic desidero aptiorem doctrinam, uirginitatē scilicet esse donum Dei: & neminē illam capere, nisi cui data fuerit. Atq; ut inquit Paulus: Quisq; donū suum habet proprium. Hæc, inq; desiderauit, ne quis uirginitatē ipsam humanis uiribus tribueret. Oportet de gratia Dei luculentius atq; amplius loqui, non sic aridè ac ieiunè, quasi à nobis tantū dona ista penderent, & omnib. indifferēter sint exposita. Verum in suis quæstionib. nimirum quæst. 14. querit de ijs qui seipsos Deo desponderunt, deinde professionem irritam facere conantur. Talem, respondet, uirum spectare oportet, uelut eum qui peccauerit in Deū, & quis orabit pro eo? Adducit illud, quod primo Samuelis cap. 1. habetur. Si qui uir in uirum peccarit, iudicabit, uel arbiter erit ei elohim, id est, iudex. Aliquis enim potest se ut arbitrum interponere, atq; offenso persuadere, ut aliqua

aliqua honesta satisfactione sit contentus. At si quis in
 Deum peccauerit, quis interponet seipsum? Nemo enim
 potest Deo praescribere, ut offensum animū deponat. Vo-
 luit ibi uerbis his discrimen inter peccata cōstituerē. Non
 tamen propterea desperādum est, si quis in Deum ipsum
 peccarit: sed ibi more hominū est loquutus. Quando agi-
 tur sub aliquo principe, si quis in proximum peccet, faci-
 le patronum inueniet, qui pro se apud principē agat: sed
 si crimine lesae maiestatis ipse princeps sit offensus, non
 facile inueniuntur, qui audeāt pro eo principi loqui. Vo-
 luit in summa Basilius istos grauissimi criminis taxare,
 quod non rectē iudicauit. Nam huiusmodi si urantur, aut
 scortentur, potius debent nubere: neque sunt reprehē-
 dendi quum uerbo Domini pareant. Pergit iste, atq; illos
 uocat sacrilegos: neque uult ut fores fratrum illis amplius
 aperiantur, neq; si accesserint gratia tecti ob frigus graui-
 ter uergens. Vehementer satis haec dicuntur, sed uereor ne
 non multū Christianē. Quid si frigore, fame aut siti pre-
 mantur, illos non releuabis? Profectō Christiana charitas
 lōgē aliter suadet. Dicitur quidē ab Apostolo 2. ad Thess.
 3. quēq; debere se subducere ab omni fratre inordinate
 ambulāte: sed nō praecipit ne laborantib. extrema necessi-
 tate nō subueniamus. Pudefaciēdi quidē sunt homines hu-
 ius generis, qui ambulant inordinate, ut in uiam redeant:
 neq; uersari cum illis debemus animi causa: sed officia cor-
 rectionis, precū & opitulationis quoad necessitates illis
 nō debemus temerē subducere, cū proximi esse non desie-
 rint. Deinde quāst. 15. de tempore statuit, quo admittendū
 sint ad uirginitatis professionē iuuenes: & maturā etatē,
 & iudiciū confirmationē expectari iubet: quod hodie nō
 ubiq; seruatur. Exigit praeterea ut qui sunt in potestate
 Patrū, eis inuitis non recipiātur: uerū id fieri uult illis

Gregorius
Nazianze-
nus.

offerentibus, & sub aliquot probatis testibus: cum ta-
men aduersarij nostri parentibus ignaris & nolentib. id
sepè numero faciant. Nam uiolare mandata Dei pro suis
traditionibus nihili pendunt. Basilio adiungendus uide-
tur Gregorius Nazianzenus. Is in oratione habita in fu-
nere Gorgoniae sororis ita scribit. In duo diuisa est uita,
in nuptias & uirginitatem. Hæc sublimior est ac diuini-
laboriosior autè & lubricior: illæ uerò humiliores ac se-
curiores. Et mox: Neutrū horū uel Deo penitus, uel mun-
do coniungit rursusq; dissoluit ita ut hæc propter naturā
propriam penitus sint fugienda, illa autem nimis laudan-
da. Hæc rectè scripta sunt à Nazianzeno, neque nos quic-
quam lædunt, imò susceptam causam maxime iuuant. Ne-
que minus à nostra sententia stant, quæ post hæc statim si-
bicit: Verum mens est quæ nuptijs & uirginitati rectè do-
minatur, & tanquā materiā rationi opifici hæc adaptat,
& ad uirtutem operatur. Ista quoq; probantur: nempe
nuptias & uirginitatem materiā esse uirtutis, ita ut neu-
trum istorū sit uitiosum, ac mentem posse utroq; illorū re-
ctè uti. Hoc duntaxat in ijs uerbis desidero, ut doni dei, spū-
ritus, aut gratia mentio facta esset, ne in potestate mentis
hæc esse posita uideretur. Sed quod mox additū est, omni-
no & citra ullam exceptionem recipimus. Carni enim cō-
glutinari nequaquam separat à spiritu: neq; si qua caput
habet uirū, ideò caput primū ignorat, sed parumper mi-
do ministrat, et natura, quantum lex exigit carnis, seu illi
potius, q̄ carni legem hanc tulit, Deo. Illud est notādū, sic-
ri posse, ut mulier, quæ in matrimonio est, duo habeat ca-
pita, uerū non eiusdē ordinis, Christū spirituale quoad ui-
tam celestē, & maritū ut œconomicam regat. Ecclesia ue-
rò non potest caput habere papā. Nam Ecclesia, quæ Ec-
clesia est, ad uitam æternā spectat: quam ab uno capite in
fluit

sui sibi, & non ab ullo mortaliū expectare debet. Sed ad
 Gregoriū redeo, qui in oratione habita in funere patris,
 qui Mazianzi fuerat episcopus, eius uxorem, hoc est, ma-
 trē suā hoc nomine laudat, quòd patri suo magno fuisset
 adiumentò, nō solū in re domestica regenda, uerū etiā in
 Ecclesiastica. In oratiōe funebri de Basilio scribit: Res ma-
 gna est uirginitas, angelis aggregari, ac absq; iugo esse,
 naturæq; solitariæ: nā Christi illā uocare cunctor, qui cum
 nasci deberet ob nos natos, ex uirgine nascitur, ut uirgini-
 tatē lege sanciret. Hic etiam non facile admitterē uirgini-
 tate homines angelis aggregarij. Nam et cōiugati queūt
 in patria cū angelis coniungi. Neq; Christū noui sanxisse
 lege uirginitatē, cum illā non præceperū: nisi fortē signi-
 ficetur post Christi aduentū uirginitatē ceptam esse lau-
 dari. Quod ut sit intelligendū superius exposuimus. Ad
 hæc in oratione ad uirginē exhortatoria: Materia uerò
 corporalis admixtionē corporū inuenit: nā semper fluida
 Deus certis discreuit limitib. lege nuptias sancies. Quid si
 absq; peccato Adā perseuerasset, neq; materia fluida fuisset,
 morte ac uita sibi mutuò succedentib. an propterea de-
 sissimus inter homines omnino habere nuptias? Adiecit
 deinde: Nuptiæ sunt indicium perturbationis, castitas uerò
 splendoris. Hoc quoq; in uniuersū nō est uerū: quādoquidē
 fieri potest ut aliquis non perturbato, sed integro sanoq;
 iudicio ad coniugiū adducatur, atq; primo homini data
 sunt nuptiæ, priusq; prauis affectib. cōciteretur. Neq; ca-
 stitas indicium est splendoris animi. Nō enim solū cupiditate
 carnis accēdimur, sed metu, dolore, inuidia, & ira moue-
 mur. Postea, inquit, olim cū lex esset et umbra, tū primatū
 habebāt nuptiæ. Postq̄ emigravit litera, subinductusq; est
 spūs, tunc affulsit castimonia. Hæc nō sic accipi debēt, ceu
 spūs & litera castitate ac uirginitate discernātur. Virgini-
 tas & matrimoniū cū spū esse possūt, & rursus cū litera.

Sed uidentur quandoq; ij Patres omnes qui fuerunt ante
 Christi aduentum sub litera concludere: omnesq; uicissim
 qui post Christum uiuunt sub spiritu. Quod ut à uero sit
 August. alienū Augustinus in libello De Spiritu & litera pulchrè
 ac utilissimè declarauit. Verum in homelia seu oratione
 quam habuit de tentatione phariseorū & scribarū, qua
 rogantur, an qualibet de causa liceret alicui dimittere u-
 xorem, dum ea uerba illi occurrerent, quibus Apostolus
 ad Ephesios ait: Magnum hoc sacramentum, dico in Chri-
 stum & Ecclesiam, inquit, uidetur mihi sermo hic secun-
 das reijcere nuptias. Si enim duo sunt Christi, duo etiā ma-
 riti, duæ quoq; uxores. Si autem unus est Christus, unū ca-
 put Ecclesie, & caro una, secundæ nuptiæ respuuntur.
 Quod si secundas prohibeo, quæ ratio erit tertiarum? Pri-
 mæ legis sunt: secundæ indulgentiæ: tertiæ uerò præuari-
 cationis: & quod ultra hæc suillum magis, q̄ aliud quicq̄.
 Certè sententia ista damnantur secundæ nuptiæ, ac tertiæ
 apertissimè improbantur. Quod cū aduersarij nostri non
 sint concessuri, haud nobis irasci debent, si aliquando Pa-
 tres nos quoq; repudiemus. Verū in eadem oratione ha-
 bet: Non omnes capiunt uerbum istud, sed quibus est da-
 tum. Hæc audiens, inquit, nihil hereticū patiaris, neue na-
 turas inducas siue terrestres, siue spirituales, siue medias.
 Sunt enim quidam adeo malè affecti, ut arbitrētur quos-
 dam omnino esse naturæ perituræ, alios autem saluandæ,
 nonnullos uerò ita habere sicut eos liberū arbitrium uel
 ad melius, uel ad deterius impellit, aliūq; alio plus minus
 ue idoneū esse. Hæc in Marcionitas uel Gnosticos citra cō-
 trouersiam dicuntur, qui tales naturas fingebant sic homi-
 nes partiendo. Nos uerò quosdam fatemur prædestinatos
 qui seruabuntur: alios uerò concedimus reprobos. Inter
 hos nihil est mediij. Præterea nō attribuimus naturæ q̄ ser-
 uantur,

uemur, aut prædestinati simus, uerū meræ simpliciq; diuine misericordie. Vitiatā alioquin totā hominum naturā in Adamo scimus. Qui prædestinatur, ex una Dei bonitate inde sunt exēpti: reprobi uerò in sua natiua corruptio ne deserti. Neq; libero arbitrio, imò gratiæ quæ per Christum est, salutē hominum ascribimus. Sequitur mox: Cum uerò audis quib. datum est, adde, datū quidem ijs qui uolunt, & qui assentiuntur. Etenim cū audis: Non est uolentis, neq; currentis, sed miserentis Dei, tibi consulo, ut sermonem hunc acceptes. Quoniā enim nōnulli sunt qui ob iustitiā propriam tam magnificē sentiunt, ut totū sibi ipsi acceptū referant, ac nihil factori, hos sermo hic docet, qd & bonū uelle diuino egeat auxilio: seu potius eligere uti lia diuinū quid, & clemētis suæ donū existat. Quod enim saluamur partim ex nobis, partim ex Deo esse oportet. Propterea inquit, nō uolentis, hoc est, nō solū uolentis & currentis, sed & Dei miserentis. Deinde quoniā uelle ex Deo est, meritò totum acceptū fertur Deo. Quantūcūq; enim currens, quantumcūq; certaueris, indigebis eo qui coronā præbet. Nisi dominus ædificauerit domum, in uanum laborāt qui ædificant eam. Nisi dominus custodierit ciuitatem frustra uigilant, qui custodiunt eam. Noui, inquit, qd non leuium est cursus, nec potentium bellum, nec pugnantū uictoria, nec feliciter nauigantiū portus: sed Dei est uictoriā perficere, & nauim saluam in portū deducere. Hæc scribit Nazianzenus, uideturq; omnino uelle uirginitatē & celibatum esse in uiribus & manu nostra: hoc est, nos donū huiusmodi esse habituros, modò uelimus & assentiamur: in quam sententiā non queo descendere, quia tum nō erit eorum qui possunt, ut loquitur dominus, sed eorū qui uolunt. Nec quisq; habebit proprium donū, ut Paulus testatur, sed illud quod sibi elegerint, &

quod omnibus est expositum, si ipsum uelint. Neque fuisset eidem Apostolo timendum, ne cuiquam laqueum iniiceret. Potuissent enim absq; ullo periculo, quicūq; uoluissent eius consiliū sequi. Deinde multò minus concedo, salutem nostram partim ex nobis, partim ex Deo esse: neq; uerba Apostoli ad Rom. Non esse uolentis neq; curretis, accipio ita, ut interponi debeat particula, solū: quia citra ullam exceptionē Dei esse salutem nostrā credo: longēq; melius ac tutius hæc Augustin. tractauit. Auius tamen admonere te, lector, uolui duplici causa: primū ut cognosceres, in quo dissentiamus à Nazianzeno, de domi huiusmodi perceptione: deinde ut etiam de causa salutis nostræ intelligas, ut cautè atq; cum iudicio sit legendus. Venio nūc ad Hilarium Pictauiensiu episc. qui hac de re admodum pauca, quod sciam, est locutus. In Canone 19. super Matth. ubi de triplici eunuchorū genere agitur, scripsit, probari admodum tertiam formā eunuchi, eius nimirū qui spe regni cælestis talis esse decreuerit, cui nos similes effici, si tamen possemus, admonuit. Ecce is nō inquit, Si tamen uelimus: si possumus inquit, rationē habens uirium cuiusq; nostram. In Psal. 64. quia illud erat expositurus, Tibi reddetur uotum in Hierusalē, ait: Cernimus nanq; nudis philosophos corporib. algere: ipsi etiam coniugiorū usu magistri abstinent: hæretici sicco panis cibo uiuūt. Sed quis tandem otiosi huius propositi profectus est? Totū hoc inane atq; ridiculū est, & cum ipsis superstitionis causis miserabile. Deo ergo uouenda sunt, cōtemptus corporis, castitatis custodia, ieiunij tolerantia; atq; ideo ait, Et tibi reddetur uotum in Hierusalē. Ista indicant abstinentiā à coniugio apud ethnicos, ut suprā docebam fuisse in pretio, non apud Hebræos ueteres: deinde istius episcopi tempore iam in Ecclesia uota continentie fuisse suscepta: quare id requirit,

Hilarius.

quirit, ut in honorē Dei fiant. At qui Deo placere potest quod eius uerbo aduersatur? Quod uero in epistola priorē ad Augustinū scribat hæc uerba circa finem, sciat sanctitas tua fratrem meum, cuius maximè causa hinc discessimus, cum matrona sua ex consensu perfectam Deo continentiam deuouisse, non est magni faciendū: non quasi eo tempore talia uota ignorē aliquādo nuncupata, sed quia ille Hilarius non is est, de quo modò agimus. Nam iste Pictauiorum episcopus multò grandior natu est Augustino. Fuit enim senex, & grauiam passus est sub Constantio. Augustinus uerò floruit sub Honorio, et Arcadio, ac Theodosio. Quare iuuenis erat, cum iste senex esset. Atqui primis epistolæ uerbis Patrem suum appellat Augustinum: quod non fecisset, si ambo fuissent episcopi, & Augustinus eo multò minor natu. Fuit itaq; ille, ut ex posteriore illius epistola ad eundem Augustinū colligitur, Syracusanus. Atque multo minus recipienda sūt, quæ sub eius nomine scribuntur ad Aprā filiā. Totum quippe id est inane cōmentū quod etiā non ualde nasuti facile possint deprehendere. Succedit Epiph. Cyprius episc. Quem ut ego concesserim habere nōnulla de uoto, quæ sicut sacris literis nō consentiunt, ita quoq; à me non admittūtur, sic etiā illum uideo multa rectè scripsisse, quib. possint Smyth. praua dogmata reuinci. Primū ut aliqua referā, cōtra Mōtaniastas hæresi 48. lib. 2. 2. to. ita scribit: Nos uerò nō necessitatē imponimus, uerū cum bono cōsilio admonemus, exhortātes eū qui potest: nō autē necessitatē imponimus nō potenti, neq; reijcimus ipsum à uita. Sanctū enim uerbū omnib. prædicauit, ut debiliū infirmitatē portemus, uelut etiā ipse sanctus Apost. dicere cōperitur, & tales redarguere, qui nō sūt eiusdē doni. Iuniores inq; uiduas reijce. Notabis in his uerbis illū dicere, nemini necessitatē imponi: quod nostri

Epiphanius

nō faciūt Papistæ, qui neminē uolūt ordinare, cui nō prorsus matrimoniū interdicatur, et ita interdicatur, ut si post ea cōtrahat, illud matrimoniū pro irritō habeāt. Non ita fuit antiquitus. Nā meliorib. temporibus et uxore ducere licuit sacris initiato, ut postea demonstrabo: & posterioribus quando iam superstitio cœpit inualescere, matrimonia ministrorum non rescindebātur, si ea iniuissent: sed illi tantū uel à ministerio suo cessabāt, seu deponerentur, uel non potuerunt ad ulteriores ordines promoueri. Postea cœptum est illos excōmunicare, & matrimonia contracta dissoluere, atque demum illos miserè trucidare, omni prius tormentorum & pœnarum genere diuexatos. Ita res paulatim in deterius decidit. Et quum in omnibus fermè conditionibus à Paulo cum ad Timotheum, tum ad Titum enumeratis, ut ita dicam, facile dispensetur, hęc unam firmissimam uolunt, & perpetuò inuiolatam haberi. Hoc non est imponere hominibus necessitatem? & ut Pauli uerbis utar, laqueum iniicere? Dicit bonos pastores cohortari eos qui possunt, non autem imponere necessitatem nō potenti. Smythæus autem dicit omnes posse, & neminem inueniri, qui si uelit, & Deum precetur, non possit. Epiphanius uerò hic manifestè asserit, aliquos posse, aliquos uerò non posse. Et quod maxime pro nobis facit, Paulum inquit redarguere illos qui non sunt eiusdem domi, scilicet quando se obstringere audent aut ad uirginitatem, aut ad calibatam. Nam dicit, iuniores uiduas reijce. Hic mihi tu notes primum, non esse omnes eiusdem domi quod à nostris aduersarijs suauiter irridetur. sed iste à Paulo didicit, qui ait quemlibet proprium donum habere, alium quidem sic, alium uerò sic. Valeant igitur hi Pelagiani, qui dona expectanda esse derident, omnia uerò in nostris uiribus arbitrantur posita: uel si ulla dona concedere

cedere ut scripturarum adiguntur, ea in nobis posita esse predicant, quod illa Deus omnibus exposuerit. Capiant, inquit, qui uelint, non qui possunt, ut noster seruator dixit. Deinde non excidat annotare, quod Paulus dicatur ab Epiphano, eos reijcere, qui non sunt eiusdem domini: cum Smythæus dicat iuuenulas à uotis illis Pauli uerbis non prohiberi, sed tantum ne ab Ecclesia alantur. Certè Apost. ut hic docet Epiph. tū de iugo calibatus aut uiduitatis imponēdo, uel nō imponendo, reijciendo, aut admittēdo scribebat. Idē Epiphanius aduersus Catharos, hares. 59. lib. 2. tom. 1. Re uera enim non suscipit sancta Dei prædicatio post Christi aduentum eos qui mortua sua uxore secundis nuptijs coniuncti sunt, propter excellentē sacerdotij honorem ac dignitatem. Et hæc certò sancta Dei Ecclesia cum sinceritate obseruat. Sed adhuc liberos gignentem unius uxoris uirum nō suscipit: sed eum qui se ab una cōtinuit, aut in uiduitate uixit, diaconum, & presbyterū, & episcopum, & hypodiamonū, maximè ubi sinceri sunt canones Ecclesiastici. At dices mihi omnino in quibusdam locis adhuc liberos gignere presbyteros, diaconos & hypodiamonos. At hoc non est iuxta canonem, sed iuxta hominum mentē, quæ per tempus elanguit, & propter multitudinem, cum non inuenirentur ministri. Hunc locū mihi obijcit Smythæus, sed mutilatū. Non enim adduxit potestatem partem, ex qua elicitur non fuisse hoc ubiq; seruatum, ut presbyteri, diaconi, & hypodiamoni se continerent à proprijs uxoribus, & solum id innuit obseruatum ubi sinceri essent canones. Quo loco demonstrat non id ex uerbis Dei haberi, sed tantum ex Ecclesiæ Canonibus, uel decretis, quæ ut illa fecit, sic etiam relaxare deberet, cum uideat ea in perniciē uergere. Deinde aliam causam affert, quod permitterentur multi cum uxoribus misceri,

propter multitudinem, scilicet, Christianorum, & quod non facile ministerium inueniretur. Quod si tum locum habuit, quare hodie non conceditur? passim opus est ministris, sed non passim inueniuntur qui celibes uiuere possint: nisi uelimus dicere, nostra tempora esse meliora temporibus Epiphaniij. Si tunc non poterant Canones ubique seruari, & ferebatur eorum uiolatio, quod multitudine ministrorum esset opus, quare magis nunc tales canones, id est, hominum inuenta seruari poterunt? Non pronuntiat Epiphanius hoc loco illa matrimonia dirimenda, neq; ob id illos esse à suo ministerio deponendos. Tantum dicit, Canones apud illos non fuisse synceros. Quod si de uerbo Dei scripsisset, permultum referret. Sed quando de canonibus tantum agitur, cum multi eorum iam reflexerint, non est res tanti facienda, ut aduersarij iactent. Video præterea hic eum nullam uoti facere mentionem, quod fuerit sacris ordinibus adiectum, neque audimus illos eum accusare, ut uoti nuncupati uiolatores, quod hodie papistæ clamare non desinunt. Idem aduersus Apostolicos hæc. 61. lib. 2. to. 1. Postquam tradidisset post uotum editum uirginitatis aut uiduitatis coniungi matrimonio nõ licere, sed eos qui hoc faciunt peccare, sic tamē addidit: Sed melius est iudiciū quàm condēnatio. Qui enim, ut ne cōfundantur apud homines, occultè scortantur, et sub solitudinis aut cōtinentiæ specie libidinē curāt, non apud homines habēt confusionē, sed apud Deum, qui uidet occulta et redarguit omnē carnē in suo aduētū, prout quisq; peccauit. Melius est enim unū peccatū habere, & nõ plura: melius est lapsū à cursu palā sibi uxorem sumere secundū legem, et ex uirginitate multo tēpore pœnitentiā agere, & sic rursus ad ecclesiā induci, uelut qui mala operatus est, uelut lapsū, & fractum, et obligatione opus habentem

habentē, & non quotidie occultis iaculis sauciari ab improbitate, quæ ex diaboli opere infertur. Hunc ego locū quando egi de uotis, ea ratione produxi, ut ostenderē, Patres nō adeo fuisse rigidos, ut hodie sunt nostri Catones, & tamen Bacchanalia sæpè uinūt. Iſti enim matrimonia post uotum inita paſſim clamitant, nō nuptias eſſe, ſed inceſtus et ea dirimunt, neq; ferre uolunt: cum ueteres matrimonia illa rata habuerint, licet peccare dixerint, ſed ſemel, eos qui poſt uotū contrahunt. Et huius ſententia teſtē citauit Epiphaniū. Quomodo uerò hac de cauſa in me Smytheus excanduerit, ex his liquet uidere, quæ mihi ſic obijcit. Hæc Epiphaniij uerba tu tibi calculū porrigere, tibiq; ſuffragari arbitraris, quòd dicat melius eſſe uni obnoxium eſſe, quàm multis noxis, ac uxorē ducere, quod abſq; peccati designatione poſt Deo dicatā uirginitatē fieri poſſe inſciatur, q̄ occultis ſauciari iaculis, dum ſcortatur quoti die ac curat libidinem ſub ſolitudinis ac continentie, ut iſ ait. ſpecie. Sed dic mihi qua fronte hanc eius poſtēriorem ſententiā, quæ tibi aſſerenti Voto aſtrictorum nuptias eſſe ueras & licitas nuptias uideatur aſtipulari, proſeras, cum quæ paulò antè ille aſtruxerit contra tuam impiam opinionem reiicias? Hoccine eſt ſas & æquum? Hoccine ueri aſſertorem, & labefactatæ fidei uindicem, qualem te haberi percupis, Petre decet? Quis uerè cordatus, & uel mediocriter eruditus in theologia tibi adhibebit fidem, poſtquā te non pudet ſic tractare optimos quoſq; ſcriptores, et primarios Eccleſiæ Chriſti Patres? ut tū demū illorū ſententijs accedere ſolum uelis, cū tibi utcuq; uideantur patrocinari? At quoties tecū pugnant (pugnant ſerè ſemper) nihili ducis, ac contemptui proſus habes. Aſtruitne hic Epiphanius peccare, quiſquis à nūcupato Deo cōtinētiae uoto imit nuptias, ac ſatius eſſe ut ducta uxore uno, q̄

multis implicetur peccatis? Visne hinc colligere, nuptias
 ei celebrare licere, qui uirginitatem aut continentiam Deo
 addixerit? Nunquid satius diuitibus quicquam, quam in-
 opibus surripere, licet utrunq; nefas sit & illicitum? Mi-
 nus flagitium esse ab edito continentiae uoto nuptias con-
 trahere, quam scortari & libidinē curare solitudinis &
 cōtinentiae specie, astruere hinc Epiphanium fateor. Quid
 tum postea? Num ideo asserere eum dices eiusmodi nu-
 ptias prorsus uacare culpa? & penitus esse licitas? ut tu
 hinc dogma tuum impium statuas? Nunquid qui melius
 esse fornicari, quam adulterium cōmittere dixerit, is pro-
 tinus fornicationem tanquam rem licitam admisit? Pau-
 lo authore, non sunt facienda mala, ut eueniant bona.
 Proinde quum malum sit uotum dissoluere, ut palam te-
 statur hinc Epiphanius iuxta Paulum. 1. Timothaei 5. quis
 non uiderit ob bonum quod pariturae sint nuptiae, illud
 malum non esse designandū? Hæc aduersus me Smythæus,
 candidè lector, uti uides, magno supercilio dictauit: sed quæ
 iuste nunc superest excutiendum. Primum in eo nunquā asse-
 rui, Epiphanium facere mecum, quod dicat esse pecca-
 tum matrimoniū inire post uotum editum, si opus habeat
 quis matrimonio, & aduratur, uel in scortationem laba-
 tur. Quæ enim peccaret, cum potius obediat mādato Dei
 & Apostolico, & remedio utatur sibi diuinitus proposi-
 to, cum nullum uotum ut ratum sit habendū, nullaq; pro-
 missio firma, quæ uerbo Dei aduersetur? In eo itaq; mecum
 nō conuenit cū Epiphanio: sed tantū in eo, quod illas nuptias
 et ueras esse dicat, et licitas. Imò incōtinentib. qui se astrin-
 xerint, & nō stant promisso, sed scortantur, eas persuadet.
 Neq; hanc eius posteriorē sententiā citauit dissimulato prio-
 ri eius dicto. Scio enim, et proposui auditorib. illū cū mul-
 tis alijs ex Patrib. in eo errare, quod peccatū esse dicat, uotū
 huiusmodi

huiusmodi uiolare, cum opus fuerit, & malè illū id referre in traditiones Apostolicas, cum ex sacris literis non ualeat suam sententiā confirmare. Deinde proposui hunc Patrem discrimen ponere inter *νηψια* & *νατάνψια*, inter iudicium, inq̄, & condemnationem. Nega tu modò si potes, illum dicere, quod ego maxime contendo, has nuptias esse ueras nuptias. Peccatum quidē ibi unū satetur: & dat istos semel peccare, sed tamen cum suo matrimonio inito ecclesie posse reconciliari per aliquale pœnitentiā. Hæc illum dixi scribere. Nunq̄ tamen dedi, faciendā esse mala, ut eueniant bona, & si peccatum arbitrarer admittere in nuptijs post uotum ineundis, nunq̄ illas suaderē. Neq; in hoc sum uel cum Epiphano, uel cum quouis alio Patre, ut dicā peccatū esse tales inire nuptias, q̄, si uel tu, uel illi hoc affirmant. Ex sacris literis oportet ut uos uera sentire demonstratis. Sic aut̄ tracto Patres, quemadmodū sæpius contestor, ut quæ dicunt uerbo Dei cōsentanea, uel nis, ut dicitur, *ambab. amplectar*: cætera uerò si pugnare cum sacris literis uidero, facile respuā. Me ipsum uerò aut sententias meas nihil moror: unicum uerbum Dei tantū suspicio. Quòd uerò mihi semper obijcis, q̄ uelim uideri labefactatæ religionis uindex, iniuriā mihi facis: quando quidē nunq̄ me hoc iactare audiisti. Quamuis id omnes præstare tenemur pro uiribus. Ambire aut̄ ut uideamur tales, cū reipsa nihil faciamus, hoc uitiosum esset. Quare desine te obsecro, tam futiliter oblatrare. Si Epiphā. dixit faciendā mala ut eueniāt bona, ipsum accusa. In me lo cū nō habet ista calūnia. Illud enim apud te firmissimū statutum, id Christiano licere, imò conuenire maximè, ut non omnia, quæ à Patrib. dicuntur, statim admittat. Quod & te ipsum facere uideo, qui posteriori parte sententiā Epiphā. nō admittis. Idq; cū tibi permittas, cum mihi nolis

item concedere, omni prorsus caret æquitate. Nec illa tua similitudo hic locū habere potest, qua dicis minus esse flagitiū scortari, q̄ adulteriū cōmittere: ac minus malū esse diuiti aliqd surripere, q̄ pauperi. Quoniā hic duo peccata simul cōparas. At iūre nuptias etiā post uotū peccatū esse, non dū mihi demonstrasti. Quod si Epiphan. hoc dicit, aut August. ego nō dico: neq; id sacre lileræ dicunt, a quib. solis mea fides, & omniū sanctorum pendet. Quod uerò Patres perpetuò, ut iactas, mecum pugnent, iam ex multis demonstrauit, et sum demonstraturus esse falsū. Mecū interim facit iste Epiphan. qui nuptias istas, ut legitimas admittit, et eas licet nō bona ratione, bene tamē consultit incontinentibus qui uoto fuerint obstricti. Sed nunc ad Chrysof. uenio. Is super Genes. hom. 21. cū de Enoch ageret, nuptias ostendit, minimè illi fuisse impedimēto, quominus uel Deo placeret, uel uirtutes acquireret: Deumq; testatur adco bonū, ut nuptias nunq̄ fuerit in mundū induturus, si homines illis fuissent lēdēdi. Neq; tātū innoxias esse testatur, uerū etiam magnæ cōsolationis: quādo quidē insanū impetum naturæ cōprimunt, et nauim feliciter in portū adducunt. Verba eius hæc sunt. Placuit Enoch Deo postq̄ genuit Mathusala. Audiant mariti et uxores, & discāt iusti uirtutem: nec putent nuptias in causa esse, quominus quis Deo placeat. Nā iccirco diuina scriptura semel atq; iterū id significauit, dicens, Genuit Mathusala, & tūc placuit: & idem ingemūnat, ac repetit, dicens, Et placuit postq̄ genuit, ut ne quis arbitretur obstaculū uirtutis esse cōiugiū. Quia si sobrii sumus, neq; educatio, neq; cōiugiū neq; aliud quid nobis oberit, quominus placeamus Deo. Ecce enim, & hic eiusdem naturæ est, cuius & nos sumus et neq; lex tradita, erat, neq; scripturæ docebat, neq; aliud quicq̄ ad honestatis sapientiæq; studiū impellebat. Nam si nuptiæ

Chrysof.

nuptiæ, dilectæ, uel puerorum educatio præpedimentū forent in uirtutis itinere, nequaquā in hanc nostrā uitā nuptias introduxisset uniuersorū dominus, ut ne tēporalibus & maxime necessarijs nos læderet. Sed quia nō solū nihil nobis obstant ad philosophādū Deo, si uoluerimus esse sobrij, sed magnam adferūt consolationē, dū cōprimunt insanam naturæ impetū, nec turbari, quasi mare sinunt, sed efficiunt, ut nauis feliciter in portū appellet, ideo consolationem hanc humano generi tribuit. Atq; in eadē hom. de Noha scribēs, eadē propemodū habet: ita enim loquitur. Et erat Noha annorū 500. et genuit tres filios. Vide, inq̄, iterū alium iustū cum uxore et filijs, qui bona operando placuit Deo, et displicentē omnib. uirtutis uiā elegit, et neque nuptijs, neq; filiorum educatione prohibitus est. Porro stupēda est ineffabilis misericordia Dei, et prodigiosa hominū, qui tū erāt, ingratitude. Ecce enim 500. annis uixerat iustus ille, &c. Et mox: Erudite uosmetipsos, & uirtutū curā agite, et pro magno habueritis Deo bene placere: & neq; domus gubernationē, neq; uxoris curā, aut filiorum, neq; aliud quicq̄ prætexamus, quod putemus satis esse, ad excusandā nostram negligentem, desidemq; uitā. Neq; frigida illa uerba proferamus, et dicamus, mūdānus sum, et uxorē habeo, et liberorū curam gero, qui multis mos est, ut ita dicāt, si quando eos hortamur ut uirtutū labores aggrediantur, uel studium adhibeant in sacris literis legendis. Non est hoc meum, dicit. Nunquid renuntiaui seculo? nunquid monachus sum? Quid dicis homo? An hoc ad solos monachos pertinet, ut Deo placeant? Et mox: Nunquid, dic oro, iusto huic uxoris consuetudo, uel puerorum cura fuit obstaculo? Obsecro igitur ne nosmet ipsos fallamus: sed quantō magis huiusmodi curis implicamur, tantō magis remedia ex lectione diuinarum scri-

pturarum sumamus. Nonne ut illi eiusdem, cuius nos sumus, fuerint natura, & c. Idem in homilia de Beato Philogonio, testatur eum uxorem & filiam habuisse, uocatumq; ad sanctum episcopatum, neq; impeditum ijs curis, quominus functionem creditam feliciter administraret. Præterea hom. 4. in illa Esaiæ uerba. Vidi dominum sedentem super solum excelsum, ostēdit Esaiæ, Mosi, Abrahamo nuptias haud fuisse fraudi, quo minus Deū uiderint sintq; cum eo familiariter collocuti. Qua de re uerba hæc scribit. Quis hic loquitur? Esaias ille spectator caelestium Seraphim, qui cum coniugio cōmercium habuit, nec tamē extinxit gratiam. Auscultastis prophetam, & audistis prophetam hodie: Exi tu, & Iasuph filius tuus. Nec isto oportet prætercurrere. Exi tu, & filius tuus. Itane filium habebat propheta? Si filium habebat, habebat & uxorem, ut intelligas, non esse malas nuptias, sed malam esse sortationē. Sed quoties cū quibusdā de uulgo differimus, dicētes: Cur non rectē uiuis? Quamobrem non præstas mores ab solutos? Qui possum? inquit, nisi diuertam ab uxore, nisi ualedixero liberis, nisi ualere iussero negotia? Quāobrem? num obstat matrimonium? Adiutrix tibi data est uxor, non insidiatrix. Annōn habebat uxorem propheta? Neq; tamen spiritus gratiæ obstat cōiugiū, sed cū uxore cōiuctū habebat, & erat nihilominus propheta. Moses nōne uxore habebat? Et tamen is petrā dirupit, aerē immutauit, cum Deo colloquebatur, diuinam iram cohibuit Abraham nōne habebat uxore, & tamē pater factus est, gētium & ecclesiæ. Deinde ne hoc tantum in Veteri Test. accidisse suspiceris, ex nouo Petrum, & Philippū adducit & eō uenit, ut nuptias uel suo periculo suadeat. In hæc aut uerba scribit: Quid autē Petrus basis ecclesiæ, ille uchemens amator Christi, ille sermone indoctus, & rhetorū uictor

uictor, ille imperitus, qui tamē philosophis obturauit os,
 ille, qui græcicam sapientiam, non aliter q̄ aranearum
 telam dissoluit, qui terrarum orbem peragrauit, qui sage
 nam misit in mare, & piscatus est orbem? Quid autem ait
 Euangelium? Ingressus est Iesus ad socrum Petri febricitā
 tem. Vbi socrus, ibi & uxor, ibi & coniugium. Quid autē
 Philip. nōne quatuor habebat filias? Vbi uerò quatuor
 filiae, illic & uxor, & matrimoniū. Quid igitur Christus?
 A uirgine quidem natus est, uerum ad nuptias accessit, ac
 donum attulit. Non habent, inquit, uinum, & aquā uertit
 in uinum, uirginitate nuptias honorans, dono id, quod fie
 bat, cōmēdās: ut ne abomineris nuptias, sed oderis scorta
 tionē, meo periculo: nā ego spōdeo tibi salutē, etiā si uxo
 rem habueris. Prospice tibi ipsi. Mulier si proba fuerit, ad
 iutrix tibi est. Quid igitur si non fuerit commodas? fac illā
 commodam. Annōn fuerūt uxores bonae, simul & malae,
 ne haberes excusationem? Qualis erat illa Iob? Sed Sara
 erat bona, &c. In epist. ad Timoth. illud tractans, unius
 uxoris uirum. Paulum ait, hęc scribendo nō sancire legē
 quominus liceat episcopum nō coniugatum assumere: sed
 modum cōstituit. Iudaei enim plures uxores simul habue
 rant: quod Paulus in episcopo non censet ferendum: aut
 uult unius tantū uxoris uirū esse, quod intellige, ne post
 primā alteram ducat. Vtranq; interpretationem adducit
 remq; in medio relinquit, neutram confutando. Atq; hęc
 sunt eius uerba. Oportet igitur episcopū irreprehensibile
 esse, unius uxoris uirum. Nō hoc ueluti sancies dixit, qua
 si nō liceat absq; uxore episcopū fieri, sed eius rei modum
 constituens. Iudaeis quippe licitum erat, etiā secundo ma
 trimonio iungi, & duas itidē habere simul uxores: hono
 rables enim nuptiae. Quidā uerò hoc ita intelligūt, ut sci
 licet ad episcopatum is assumatur, qui unius fuerit uxoris

uir. Adhæc illud tractās, Filios habentē subditos cū omni
 castitate, querit si ille qui ducit uxore sollicitus est eorū
 quæ sunt mundi, & episcopum sollicitudine huiusmodi
 carere cōuenit, quomodo iam dixit unius uxoris uirum?
 Primum respondet id intelligendum, ut fiat episcopus u-
 xore iam defuncta, uel quamuis habeat, sit ceu nō habēs
 Tertio inquit, nuptias quidē aliquā habere sollicitudinē
 sed gradui episcopatus non obstare, neq; à regno celorum
 excludere: atq; nuptias ipsas cū diuitijs confert, et ita scri-
 bit: Si igitur qui uxorem duxit, sollicitus est quæ sunt mū-
 di: episcopum autē huiusmodi sollicitudine tangi minimē
 conuenit, quomodo superius dixit, unius uxoris uirum?
 Quidā ut dixi, illum, qui post uxoris obitum cōstituitur
 episcopus, significasse intelligunt. Alioqui licet eum, qui
 uxore habeat, quasi nō habentem esse. Tunc nempe istud
 ritē cōcessit pro tēpore, ac pro rei natura, quæ tunc in-
 erat, Licet enim eam rem honestē ac licitē capere, si quis
 uelit. Quæadmodum enim diuitiæ difficile in regnum cæ-
 lorum introducunt, sæpe tamē id diuites plurimi ingressi
 sunt, ita & nuptiæ licet difficultatis in se plurimū habeāt,
 ita tamen assumi possunt, ut perfectiori uitæ impedimēto
 non sint. Reddit etiam aliquanto postea rationē, cur dixe-
 rit Pau. unius uxoris uirum, cum prius optauerit omnes
 esse sicut seipsum, continentie nempe ratione. Qui inquit
 rem noluit sic in angustum contrahere. Potuisset enim di-
 ra exigendo rē ad desperationē adducere, ita ut ecclesie
 caritatis esse uiderētur episcopis, cum iusserit per ciuita-
 tes episcopos, uel presbyteros constitui: quod tamē hodie
 nō fit. Ut enim magnas et latas habeāt dioeceses in magnis
 alioqui ciuitatib. episcopos nō constituunt, et uastas dice-
 ceses uisitare, atq; obire nequeunt. Verba Chrysost. hæc
 sunt: ideo ait, unius uxoris uirum, cum certē alio in lo-
 co di-

eo dixerit, Volo omnes homines esse sicut & meipsum, continentiae scilicet ratione. Igitur ne in angustum nimis eam concluderet rem, si exactissimam uirtutem expetisset, ideo moderatiore admonitione maluit uti, ne ex desperatione perfectae illius inueniendae uirtutis, ecclesiae sine episcopis essent. Oportebat enim, ut antea dixit, per singulas ciuitates constitui praesules. Audi denique quid ipse ad Vitum scribat: Ut constitueres per ciuitates praesbyteros, quemadmodum ego tibi praeci. In epist. uero ad Titum scribens, ubi rursus illud explicat, Vnius uxoris uir. Hoc inquit Paulum dicere, ut os obturet haereticis, qui nuptias ut rem malam damnabant. Quod ut falsum sit, hinc reuincitur, quod episcopus unius uxoris uir eligitur. Ostenduntur ergo nuptiae sine culpa. Deberent hoc non leuiter pertransire, qui etsi uideantur nuptias commendare, opus tamen coniugij dare nolunt absque culpa peragi. Certe si quid ibi sit labis non est actioni procreandi, sed hominum uitio ascribendum: quod idem accidere potest, & sepius accidit edendo, bibendo, uestiendo, & alia peragendo, quae ad cultum corporis pertinent. Ad haec ita citra culpam esse nuptias inquit, ut possit aliquis cum eis ad sanctum episcopatus thronum assumi. Magnam uim habet, quod inquit, Cum illis. Quod si expectanda esset mors uxoris, uel si abdicanda ea esset, iam non cum ipsis nuptiis sed absque illis ad episcopatum, qui coniugatus est assumetur. Interpretando postea quod inquit, Vnius uxoris, id arbitratur dictum, quia non uidetur futurus bonus praepositus ὁ πρὸς τὴν ἀπελευθερίαν οὐδεμίαν ψυχῆς ἢ ἰουδαίου. In usu erant diuortia, quibus prior uxore dimissa superinducebat alteram, uidebatur cum priori satis inhumaniter agere, neque beneuolentiam erga eam seruare. Unde ob eam causam a multis male audiebatur: Licent qui-

dem, inquit Chrysostomus, per legem secundæ nuptiæ, sed tamen ut nostis cauillationib. & suspitione minime carerent. Episcopum uerò bene audire oportet. Hinc apparet multos ex Patribus per secundas nuptias non accepisse matrimonium, quod inquit post obitum prioris uxoris, uerè illud, quod inquit priori coniuge adhuc superstitè. Nam si moriatur prius uxor, non ea de causa uiolatur charitas ergam ipsam, si nouum contrahatur matrimonium. Cum uerò dimissa ea & adhuc uiuente, matrimonium aliud inquit, ibi de beneuolètia coniugali aliquid uidetur imminutum. Verba illius hæc sunt: Cuius rei gratia etiam huiusmodi homines in medium adducit? Obstruere prorsus intendit hæreticorum ora, qui nuptias damnant: ostendens eam rem culpa carere, imò ita esse pretiosam, ut cum ipsa etiam possit quisspiam ad sanctum episcopatus solium subuehi. Castigat hoc ipso etiã impudicos dū non eos permittit post secundas nuptias ad ecclesiæ regimē, dignitatēq; pastoris assumi. Nam qui defunctæ uxori, uel ut melius habebetur in Græco, πρὸς τὴν ἀπελευθερωμένην, beneuolentiã nullã seruasse deprehenditur, quo pacto hic ecclesiæ præceptor esse optimus poterit? Imò quibus criminibus, nõ subijcitur in dies? Nostis. n. profectò omnes q; etiã per leges secundæ nuptiæ permittuntur: multis tamē ea res accusatio bus patet. Nullam ergo occasionē præbere subiectis præfulem uult. Scribit præterea is Pater homiliam contra Iudeos, Gentiles, & hæreticos, & quum aduersus illos agitur, qui nuptias damnabant, Christum ad eas accessisse testatur: neq; solum accessisse, imò et uinum conuiujs donasse à se miraculo insigni, & primo productū, quod facere utique noluisset, si detestabilis res esset coniugium. Postea simul cõfert Moysen & Eliã, quorū unus uxore et liberos habuit, alter uerò celebs uixit, qui tamen ambo Deo sue

runt chari, neq; caelebs in rebus gerendis coniugato fuit maior. Descendit ad Petrum, quem columnam quondam Ecclesie fuisse testatur, illum tamen coniugem fuisse demonstrat. Quare cōcludit, solum inanes pretextus esse illorū excusationes, qui se causantur nō posse perfecte uiuere, quōd uxores habeāt. Ita autē scribit. Vocatus est Iesus ad nuptias. Venit, uel non uenit? Certum quōd uenit. Quōd si uenit, quomodo ergo nuptiæ malæ? Non potes excusare. Ego autem non dico, quōd tantum uenerit, sed quōd & dona secum attulerit. Aquam in uinum mutauit. Ne excuses te propter nuptias: Dominus tuus nuptijs interfuit, & nuptias honestauit: & tu nuptias arguis, & dicis nuptias obstaculum esse ad pietatem? Nul- lum enim ad pietatem est obstaculum. Vis cognocere, quōd nihil nocet habere uxorem & pueros? Moses non- ne uxorem habuit & liberos? Elias nōne uirgo e- rat? Nōne Moses manna è cælo deduxit, Nōne Elias ignem è cælo deduxit? Nōne Moses coturnices ad- uolare fecit? Nōne Elias uerbo cælum clausit? Nō- ne Mosi Deus locutus est? Nōne & cum Elia con- uersatus est? Nōne Moses mare diuisit & transduxit populum? Nōne Elias curru igneo in cælū sublatus est? An nocuit huic uirginitas? An impedimento fuerunt illi uxor & liberi? Vidisti Eliam aurigam in aere? Vidisti Mosen in mari uiatorem? Vide & Petrum Ecclesie co- lumnā, quōd & ipse habuit uxorem. Vnde ergo li- quet, quōd uxorem habuit? Ego dico: Ingressus est Iesus ad socrum Petri, & erat illa infirma, & tetigit eam, & reliquit eam febris, & stetit, & ministravit. Vides, & Petrus uxorem habuit? Vbi enim socrus, manifestū, quōd ibi & uxor. Vides quōd & Petrus uxorē habuit? Ne iacuses nuptias. Hæc dico ne quis pretextat uel uxo-

534 PETRI MARTYRIS
rem, uel liberos, uel militiã, uel negotiationẽ, uel opifi-
cium, uel seruitutẽ, uel diuitias, uel paupertatem. Super
Matthæum uerò 7. homilia, cum ad perfectionem uitæ
uississet auditores, inquit: Nõ propterea extrudo te in so-
litudines, in quib. monachi uersantur: Imò nobis, & mo-
nachis omnia Dei mandata sunt communia præter con-
nubium. Hic notandum, Chrysostomum non dixisse uo-
bis: sed prima usum esse persona: dixit enim nobis, cõpre-
hendendo se ipsum, neq; excludendo clerũ. Quæ loquẽdi
forma indicat, episcopis atq; presbyteris, & diaconis li-
cuisse connubia, quæ tamen ait monachis non concedi.
Primam sententiæ huius partem recipimus: alteram ue-
rò non admittimus, Connubia monachis non licere: nisi
fortè sic accipias, illorum statu & conditione salua. Non
enim quispiam simul & maritus & monachus erit. Sed,
qui monachus est, licitè, si opus habuerit, statum mutat,
& iuxta uerbum Dei matrimonium contrahit. Hæc ue-
rò sunt, quæ dicit: Non ego te in montes ac solitudines
ire præcipio: sed frugi esse, & equum iugiter ac mode-
stum, uel in medio urbis habitantem. Omnia siquidem
mandata legis nobis sunt monachisq; communia, præ-
ter connubium: quanquam hic quoque beatus Paulus
admonet, per cuncta monachis æquare nos cupiens. Et
in epistola ad Theodorum lapsum posteriori habet se-
rè idem de monachis, quòd illis nuptiæ non liceant. Sed
ut dixi, hæc in parte minus rectè docet, neque in senten-
tiã eius eundem censeo, cum longè sic uerbum Dei
statuat. Verba eius hæc sunt: neque ullus tibi fortè per-
suaserit, dicens: Nihil de non accipiendã uxore Domi-
nus præcepit. Nec me ignorare confiteor, quòd adulte-
rium interdixit, non nuptias uetuit. Verum in te adulte-
rij nomen accipiet, si uolueris unquam, quòd absit, nu-
ptias

ptias cogitare. Et quid mirum, si nuptiæ tales, quibus
 offenditur Deus, adulterio comparantur? Et mox: Atque
 ut illud repetam, quod in principio posui epistolæ, si mi-
 litia uincula non tenerent, quis tibi desertionis crimen
 obijceret? Nunc autem nil in te penitus tui iuris est, qui
 pe qui tanto imperatori militare cœpisti. Nam si mu-
 lier proprii corporis non habet potestatem, sed uir: mul-
 tō magis hi, qui Christo potius quàm sibi uiuunt, con-
 ditionem corporis sui habere non possunt. Nunc iam
 ad Ambrosium ueniamus. In priorem epistolam ad Ti-
 motheum tertio capite, ubi agitur de diaconis, ut sint
 unius uxoris uiri, Hoc, inquit, ideo uult Apostolus,
 ne constitutum Dei transgrediantur. Vni enim homi-
 ni dedit Deus unam uxorem benedixitq; illis: & cum
 secundis nuptijs nullus benedicitur. Hic etiam, ut mi-
 hi uidetur, Ambrosius ad secundas nuptias respicit, quæ
 contrahuntur à diuortio, non post obitum prioris ux-
 oris. Nam illæ, quæ sic fiebant, iuxta quosdam cano-
 nes Ecclesiastica benedictione non initiabantur. Ita ue-
 rō scribit: Ea quæ minus dixerat de ordinatione diaco-
 natus, nunc subiecit. Ostendit etiam, ipsos unius ux-
 oris maritos esse debere, ut hi ad ministerium Dei eli-
 gantur qui non sunt egressi constitutum Dei. Homini
 enim unam uxorem decreuit Deus, cum qua bene-
 dicatur. Nemo enim cum secunda benedicitur. Et
 mox: Veteribus idcirco concessum est Leuitis aut
 Sacerdotibus uxores ad usum habere, quia multum
 tempus otio uacabant à ministerio aut sacerdotio.
 Multitudo enim erat sacerdotum, & magna copia
 Leuitarum, & unusquisque certo tempore serue-
 bat diuinis cœremonijs secundum institutum David.

Ambros.

Hic enim uiginti & quatuor classes constituit sacerdotum, ut uicibus deseruirent. Vnde Abia octauam classem habuit, cuius uice Zacharias fungebatur sacerdotio, sicut continetur in Paralipomenon, ita ut tempore quo non illos contingebat deseruire altari, domorum suarum agerent curam. At ubi tempus imminebat ministerij, purificati aliquantulis diebus accedebant ad templum offerre Deo. Nunc autem septem diaconos esse oportet, & aliquantos presbyteros, ut bini sint per Ecclesias: & unus in ciuitate episcopus: ac per hoc omnes à cōuentu scemine abstinere debere, quia necesse est eos presbitero esse in Ecclesia quotidie, nec habere dilationem ut post conuentum legitimè purificentur, sicut ueteres. Omni enim hebdomada offerendum est, etiamsi non quotidie peregrinis, incolis tamen uel bis in hebdomada: etsi non desint quibus propè quotidie baptizentur ægri. Nam ueteribus, ideo concessum est, quia multo tempore in templo non uidebantur, sed erant priuati. Si enim plebeis hominibus orationis causa ad tempus abstinere se precipit, ut uacent orationi: quanto magis Leuitis aut sacerdotibus, quos die non est quæ pro plebe sibi commissa oportet orare? Mundiores ergo esse debent cæteris, quia actores Dei sunt. Ita uult etiam rationem reddere cur iam sine uxoribus esse iubeantur ministri. Quod ideo facit, quia circa illa tempora Siricius Romanus episcopus, hoc uehementer urgebat imperium decretum. Sed Ambrosij prætextus audiamus. In ueteri lege fatetur sacerdotes & Leuitas coniuges habuisse, quia longum spatium otij habebant, neque sedulo cogebantur ministrare. Nam fuerunt distincti sacerdotes & Leuitæ in uigintiquatuor classes à Dauide, ut in 1. Paralipomenis ca. 24. legimus. Vnde, inquit, postquam sua uice functi erant, domum redibant: cumque ibi diu posere esse

esse à ministerio liberi, uxoribus & familie poterant operam dare. Cū uerò ad ministerium redeundum erat, sese purificabant: & cum functionem suam obijissent, rursus domum redibant. Verum, inquit, modò in Ecclesia Christi non ita res habet. Sumus assidue ministraturi, hoc est omni hebdomada semel aut iterū & nonnunquā pro peregrinis. Quare oportet semper esse prestò, maxime cū sepe sint nobis & groti baptizandi. Neq; noster numerus magnus est. Septem quippe diaconos esse oportet, & aliquot presbyteros, ita ut bini ad quāq; Ecclesiam deputentur. Ideoq; propter paucitatē ministrorum, & frequēs assiduūq; ministerium cōcludit absq; coniugibus debere esse ministros. Ex ijs multa quo ad historiā illorum temporum licet colligere. Primum nō fuisse Missas priuatas quotidie innumeras, ut sunt hodie, Semel aut iterū in hebdomada, nō quotidie habebatur coena. Deinde peregrinos tametsi faciebant iter, noluisse à sacra communione abstinere: imò illis aduenientib. quandoq; oportuit ministrare. Tertiò frequenter egrotos fuisse baptizandos. Differebant quippe multi sacramentū regenerationis ad extremum uitæ: Vnde fiebat ut egroti saluari baptismo tingerentur. Postremò uideas, tum temporis nō fuisse greges sacrificorum, ut hodie habentur. Sed in Mediolanensi urbe quæ tanta est, septem tantū erāt diaconi & aliquot presbyteri cū uno episcopo. At nunc uideamus quāti ponderis hæc sit ratio. Primò si ualeat, nil iuuat Papæ mancipia: non enim iam sunt pauci sacrifici, sed innumerabiles in unaquaq; urbe. Ad hæc, multi istorum episcopi, decani, magni canonici & prelati nō coguntur frequēter ministrare. Imò, qui sunt ex illis aliquanto seueriores, uix in anno bis aut ter suā impuram Missam faciūt. Cur ergo se celibatui astringunt

Pauci non sunt, & frequenter non ministrant. Qui sit ut
 Ambrosianum argumentū nil ad eos pertineat? Quam-
 uis ratio ea infirma est & commētitia. Non enim ob eā
 causam distinxit Dauid Leuiticam tribum in uiginti-
 quatuor uices, ut uacaret illis operam dare liberis, &
 maiore fruerentur otio ad res domesticas curandas.
 Nihil minus cogitauit Dauid. Vnde hoc Ambro-
 sius nouit? Solum dicit, at nihil probat. Quid fecisset
 Aaron ab initio? quid filij eius, qui quotidie ministrabāt,
 mane, inquam, & uesperis? Nōne uxores habuerunt?
 nōne liberos procreabāt? Qui hęc sateri nolunt, ab ip-
 sa historia coarguuntur. Igitur actio coniugalis si tempe-
 ratē interponatur, sacrum ministerium non impedit, ne-
 que homines reddit impuros, ut ministrare non ualeant.
 Quid enim fecissent Leuitæ ac sacerdotes ante Dauidis
 inuentum, quo classes instituit? Fuerunt longē aliæ cau-
 sę quę hunc regē mouerunt ad hunc ordinem instituē-
 dum. Primum otio Leuitarum occurrere uoluit. In tan-
 ta enim multitudine facile fuisset, ut multi à ministerio
 se subducerent, nisi per uices hoc modo fuissent digesti.
 Dum uerò sua uice quęq; classis ministrare debuit, om-
 nes laboris fiebāt participes. Deinde ambitio solet in ijs
 frequenter se admiscere, dum una familia uult alij præ-
 ferri. Hoc ne accideret uiginti quatuor classes institutę
 sunt, & cuiq; illarum proprius locus est assignatus, ita ut
 octaua esset classis Abiæ cuius mentio habetur Luca pri-
 mo, in qua Zacharias pater Ioannis suas uices habuit.
 Peccat itaque hoc argumentum, quod pro causa non as-
 signat ueram causam. Nititur etiam idem Ambrosius, cō-
 firmare hoc alio argumēto: quia Paulus mandauit lai-
 cis, ut ad tempus abstinerent à coniugali opere, ut uaca-
 rent precibus & ieiunio. At, inquit, sacerdotes perpe-
 tuò

tuò debent orare pro populo : igitur perpetuò congruit
 ut à matrimonio arceantur. De hac ratione aliàs dixi
 quid mihi uideretur, cum sententiam Origenis excute-
 remus. Ideò nunc uel illa repetere, uel afferre plura su-
 perse deo. Verùm in eadem epistola ad Timotheum ca-
 pite quinto cum de uiduis agitur, inquit, Adolescentulas
 uiduas à professione arcendas ob lubricam etatem, cui
 fides faciliè adhiberi non debeat : præsertim cum exem-
 pla præcesserint multarum, quæ nomen non opera ui-
 duarum habebant. Nec facile audendum est promitte-
 re, quod sit difficile præstare. Quòd si habeant, inquit,
 hoc deuotionis propositum, apud se habeant, neq; temerè
 polliceantur, quod præstatu sit difficile. Ita uerò scribit:
 Iuniores uiduas deuita. Prohibet adolescentulas uiduas
 in hac suscipi professione. Lubrica enim etati fides faciliè
 adhiberi non debet: quippe cū quarundam exempla præ-
 cedant, quæ post professionē uitæ deliciarū oblectatio-
 ne nomē, non opera uiduitatis habēt, & cōuersæ nuptijs
 sollicitantur. & paulo post: Habentes damnationē quia
 primam fidem irritam fecerunt. Quid maneat tales o-
 stendit, ne faciliè audeant, quod implere difficile est: aut
 si animus est huic deuotioni deditus, apud se interim te-
 neat: quia dicit, temerarium esse positeri, quod adhuc iu-
 uenili etati credi non debet. Damnationi enim fit obno-
 xius, qui ab hoc declinat, quod rectè fecerat. Quantum
 enim laudabile est, si impleat, quod ultra uires eius
 creditur, tantò magis puniendus erit, si hoc audeat sibi
 imponere præsumptione temeritatis, quod ferre non
 possit: nec ad ueniam debet pertinere, qui à primor-
 dio infidelis inuentus est. Et mox: Iam enim quæ-
 dam deerrauerunt post satanam. Quoniam quæ su-
 pra dixit de huiusmodi contraria & illicita, per-

ducent eas ad mortem, idcirco consilium dat & præcipit ea fieri quæ licita sunt. Melius est enim domus curæ suæ gerere, quàm in aliena domo adulari. Et multũ expedit nubere, quàm sub bona & pia professione notabiliter incedere. Plus autem est cum pudore manibus uitium quærere, quàm inuerecundè cum otio aliena utensilia expectare. In ijs eius uerbis licet annotare, illum in eo contra nos facere, quòd putat illas uiduas uouisse, de quibus Paulus ibi loquitur, quasi tum temporis hæc uota extiterint. Sed in eo, quòd inquit, Apostolum nolle, ut posthac huiusmodi professiones iuuenum recipiantur, prorsus mecum facit. Notent hunc locum illi, qui aiunt, Paulum non prohibuisse uota iuuenum, sed tantum uoluisse, ut adolescentulæ uiduæ à stipe atq; alimonia Ecclesiæ excluderentur. Hic Ambrosius professionis à qua excluduntur, disertè mentionē fecit: & causam assignat lubricam ætatem, cui fides non sit adhibenda: & temerariũ ait esse promittere, quòd tam difficulter præstetur. Dumq; inquit, si propositum huius deuotionis habet, apud se habeat, idem, quòd ego, statuit. Seruet se liberam, absq; uoto apud se ipsam statuatur id genus uitæ retinere, quòd tunc ferre potest, neq; se uoto aut professione obstringat. In epistolam uerò ad Corinthios, dũ illud interpretatur, Respondi uos uni uiro uirginem castam exhibere Christo, affirmat omnes Apostolos præter Paulũ & Ioannem, fuisse coniuges. Qua de re quid sentirem, superius exposui. Scio per multas huius sancti Patris afferri sententias, quæ decerpuntur ex libello de uirgine lapsa. Eas si omitto, nemo debet mirari, quia liber ille non est Ambrosij. Potius est declamatio quædam, quæ eadẽ prope modum tota extat apud Hieronymum sub titulo epistolæ, Ad matrem, & filiam. Neq; hoc latuit Erasmus, qui

qui sagax admodū fuit in ijs fucis deprehēdendis. Quare uenio ad libros eius tres, de uirginibus, quos omnino eius esse, non solum stilus ostendit, uerū etiam Hieronymi grauiſſimum testimonium. In primo libro ait, uirginitatem non posse imperari, sed optandam esse, & ad uotum, id est, ad preces pertinere, non ad magisterium. Verba illius hæc sunt, quæ ab episcopis notari uelim, qui ab ijs, quos ad sacros ordines promouent, omnino cælibatū exigunt, Non enim imperari potest uirginitas, inquit, sed optari. Nam quæ supra nos sunt, in uoto magis quàm in magisterio sunt, & c. Sed cur ille, obsecro, hanc suam uotem non audiuit, quādo Siricij pape decretum tanto studio propugnauit? Minus etiam rectè scribit postea, cum uirtutem hanc, nempe uirginitatem, principalem esse uirtutem affirmat. Siquidem Christianorum præcipue uirtutes fides spes, charitas censentur. Ad hæc, fatemur castitatem esse uirtutem: sed quæ non tantum ad uirgines, uerū etiam ad uiduas, & coniugatas pertineat. Uirginitatem autē per se ipsam uirtutem nemo dixerit. Addit præterea, Nec solum in martyribus reperitur, sed etiam martyres facit. Quid sibi uelit ijs uerbis, non est facile uidere. Quomodo enim uirginitas martyres facit? Si putet eam, quæ, ne nubat, uult potius occidi, licet non cogatur eo cōiugio, quod sibi proponitur, Christum abnegare, uel coniugem imparis cultus admittere, uiderit ipse quid sentiat. Ego illam non ea causa martyrem dixerim. Imò arbitror, nisi quis afflatu singulari se ad cælibatum uocatū sentiat, uideatq; in eo se posse Dei regnū magis quàm in cōiugio promouere, opus esse, ut & parentibus, & principibus pareat. Quāuis illos non possum nō accusare parentes & principes, qui matrimoniū imperent. Quia inter cæteras humane uitæ actiones, hanc ma-

ximè omnium conuenit liberam esse. Proinde illi nō re-
 ctè faciunt. At qui sunt in potestate parentum & domi-
 norum, quādo illorum uoluntati, saluis iam allatis con-
 ditionibus, cedunt, christianè ac piè faciunt. Verba uerò
 Ambrosij hæc sunt: Tu soror sancta uel mutis tacita mo-
 ribus petis, ut aliquid de uirginitate dicamus: ne ueluti
 trāsitu quodam præstricta uideatur, quæ principalis est
 uirtus. Non enim ideò laudabilis uirginitas, quia in mar-
 tyribus reperitur, sed quia ipsa martyres faciat &c. Ac-
 cusat præterea Vestalium uirginitatem, ut mercenariã.
 Nam immunitates offerebantur illis, & pretia daban-
 tur: quod profectò nihil aliud erat, quàm castitatem uen-
 dere. At si accusatio hæc uera sit, quod negari minimè
 debet, maximè in episcopos papisticos, decanos, abba-
 tes, canonicos, & magnos prælatos cōueniet. Nā illi quo-
 q; calibes nō uiuunt ab aliã causam, nisi ut opibus, ac di-
 gnitatib. collatis fruãtur. Alioqui nuptias quemadmodũ
 cateri appeteret, cum à scortationib. non abstineant. Ita
 scribit Ambrosius, cum faceret mentionem uirginũ Ve-
 stæ, & sacerdotum Palladis: Conferuntur immunitates,
 offeruntur pretia: quasi nō hoc maximum petulantia sit
 indicium, castitatem uendere, quod pretio promittitur,
 pretio soluitur, pretio addicitur, pretio adnumeratur.
 Nescit retinere castitatem, quæ uèdere solet, &c. Dein-
 de ueritus, ne uirginitatem extollendo miris modis nu-
 ptijs detrahere uideretur, ait, se matrimonia nō damna-
 re, sed tantum, quod melius est attexere. Verba eius hæc
 sunt: Nō ego quidẽ dissuadeo matrimoniũ, sed uirginita-
 tis attexo beneficiũ, &c. Sed in sententia nō manet. Nam
 cum ob id male audiret, quòd sacras uirgines prohiberet
 nubere, ita se defendit. Ioãnes dicebat Herodi, Tibi non
 licet uxorem fratris tui habere. Ille regi hæc dixit. cur e-

go priuatis hominibus idem non dixerim? Quibus uer-
 bis manifestè docet, se noluisse, ut uirgines Deo consecra-
 te nubent. Quomodo ergo non damnat matrimonia?
 quomodo uirginitatem non imperat? quam tamen præci-
 pi non posse cuiq; paulò superius testabatur. Scio quid re-
 spondeant aduersarij propositiones illas nõ esse uniuersa-
 les, quib. affirmatur, matrimoniũ non damnari, & uir-
 ginitatẽ nõ imperari: sed cõtrahendas ad eos, qui non uo-
 uerint. At cũ uota ipsa causas nõ auferat, propter quas
 matrimonia præcipiuntur, certè illæ sententiæ uniuersali-
 ter intelligi debent. Etenim qui uouerũt sepe nõ conti-
 nent, & multò sepius uruntur. Ideoq; dum causa præce-
 pli matrimoniij manserit, præceptum habere locũ oportet.
 Est itaq; matrimonium honorabile in omnibus, u. tad
 Hebræos dicitur. Quæ uerba uniuersaliter, & citra ulla
 exceptionem proferuntur. Mittò quòd in suis his li-
 bris Ambrosius librorum apocryphorum testimonio uti-
 tur. Profert enim exempla Teclæ, quasi, cum adhuc puel-
 la esset, à Paulo instituta ad uirginitatem: quæ neq; in A-
 ctis Apostolicis, neq; in alia ulla scriptura diuina legun-
 tur. Ideò quæ facilitate adducuntur, eadem cõtemni pos-
 sunt. Scribit etiã in templo Hierosolymis asseruatas fuis-
 se puellas uirgines, quod item in diuinis libris non habe-
 tur, neq; à Iosepho, alicubi scribitur. Habetur fortasse in
 apocryphis: at ea fidem non faciunt. Et cum ad Hebræo-
 rum instituta non queant accommodari, non sunt uerisi-
 milia. Venit post hæc ad illas uirgines, quæ sese, cum pe-
 riclitaretur illarum castitas, ex altissimis locis præcipi-
 tarunt, uel deiecerunt in ignes, aut miserunt in flumi-
 na: illarumq; facta minime reprehendit, sed encomijs &
 miris laudib. effert. At si aliũ occidere nõ licet, neq; sibi
 ipsi fas erit manum afferre. Neq; Simsonis exemplum

quicquam prodest: cum ibi singularis Dei afflatus cernatur. Qui non eò ualet, ut ceteros homines à legis diuinae obseruatione debita eximat. Ad hæc, taxabatur à quibusdam Ambrosius, quòd uirgines admodum puellas Deo pateretur consecrari. Ad quam accusationem ita respondet: Dei sacerdotem oportere quidē in hoc negotio rationem ætatis habere: Verum, inquit, non annorum, at castitatis, grauitatis, constantie, educationis, & consimilium. Quòd uerò ad annos atinet, eorum causa nullos excludendos à uirginitatis professione. Imò, inquit, ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. Et a ubi scriptū ait: Sinite paruulos ad me uenire. Quasi Dauid, & Christus de uoto celibatus, aut uirginitatis in ijs locis agerent. Deinde quòd ætatem non existimet annis metiendam, quoad hæc uota, procul dubio aduersatur Paulo, qui uiduam recipiendam ad Ecclesie ministeriū sexagenariam esse uoluit. Quibus uerbis ætatem annorum apertissimè demonstrauit. Ambrosij uerba hæc sunt: Aiunt etiam pleriq; maturioris ætatis uirgines esse uelandas: neq; ego abnuo sacerdotalis esse cautionis debere, ut non temere puella ueletur. Spectet planè, spectet ætatem sacerdos, sed fidei, uel pudoris: spectet maturitatem uerecundia: examinet grauitatis caniciem, morum senectam, pudicitie annos, animos castitatis: Tum Deinde si matris tuta custodia, comitum sobria sedulitas. Si hæc præstò sunt, non deest uirgini longæua canities. Si desunt, differatur puella moribus, quàm annis adolefcentior. Non ergo ætas rei iicitur florentior, sed animus examinatur. Et certè Teclani non senectus, sed uirtus probauit. Et hinc quid plura contexam: cum omnis ætas habilis Deo perfecta sit Christo, &c. Et mox duo illa subdit testimonia, Ex ore infantium, & lactentium perfecisti

fili laudem. & Sinite paruulos ad me uenire. Illud uerò
 præclarum est, quod ait: Nos omnia noua, quæ Christus
 non docuit, detestamur: quandoquidem ipse uia est cre-
 dentibus. Quin & nostra, si ea non docuit Dominus, iu-
 re detestamur. Verissima profectò sententia est. Sed cur
 in ea non perstat? quando consecratas uirgines prohibet
 nubere, nec non quando Siricij pape impium decretum
 defendit? Accipio ab eo, ut dialecticè agant, maiorè pro-
 positionem: deinde minorem addo: Christum nõ docuis-
 se uota ista uirginitatis, neq; prohibuisse dicatis Deo ma-
 trimonium contrahere. Vnde conficitur uota huius ge-
 neris esse detestanda. Ita scribit Ambrosius. Nos enim no-
 ua omnia, quæ Christus non docuit, iure dānamus. Quia
 fidelibus uia Christus est. Si igitur Christus non docuit,
 quod docemus, etiam nos id detestabile iudicamus, &c.
 Possem ex hoc authore multò plura decerpere: sed ne
 sim nimius ad Hieronymum uenio. Is maximè omnium ex Hieronymo.
 Patribus nobis aduersatur. Idcirco paulò accuratius de
 illo agam. Atq; primùm ea commemorabo quæ pro no-
 stra causa dicit: postea non tacebo, ut illi aduersetur. Pri-
 mùm in epistola ad Demetriadem (de illa loquor quæ
 Hieronymi est citra ullam cōtrouersiam: nam altera po-
 sterior habetur, quæ nomine Hieronymi circumfertur,
 ob quam inter ipsum & Augustinū dissidium ortum est,
 quæ re uera non fuit à Hieronymo cōscripta. Docta quæ-
 dem est, & elegans, uerùm Pelagiano dogmati pluri-
 mùm fauet: unde illam nonnulli Iuliani Pelagiani fuisse
 putant) in ea inquam epistola ad Demetriadem, quæ om-
 nino Hieronymi est, habetur, familiam caelestem & ange-
 lorum, à quibusdam, qui non bene se gerant dehonestari:
 quibus iubet, ut apertè dicatur, uel ut nubāt, si non pos-
 sunt cōtinere, uel si nubere nolunt: ut contineant. Disce

dit ergo in eandem sententiam cum Cypriano, Epiphano, & Basilio. Nec iuuat, ut nonnulli excusare conantur, dicere ista prolata esse non de sacris uirginibus, sed de quibusuis alijs, quæ nondum uiris essent collocatæ. Quia nemo de honestat aliquæ ordinem, nisi fuerit in illū ascriptus. Nullus turpi uita infamasset Apostolos nisi inter eos fuisset annumeratus. Ut scolastici etiā non infamantur aliquorum turpi uita, nisi & ipsi scolastici fuerint. Et scribendo ad Demetriadem iam Deo consecratam, illas cōmemorat, quæ susceperāt eādē professionem. Erasmi quoq; parū ualet excusatio, quæ dicitur Hieronym. fortasse de nō uelatis loqui: quoniā siue ab episcopo uelum accepissent, siue non, modò professio aut uotum intercessisset, nostræ causæ satis fauet Hieronym. qui eis mādāt ut nisi contineāt nubant. Id aut nō est prætereunū, quosdam hic dicere, Virginū ita consecratarū matrimonia minimè fuisse antiquitus rescissa, licet reprehēderentur. Notādum quoq; Hieronym. propositi, nempe uirginis tatis mētione facere: cuius hæc uerba sunt. Sanctū uirginum propositū, & celestis angelorū q; familiæ gloriā quarundam nō bene se agentū nomen infamat. Quibus aperte dicendum est ut aut nubāt, si se nō possunt continere: aut cōtineant, si nolunt nubere. In epistola ad Occanum interpretatur illa uerba, Vnius uxoris uir, ut Chrysostomus, de ijs qui ueniētes ex Iudæis plures uxores habuissent, atq; hos ait, Apostolum noluisse ad episcopatū promoueri. Adducit quidē & alias interpretationes, uerum istam nō confutat. Atq; hæc eius uerba sunt. Prima Christi Ecclesia de Israel reliquijs cōgregabatur. Sciebat lege concessum, & exemplo patri archabarū, ac Moysi familiari populo nouerat in multis uxorib. liberq; spergere. Ipsi quoq; sacerdotib. huius licentiæ patebat arbitrium

trium. Præcepit ergo ne eandem licentiam Ecclesiæ sibi uendicent sacerdotes: ne bina pariter & trina coniugia sortiuntur, sed ut singulas uno tempore uxores habeant. Et cōtra Iouinianum lib. 1. Samuelem ait nō præiudicasse quicquid uirginitati, quāuis uxore duxerit, & procreauerit liberos, dum in tabernaculo uersaretur, & domino quotidie ministraret. Quasi, ait, nō multi hodie mariti asciscantur in episcopos: & Paulus nō dixerit unius uxoris episcopū esse debere. Sic autē scribit: Samuel nutritus in tabernaculo duxit uxorem: quid hoc ad præiudicium uirginitatis? quasi nō hodie quoque plurimi sacerdotes habeant matrimonia, & Apostolus episcopū describat unius uxoris uirū habentē filios cū omni castitate. Ostendunt hæc, illius ætate maritos frequenter electos fuisse ministros Ecclesiæ. Quærit præterea quī fieret, ut sæpius in electionib. episcoporum præteriretur uirgines & cælibes, ac mariti eligerentur. Et ad hoc uariè multipliciterque respondet. Primò ait, non tot reperiri uirgines, quot Ecclesiarum episcopi ac ministri quotidie requiruntur. Deinde inquit, uirgines cæteris uirtutib. nō esse interdū pares maritis. Nam episcopū non solum oportet castum esse, sed etiam eruditum, aptū ad docendū, non uinolentū, nō percussorem, quiq; bene suæ familiæ præsit. Per multi autē reperiantur cælibes ac uirgines, qui uirtutib. eiusmodi episcopo necessarijs nō sint præditi. Ad hæc, inquit, uulgus in ijs electionib. frequenter errat: neq; meliores aut magis idoneos eligit: cūq; in populo maior pars cōiugata sit, uolunt potius aliquē sui ordinis habere, q̄ uirginē aut cælibē. Verba hæc sunt: Eliguntur mariti in sacerdotium, non nego: quia non sunt tanti uirgines, quanti necessarijsunt sacerdotes. Nunquid quia in exercitu fortissimus quisq; eligendus est, idcirco nō assumuntur & uirgines, cū omnes fortes esse non possint? Si exerci-

tus uiribus tantum constaret, & non etiam numero militum, abijcerentur imbecilliores. Nunc & secundarum, & tertiarum uirium gradus assumitur, ut turba & numero exercitus compleatur. Et quomodo, inquires, frequenter in ordinatione sacerdotali uirgo negligitur, & maritus assumitur? Quia forte cetera opera non habet uirginitati congruentia: aut uirgo putatur, & non est, aut est uirginitas infamis: aut certe ipsa uirginitas parit ei superbiam, & dum sibi applaudit de sola corporis castitate, uirtutes ceteras negligit. Non sicut pauperes, pecunie cupidior est. Euenit interdum ut tristior uultus adductum supercilium, incessus pompae ferulis similis offendat populum: & quia nihil habet, quod reprehendat in uita, habitum solum oderit, & incessum. Multi eliguntur non amore sui sed alterius odio. In plerisque suffragium meretur sola simplicitas, & alterius prudentia & calliditati quasi malitiae opponuntur. Nonnunquam errat plebis, uulgiq; iudicium, & in sacerdotibus comprobatis, unusquisq; suis moribus fauet: ut non tam bonum, quam sui similem querat praepositum. Euenit aliquoties ut mariti, quae pars maior in populo est, maritis quasi sibi applaudant, & in eo se arbitrentur minores non esse uirginibus, si maritum uirgini praefereant. Quae uerba liquido monstrant, illa tempestate Ecclesias maritos episcopos non detrectasse, imo sibi tales ut plurimum expetuisse. In ijs, quae hucusq; recitauimus, nobis Hieronymus non aduersatur. Sed contra Iouinianum semper nobis obijcitur. Idcirco aliquanto prolixius de illis eius libris agam. Et primum id testor, Hieronymum, licet clericis, hoc est, ministris Ecclesiae matrimonium adimat, id tamen iure diuino, sacrarum, inquam, literarum testimonijs non asserit, aerum quadam potius congruitate persuadet. Et in summa

summa obseruauit hęc in eius libris. Primum, cum nu-
 ptijs propemodum omnibus ualdè fuisse iniquum. Secun-
 dò, testimonia scripturarum admodum perperam ab eo
 in suam sententiam trahi. Postremò neque suis amicis eū
 in illo scripto satisfecisse, uerum non leuiter esse pericli-
 tatum. Primum facile est uidere, quando matrimonium
 cum folijs & radice arboris, uirginitatem autè cum po-
 mis: & rursus matrimonium cum stipula & culmo, uir-
 ginitatem cō tritico & bonis granis componit. Nam ista
 solent asseruari, & in horreo condita uerò pereunt,
 aut comburuntur. Certè non tanta est inter uirgines &
 conuugatos distantia, ut ij abijciantur aut comburantur,
 alij uerò in caelesti regno seruentur. Verba autem eius
 hęc sunt: Num arboris aut segetis contumelia est, si ra-
 dici & folijs, culmo & aristis poma praferantur & fru-
 ctus? Vt poma ex arbore, frumentum è stipula, ita uirgi-
 nitas è nuptijs. Scribi prætereà, Oro te, quale illud bonū
 est, quod orare prohibet, quod corpus Christi accipere
 non permittit? Quandiu impleo officium mariti, non
 impleo Christiani. Quid hinc aliud colligas, quàm con-
 iugatorū preces non audiri, eisq; ad communionem cor-
 poris Christi aditum non patere, neq; uerè Christianos
 haberi posse, qui maritorum officium implere non de-
 serint. Inquit etiam, qui uxorem non habens credidit,
 & liber à coniugij seruitute uocatus est à Domino, ille
 est uerè seruus Christi. Quanta felicitas est, non uxo-
 ris seruum esse, sed Christi: non carne seruire, sed spiritus
 Ista sic dicuntur, quasi qui coniugatus est, uerè seruus
 Christi esse non possit, & sit infelicissimus, quem uxo-
 ri seruire oporteat, ita ut non possit unus atq; idem uxo-
 ri & Christo, quasi contrarijs dominis obsequi. Quibus
 ad hęc, inquit, in baptismo mortuus est Pharaō, &

uniuersus eius suffocatus exercitus, cur Aegyptum rur-
sus querimus? & post manna angelorū cibum, cepe, al-
lia, pepones & carnes uarias suspiramus? His uerbis quic-
quid ad Christum pertinet, ad uirginitatē seu continen-
tiam ab uxoribus detorsit. Item Moses cum uidisset uisio-
nem magnam & angelum siue dominum loquentem in
rubo, nequaquam ualuit ad illum accedere, nisi soluisset
corrigiam calceamenti sui, & abieciisset uincula nuptia-
rum. Igitur in scripturis ubicunq; uocem soluendi reper-
ris, ea erit ad nuptiarum dissolutionem referenda. De se-
cundis autem nuptijs, quas Apostolus utiq; probauit, sic
scribit: Melius est alterum & tertiū uirum nosse, quā
plurimos, id est, ut ipse ait, tolerabilius est uni hominum
prostitutam esse, quā multis. Prostibulum igitur secun-
das nuptias uocat, nec eas meretricijs amoribus melio-
res esse iudicat. Et quod est grauius, addit: Simul consi-
dera quōd quæ duos habuit uiros, etiam si anus est, &
decrepita, & egens, Ecclesie stipem non meretur accipe-
re. Si autem panis ille tollitur eleemosynæ, quanto magis
ille panis, qui de cælo descendit, quem qui indignè man-
ducauerit, reus est uiolati corporis & sanguinis Christi.
Nōne ijs uerbis docet, illos, qui nuptias iterarunt sacri
corporis Domini participatione indignos existimari?
Scripsit quoque, Christus cum semel uenerit ad nuptias,
semel docuit esse nubendum. Hæc sanè omnia secunda-
rum nuptiarum apertissima conuicia sunt. Neque Ter-
tullianus grauiora dixisset pro sua monogamia, quem
tamen Ecclesia ea de re damnauit. Atque cum ista dix-
erit Hieronymus contra secundas nuptias, quid sani ab eo
de ministrorum Ecclesie nuptijs expectabimus? præfer-
tim cum etiam de nuptijs in uniuersum adeò clarè pro-
betur non bene sensisse. At quomodo scripturas frequen-
ter

ter adduxerit perperam, & ea non raro huc citauerit, quæ ad præsens negotium minimè spectant, iam dicendum est. Tractans locum illum Apostoli, Bonum est homini mulierem non tangere, infert, ergo malum est tangere. Nihil enim bono contrarium est, nisi malum. Si autem malum est & ignoscitur, ideò conceditur, ne malo quid deterius fiat. Et ex eo quòd Paulus inquit, Bonum est homini sic esse, ille infert, ergo malum est homini non sic esse. Hoc utique genus argumentationis æquiuocatione peccat. Cum enim docuisset Paulus ob præsentem necessitatem, & molestias, quæ coniugio sunt annexæ. Bonum esse homini mulierem non tangere, quasi diceret, utile, commodum, ac magis expeditum esse, hinc ille à contrarijs concludit: malum esse mulierem tangere: atque malum intelligit, non minus expeditum, incommodum, aut inutile, sed utiosum & peccatum: quo sensu malum non est contrarium illi bono, de quo anteccedens intelligendum est. Et certè argumentatio à contrarijs, non quoad genus est ualida, sed cum iuxta proprias differentias deducitur. Non enim licet ita colligere, Calor est qualitas, ergo frigus non est qualitas, cum utraque ista forma in eodem genere pulchre consentiat. Neque licet argumentari, filius est robustus, ergo pater non est robustus: fieri enim potest, ut pater & filius eodem accidente, seu qualitate communicent. Ita debuit Hieronym. cõcludere, igitur mulierem tangere, aut non sic esse incommo- dum est, inutile, aut minus expeditum. At cū perperam colligat, merito eius argumentatio repudiatur. Neq; illud prætereundum est, quod mox adiicit. Nunq̃ subiecisset Paulus, Vnusquisq; uxorem suam habeat, nisi præmisisset, propter fornicationem. Tolle fornicationem & nõ dicet, Vnusquisq; uxorem suam

habeat. Hic uidetur Christianis omnes alias matrimonij
 contrahendi causas adimere, præter unicam scortationē:
 cum tamen aliqui possint uxores ducere ob filiorum
 procreationem, uel ob alia uitæ auxilia. Et mox ha-
 bet: Omnis hæc quæstio est de his qui in matrimonio
 sunt deprehensi, an eis liceat uxorem dimittere. Non ita
 sunt hæc Apostoli uerba cōtrahenda, quasi & qui Chri-
 stiani sunt, nō possint inire matrimoniū. Facito, Paulū de
 illis fuisse interrogatum: attamen respondendo amplifi-
 cat doctrinam, & unā cum illis omnes alios comprehē-
 dit, qui eodem remedio opus habuerint. Ad prætercā, Me-
 lius est nubere, quā uiri, sic accipit. Ideō inquit melius
 est nubere, quia peius est uri. Tolle ardorem libidi-
 nis, & non dicet, Melius est nubere: melius enim semper
 ad comparationem deterioris respicit, non ad simplici-
 tatem incomparabilis per se boni. Velut si diceret, me-
 lius est unum oculum habere, quā nullum: melius est
 uno pede niti, & alteram partem corporis baculo su-
 stentare, quā fractis cruribus repere. Et mox ad Apo-
 stolum apostrophē faciens, sic dicit: Si per se nuptiæ
 sunt bonæ, noli illas incendio comparare, sed dic simpli-
 citer, bonum est nubere. Suspecta mihi est bonitas eius
 rei, quā magnitudo alterius mali malum esse inferius
 cogit. Ego autem non leuius malum, sed simpliciter per
 se bonum uolo. Ita ex eo, quōd Paulus dicit, Melius est nu-
 bere, quā uiri, nuptias concludit esse malas. Rursus ex-
 ponens hæc uerba Petri: Similiter uiri cohabitantes iu-
 xta scientiam, quasi infirmiori uasculo muliebri tribuen-
 tes honorem, & c. Si abstinemus nos, inquit, à coitu ho-
 norem tribuimus uxoribus: si non abstinemus, per spi-
 ritum est, honori contrariam esse contumeliam. Quis in-
 terpretationem hanc non uideat, longissimè alienam es-
 se à

se à sensu natiuo? Sequitur illud Pauli: Si quis considerans uirginem suam lasciuire, &c. Id sic exponit: Si quis considerat, inquit, uirginem suam, id est, carnem suam lasciuire, & ebullire in libidine, nec refranare se potest, duplexq; illi incumbit necessitas, aut accipiendæ coniugis, aut ruendi, quod uult faciat: non peccat, si nubat. Faciat, inquit, non quod uult, sed quod debet. Non peccat, si ducit uxorem, nõ tamen bene facit. Primum uerba Pauli non rectè interpretatur, ea transferendo ad propriam cuiusq; carnem: cum Paulus de illo agat, qui filiam aut aliam in sua potestate puellam nubilè habeat, qua iam nubendi ætatem excesserit. Et mirum est quomodo addat, cum non bene facere, si marito collocarit, cum Apostolus longè secus pronũtiat: disertis enim uerbis scribit, cum qui matrimonio illam cõiungit, bene facere. Quod itaque ille dicit, iste negat. Salomonemq; in Prouerbijs capite 29. dicentem: Stillicidia hominem eijcere de propria domo, sic exponit: Vxor assiduis negotijs, & quotidiana garrulitate facit perpluere domum eius, & eijcit eum de ædibus suis, id est, de Ecclesia: perinde atq; in Ecclesia Dei non possit esse, qui uxorem maledicam, garrulam, aut iurgiosam domi habeat. Adducens etiam id, quod ad Romanos scribitur: Quem ergo fructum habuistis in illis, in quibus nunc erubescitis: nam finis illorũ mors est. Nunc autem liberati à peccato, serui autem facti Deo fructum habetis in sanctificationem, finem uerò uitam æternam, &c. Puto, inquit, quod & nuptiarum finis mors sit: fructus autem sanctificationis, qui uel ad uirginitatem, uel ad continentiam pertinet, uita pensetur æterna. Quod Paulus de peccatis generatim dixit, ille ad nuptias detorquet: atque hæc sententia non modò nuptias damnat, sed & coniugatos ad desperationem serè

adigit. Et hæc uerba. Itaq; fratres mei, & uos mortifica-
 ti estis legi per corpus Christi, ut sitis alterius, qui ex
 mortuis resurrexit, ut ex mortuis fructificemus Deo.
 Cū enim essemus in carne, passionēs peccatorū, quæ sunt
 per legē, operabātur in membris nostris ut fructificarent
 morti. Hæc, inquam, uerba ad coniugiū & nuptias tra-
 hit, quemadmodum alia etiam hæc testimonia: Infelix e-
 go homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Nil
 est dānationis ijs, qui sunt in Christo Iesu, qui nō secundū
 carnē ambulāt. Qui secundū carnē sunt, quæ carnis sunt
 sapiūt. Prudētia carnis mors est, & inimicitia aduersus
 Deū: legi enim Dei nō subijcit, nec potest. Qui in carne
 sunt, Deo placere nō possunt. Quid hæc, obsecro, uel ad
 cōiugia, uel ad uirginitatē faciunt? Nō sanē magis, q̄ hæc
 alia, quæ tamē huc torquet: Fratres debitores sumus non
 carni, ut secundum carnē uiuamus. Si enim secundū car-
 nē uixeritis, moriemini: si autē spiritu facta carnis morti-
 ficaueritis, uiuetis. Quicumq; enim spiritu Dei aguntur,
 hi sunt filij Dei. Hæc interpretās Hieronymus ait: Si pru-
 dētia carnis inimicitia est in Deū, & qui in carne sunt
 Deo placere nō possunt, arbitror, eos, qui seruiūt officio
 cōiugali, quōd prudentiā carnis diligāt, & in carne sint:
 à qua nos reuocās Apostolus inquit, Obsecro uos per mi-
 sericordiā Dei, ut exhibeatis corpora uestra hostiam ui-
 uam, sanctam, Deo placentē, rationabilē cultum uestrū,
 ut probetis quæ sit uoluntas Dei bona, beneplacens, &
 perfectæ. Dico enim per gratiā, quæ data est mihi, omni-
 bus qui sunt inter uos, non sapere plusq̄ oportet sapere,
 sed sapere ad pudicitiam. Non ad sobrietatē inquit Hie-
 ronimus, ut in codicib. latinis legitur, sed sapere ad pudī-
 citiam: siquidem Græcè scriptum est *ἡσυχία ἐστὶν τὸ σω-
 φρονεῖν*. Præterq̄ quōd totum hunc locū de Christianorū
 uite

uita informatione ac renouatione post susceptū Baptis-
 mum in genere à Paulo dictum, quasi peculiariter ad uir-
 ginitatē & continentiam pertinentem introducit, illud
 est obseruatu dignum, quòd Græcam uocem non sobrie-
 tatem, sed pudicitiam significare contendit, & Latino-
 rum codicum in eo lectionem reprehendit: cum tamen cõ-
 stet, eã uocẽ magis propriẽ sobrietatẽ significare, quã
 pudicitiam, & eam à bonis scriptorib. usitatus & fre-
 quẽtius pro sobrietate poni. Illud etiã quod ad Corinth.,
 habetur epistola priori: Ego fratres non potui loqui no-
 bis ut spiritualib. sed sicut carnalibus, sicut paruulis in
 Christo: lac enim potum uobis dedi, non escã, nõdum e-
 nim poteratis: sed nec nunc potestis: adhuc enim carna-
 les estis, illud, inquam, ita explicat: Qui animalis est, &
 non recipit ea quæ sunt spiritus Dei, iste nõ perfectæ ca-
 sitatis cibo, sed rudi nuptiarum lacte nutritur. Nec non
 eã sententiã, Ex operib. legis nõ iustificabitur omnis ca-
 ro, tractando ait: Opera legis & nuptiæ sunt: unde ma-
 ledicuntur in ea, qui non habẽt filios: quæ tamẽ cõcedun-
 tur etiã in Euangelio. Sed aliud est indulgentiã infirmi-
 tati tribuere, aliud uirtutib. præmia polliceri. Dicam e-
 go, inquit, nuptiatorib. meis, sic insipientes estis, ut cum
 spiritu cœperitis, carne consummemini? Hæc sanè uerba
 manifestam nuptijs contumeliam faciunt: quas etiam ue-
 hementer lædit, cum inquit: Omne perfectum do-
 num descendit de sursum, ubi non sunt nuptiæ. Igi-
 tur uidetur inferre, nuptias donum Dei, aut donum
 de sursum non esse. Quod ut Paulo aduersetur, illa
 uerba testantur: Velim omnes esse sicut ego sum: Sed
 quisque donum poprium habet à Deo: alius quidem sic,
 alius uerò sic. Quibus uerbis apertè docet, matri-
 monium quoque donum Dei esse. Quod postea à ui-

dens Hieronymus in epistola ad Pammachium, scripsit, se etiam non inficiari, nuptias donum esse Dei. Sed quale donū illas fingat, ex eo demonstrat, quòd locum ex epistola posteriori ad Corinth. adducit, ubi de incesto resipiscente scribit Paulus: donate ei, & consolamini: & si cui quid donatis, & ego. Et ne putaremus, inquit, donū hominis contemnendum, addidit: Nam & ego, si quid donauui, donauui propter uos coram Christo. Vult igitur in summa discrimen esse inter donum & donum. Et uirginitatem putat donum, quòd habeat mercedem, & premia: nuptias uerò, quòd habeant à Deo condonationem: quasi Deus ad id quod ibi uitiosum & turpe est conueniat. At hoc modo per multa peccatorum genera possent dici Dei dona. Possent & alia innumera loca scripturarum colligi ex illis libris contra Iovinianum, que uiolenter ad uirginitatem & nuptias detorquentur. sed si omnia uelim adducere, non parū suscipiam laboris, & lectoribus fortassis ero molestus. Proinde his paucis ero contentus: qui libros eos diligenter euoluet, per se ipsum multò plura & longè absurdiora deprehendet. Mòdò superest, ut explicem tertium: nempe Hieronymum neque suis amicis ijs libris satisfecisse. Pammachius cum uideret hoc scripti genere multos offendi posse, uoluit libros omnino suppressere: at id illi non successit. Vox enim emissa nescit reuerti. Quod itaque supererat, cum essent euulgati, scripsit ad Hieronymum, ut uel emendaret, uel explicando leniret: alioqui illum in aperto uersari discrimine. Scripsit ergo ille apologiam: sed uoluit uideri defendere, quod scripserat: cum tamen artificio rhetorico mitiget multa, & excuset uarijs modis. Principiò quidem in hac apologia non comparat amplius nuptias cum uirginitate, ut malum cum bono, sed

ut minus bonum cum maiori. Deinde ait, scribēdi esse di-
 uersa genera. Scribimus, inquit, aliquādo ut doceamus,
 nonnunquam ut aduersarios refellamus. Et aliud ait, esse
 docere discipulum, aliud aduersarium confutare. Nam
 in pugnando præ calore certaminis, multa interdū ex-
 cidunt, quæ ad amussim solidæ ueritatis non sint dire-
 cta: loquimurq; pugnantes non semper quod sentiunt,
 sed interdum quod necesse est dicere, ut causæ inserui-
 ant. Postea rhetoricatur, quasi excusatione huiusmodi
 non opus habeat. Hæc, inquit, dicerem si uincendi studio
 quippiam contra regulam scripturarum loquutus essem.
 Atque ita id se facere dissimulat, quod maxime facit. Ro-
 gat præterea ut à quouis arguatur, ubi suo sensu scribit,
 & quodammodo agit dogmatisten. At ubi commentato-
 ris officio fungitur, se non reprehendendum existimat,
 quandoquidem id tantum scribat, quod scripturas, quas
 interpretatur, existimat significare. Atq; ita nō sibi uult
 imputari quæ habet, sed scripturis, quæ talem intelligen-
 tiam offerant. Hoc autem quàm pie fiat, alij iudicent:
 ego quod ad me attinet, ut meam causam releuarem, nol-
 lem in diuinas literas culpam quamuis minimam trans-
 ferre. Ambrosium deinde, Victorinum, Tertullianum,
 & plerosq; antiquiores Patres eadem secum dixisse cō-
 tendit: quasi falsa dogmata hoc nomine possint excusa-
 ri, quod cum alijs errauerimus. Quamuis dicere ausim
 ex ueteribus, quos adducit, nullum fuisse, Tertulliano ex-
 cepto, qui ea de causa damnatus est, à quo tanta contu-
 melia nuptiæ sint affectæ, quanta à Hieronymo. Sed il-
 lud est grauius, nec ferri potest, quod Paulum ait, ad Ro-
 manos, ad Galatas, & ad Ephesios præ certaminis stu-
 dio testimonia quedam de ueteri Testamento sumpsisse,
 quæ aliter in suis locis, aliter in ipsius epistolis sonent.

Videmus, inquit, exempla captiuæ, quæ Apostolo ad uictoriam seruiant, & in suis locis non dimicent. Quid hoc quaeso, aliud est, quàm Apostoli auctoritatem cõuellere? Sed hîc statui modum facere, ne uidear plus æquo Hieronymum insectari, quem alioqui ut eruditum & sanctum uirũ suspicio: neq; ista ideo attuli, ut de illius donis quicq; detrahám, sed ut ostendam non esse mirum, si cõiugia matristris Ecclesiæ quandoq; adimat, cum de nuptijs tam parum sanè iudicauerit, utq; istos libros contra Iouinianũ, cum sepè obijciantur, oēs intelligant, quo loco sint habendi. Nec ego primus hæc in Hieronymo sugillauit: sed Erasmus alioqui eius maximus admirator notauit. Quòd si aduersarij nostri libris ijs tantum fidei censent adhibendum, cur ei nõ credunt, quando in secundo libro esum carniũ, & uini potũ propemodũ omnib; sinceris & pijs Christianis adimũt? Cur etiã illi nõ parent, quando in epistola ad Nepotianum scribit, clericis non licere diuitias, opesũe ullas possidere? nõ aurum, non argentum non amplam suppellectilem? Certè hodie nostri episcopi atq; sacrifici comedunt affatim carnes, bibunt pretiosissima uina, sunt ditissimi, ac ceu satrapæ auro gemmisq; fulgent, ac supellectili propemodũ regia sunt instructi. Quòd si putãt sibi licere in ijs auctoritatem illius repudiare, nobis etiã concedãt, ut de nuptijs clericorũ illum non sequamur. Contra Heluidiũ quoq; & in epistola ad Gerontiam de monogamia similiter scripsit, & nuptijs atq; cõiugatis ualde fuit iniquus. Verũ de illo iam satis: unde ad Augustin. ueniendũ censeo. Multa sanè ille habet: sed ut ordine quodam agatur, primũ ostendã, quæ de uotis Christianis in genere scripserit: Secundo quidnã tradiderit de uotis huiusmodi, nimirum uirginitatis, aut celibatus, postremo uerò loco adijciã quæ scripserit de matrimonijs.

Augustin.

matrimonij, quæ sequuntur ista uota. Et quo ad primū in Psal. 75. scribēs, Vota Christianorū sic partitur, ut quædam faciat omnib. cōmunia, nonnulla uerò priuata. Cōmunia sunt fides, spes, innocētia uitæ, ut non occidamus, nō furemur, atq; cōsimilia. Priuata sunt ut propositū castitatis, ieiunia, destinatio propriæ domus ad hospitalitatem. In octogesimū uerò primū Psalmū inquit, nos id propriè debere uouere Deo, ut simus eius templū, neq; posse quippiā gratius ei fieri, q̄ si dixerimus cū Esaiā, Posside nos. Homilia deinde tertia in festo Natiuitatis quædam uota numerat inania & parui ponderis: Vt cū Deo nonnulli uouēt oleū, cereos, ieiuniū, uel aliquid huiusmodi: & percunctatur, quodnā sit uotū Deo acceptissimū: atq; respondet, illud esse optimū, atq; præstantissimū, quo illi uouemus id, quod ipse redemit, nempe nos ipsos, & animos nostros. Et de hac eadē re agens ad Armentarium Ripariū, inquit, Deo seipsum debet homo, eiq; reddendus est, ut beatus sit, à quo accepit, ut sit. Deinde sententiam hanc ex eo probat, quòd iusserit Dominus reddi Deo, quæ sunt Dei, ut Cæsari quæ sunt eius reddēda sūt. Moneta eò debuit reddi Cæsari, quia eius imaginem habuit: & quisq; nostrū, cū ad imaginē Dei factus sit, illā Deo restituat oportet. Quanto magis inquit Augustin. imago reddenda est, cum promittitur? cum etiā nō promissa illi debeat? Idem in Psal. 115. illud exponens, Vota mea Domino reddam, Quæ uota, inquit, redditurus es? quas uouisti uictimas? quæ incensa? An illud respicis, quod paulò ante dixisti, Calicem salutaris accipiam, & nomē Domini inuocabo? Et per calicem salutis intelligit fortem aduersorum pro nomine Domini tolerantiam. Iste calix est, de quo Christus Apostolos interrogabat, dicens: Potestis calicem bibere, quem ego libiturus

sum? addit & sacrificium laudis, quod inuocando nomen Domini offerimus: hæc uota sunt Christianissimi. Præterea in Psal. 55. exponens hæc uerba, In me sunt uota mea quæ reddam laudes tibi, inquit, Vouete & reddite Domino Deo uestro. Quid uoueatis? quid reddatis? An fortè animalia illa quæ offerebântur ad aras aliquando? Nihil tale offeras: in te est, quod uoueas & reddas. De cordis arca profer laudis incensum: de altario bonæ conscientie profer sacrificium fidei: quicquid profers, accende charitate. Nec diuersa scripsit in Psal. 50. In me sunt uota mea, quæ reddam laudis tibi, noli, inquit, extrinsecus, quod mactes, pecus requirere. Habes in te quod occidas, sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, &c. Hæc omnia quæ Augustinus de uotis Christianorû in uniuersum scribit, pia quidem sunt, attamè si quis de uoto propriè loquatur, non possunt recipi. Omnes enim qui de uotis aliquid statuunt, uolunt ea tantùm nuncupanda ijs de rebus, quæ alioqui non sint debite. At omnia quæ Augustinus commemorauit præceptis diuinis comprehenduntur. Quis enim est, cui non sit mādatum, ut Deo credat? illi fidat? & ex charitate agat? Omnes prætereà seipsos, & quicquid sunt, ac possunt Deo debent offerre, mortificatio quoque affectuum carnalium, & gratiarum actio, & inuocatio nominis diuini iussu Dei omnibus est præcepta. Quamobrem uota ista quæ sic ab Augustino prædicantur, ut omnibus Christianis communia, si propriè loquamur, uota non sunt, uerùm animi firma proposita & sancta decreta possunt appellari. Secūdo loco scribit de uirginitatis aut calibatus uoto. Illud autem, ut anima duerto, triplex ab eo commemoratur. Nam uel est uirginum, hoc est, illarum quæ nondum matrimonium contraxerunt, uel est coniugum, qui mutuo

mutuo consensu uouerint continentiam, uel uiduorum,
 quæ post coniugis obitum ex uoto nuptias non repe te-
 re destinarint. Hæc omnia uotorum genera uult Augusti-
 nus & firma & ualida esse, ita ut grauissimè peccem,
 qui post ea nuncupata, matrimonia contraxerint: ita ut
 in libro primo de adulterinis coniugijs ad Pollentium ca-
 pite 24. affirmet eum, qui uouerit aut uirginitatem, aut
 continentiam, non debere uxorem ducere, quamuis, cum
 sit infidelis, ad Christum se promittat accessuram: quia
 non sunt unquam mala committenda, ut bona eueniant.
 Et idem Pater in Psal. 83. de sanctimoniali pronuntiat, si
 nupsit, Christi adultera reputabitur. Et in libro de Bo-
 no uiduitatis, ait, lapsus huiusmodi esse grauiores adulte-
 rijs. Vnde in epistola ad Armentarium Riparium, adhor-
 tatur illum uirum multis modis, ut continentiam, quam
 unà cum uxore uouerat, præstet: & inter cætera inquit:
 lam uouisti, iam te obstrinxisti, aliter facere non licet.
 Neue propterea ademptam libertatem quoquo modo te-
 staretur, addit: Non est gratulanda libertas, qua fit ut nõ
 debeat, quod cum lucro reddatur. Atq; subiungit, fe-
 lix necessitas, quæ ad meliora cõpellit. Ista uir Dei scri-
 bit, ut homo deceptus: nam, ut de postremis ijs sententijs,
 quod est, dicam, necessitas ista frequentissimè non ad me-
 liora, sed ad foedissima compellit. Neque necessitas est,
 quam nobis ipse Deus immittat, sed quam homines te-
 mere sibi accersant. Et libertas quam Deus hominib. cõ-
 cessit non est abiicienda. Illud etiam non omittam, Augu-
 stinum arbitratum esse, uiduas illas de quibus Paulus in
 epistola priori ad Timotheum agit, quæ cum lasciue-
 runt in Christũ & nubere uelint, damnationem habet,
 continentiam uouisse. Quæ interpretatio ut non sit ne-
 cessaria superius luculenter ostendi. Credit etiã ut in li-

bro de sancta uirginitate circa initiū testatur, Beatam Mariam Domini matrē uirginitatem uouisse, atq; illa de causa dixisse, Quomodo fiet istud, quoniā uirum non cognosco? Istud, uerō q̄ sit absurdum facile oēs intelligunt. Primū ea etate inter Iudeos ea uota non fuerunt: deinde matrimonium iam contraxerat: post illud contractum continentiam ei uouere nō licuit. Et antea si uouisset, nō potuisset iure ullo cōtrahere, nisi uoluisset in tanta re ludere, ac sancta promissione sui corporis uiro potestātē facere, quē postea nollet ad congressum admittere. Longē maioris fuisse candoris matrē Domini credimus, quā ut uoluerit quippiā sanctē promississe, quod in animo non haberet re uera præstare. Quæ hactenus allata sunt ex Augustino, salua eius dignitate ac reuerentia, ut sepius antea demonstrauimus, sacris literis non consentiunt. Ideo cū ad illam normam examinata non consistant, à nobis iure non recipiuntur. Illud tamen cause nostræ haud parum inseruit, quòd in lib. de Sancta uirginitate ca. 40. & 41. scribit, dum Pauli sententiā adducit: Velim omnes esse, sicut ego sum: sed quisq; propriū donū habet, alius quidē sic, alius uero sic: Quis ergo, inquit, donat ista? Quis distribuit propria unicuiq; sicut uult? Nempe Deus, apud quem non est iniquitas: ac per hoc qua ille equitate faciat alios sic, & alios sic, homini nosse aut impossibile, aut planē difficile est. His uerbis ostēdit, castitatis & matrimonij donū Deum cuiq; distribuere, ut ipse uult, nō ut ipsi uolumus. Quod, si credamus aduersarijs, est falsum & detestabile. Nā illi sentiunt, donū castitatis aut cælibatus esse omnib. cōmune, quasi habeant ipsum quicumq; uolunt, modò petant, & Deū pro illo obtinendo precētur. Facillima esset ista causa, & nullo negotio cognosci posset, cur alios Deus sic, alios sic faciat. Id autē Augustini abstrusum

abstrusum facit, & impossibile, aut omnino difficile cognitu. Sed nunc ad tertium ueniamus, nimirum quid iste Pater censerit de matrimonijs, quae post ista uota contrahuntur. Primum ille ab ipsis oēs pios absterret, hortaturque illos quouerūt, ne se matrimonio implicēt: quin & contractus huiusmodi pro grauib. habet peccatis. Illa tamen coniugia si consequatur, firma & rata uult esse, nec rescindenda ullo modo existimat. Qua de re scribit 8. 9. 10. ca. libri de Bono uiduitatis. Alios quidem ait, aliter sensisse, nempe qui uoluerint haec non esse matrimonia, sed adulteria: quos ille ait, acutē quidem, sed non consideratē dicere. Hoc ab illis ait, spectari: oēs qui non inire matrimonium pietatis ergo statuerint, illico maritum habere Christum. Cumque uiuente coniuge aliud matrimonium contrahi non possit, ita eos colligere: Christus amplius non moritur, & mors illi ultra non dominabitur: ergo post uotum, quo ille factus est uir uuentium, si nouae nuptiae superinducantur, non sunt legitimae, sed pro adulterijs habebuntur: cum Christus qui erat sponsus adhuc superstes sit. Hoc, inquit, si daretur, conuincere mus facile re absurdissimam, nempe Christum esse adulterum. Quod ut blasphemum est, ita nullo modo est admittendum. Res autem ita explicatur: Si pia mulier uiro coniuncta marito assentiente uoueat continentiam, iam tum ex istorum sententia cum Christo matrimonium inuit, idque facit adhuc priore uiuo marito: ergo Christus iniuria, & quidem non uulgari afficietur, ut dicatur adulter, si uera sit istorum ratio. Deinde nemo ignorat, omnium consensu posteriores nuptias dignitate prioribus cedere: semper enim priores magis laudantur & commendantur. At si uotum in ipso matrimonio nuncupatum, aut altero coniuge mortuo, nouum est cum Christo coniugium, efficietur indignior em esse coniunctio nem cum Christo, quam cum defuncto marito. Verum id

ex eo inquit cōsequitur, quod isti nō uident, uxores etiā cum suis uiris in matrimonio sunt cōiunctæ maritū habere Christū non quidem carnalem, sed spiritualem. Nam spirituali cōiunctione uir est Ecclesiæ, atq; per illam omnium eius membrorū. Quiq; sic de istis cōiugijs opinantur, quæ uota cōsequuntur, ut illa putent adulteria, non sinunt ea coalescere, sed rescindūt. Vnde cū alter ex cōiugibus comparem sibi uidet ereptam, matrimoniū rursus contrahit: atq; cū id priore uiuēte uxore faciat, uerū cōmittit adulterium. Sic autem concludit: Quapropter non quidem possum dicere à pr oposito meliore lapsas si nupserint fœminas, adulteria ea esse, nō cōiugia. Quomodo uerò Smythæus & eius consimiles aduersus ista cauillentur, operæpretiū est audire. Quoniam enim locum hunc de uotis agendo non leuiter irsi, quandoquidē est apertissimus contra eos, qui matrimonia post uotum inuita contendunt esse rescindenda, ideò in eo diluendo mirificè se torquet Smythæus. In quibus eius uerbis si omnia uellem reprehendere illius errata, nimium procul dubio prolixus essem. Verū illa tantummodo attingam, quæ maioris uidebuntur esse momenti. Et primū quidē luculēter mentitur, quòd ait, me negasse, Augustinum sentire, Paulum de uoto loqui, cum ad Timotheum scribit, quasdam uiduas uelle nubere, atq; habere damnationem quòd primam fidem irritant secerint. Id ego nunquam sum inficiatus ut qui probè nouerim quātum Augustinus, uotis huiusmodi tribuerit. Hoc solum his uerbis nitēbar ostendere, à Patribus has nuptias non fuisse habitas irritas. Ut autē Augustin. & cōplures alij sint hallucinati, adeò multū tribuēdo uotis, ex his uerbis, quæ superius allata sūt, facile potest colligi. Dolet Smythæo q̄ August. uerba, quib. pro ratis & firmis habet nuptias, quas post uotum

h. 4. 5. 6.

uotum aliqui contrahunt, sæpius meis inculcauerim auditoribus, et interim tacuerim sententiam eiusdem, qua dicitur interire, damnari, peccare eos, qui talia incunt cõiugia. Qua in re tum iniuste queritur, tum etiã mentiur. Mentitur quidem quòd tacuerim, quid August. iudicari de illo nuptiarum contractu. Dixi enim aperte illum arbitrari peccatum intercedere. Putat enim graue esse culpam à uoto deficere. Sed quantum hæc sententia distet à uero, nunc non est demonstrandum, cum id iã antea semel atq; iterum declaratum fuerit. Sæpius fortasse quàm uellet Smythæus, alterã eius sententiæ partem repetij. Quod factum ille iniuste accusat, cum illud sit doctoris præcipuum opus, diligenter & sæpius inculcare, quæ superstiosi dissimulant, & celatum maximè cupiunt. Et si quis istius Aristarchi libellum ad amussim expendat, eum ter & quater eandem rem facile inueniet repetijse. Non possunt ista loca satis à nobis demonstrari, cum à uestris tenebrionibus omni, quo possunt, studio occultentur. Nitiatur deinde causam ostendere, cur August. dixerit, has nuptias nõ esse adulteria: ne scilicet Iuliana uidua quæ se uoto obstrinxerat uidualis cõtinentiæ, ad quam hunc librũ scripsit, existimaret secundas nuptias in crimen esse uertendas, uel alias quaslibet esse malas. Vt ergo illi eximeret opinionem impiam Cataphrygum, qui censuerunt secundas nuptias impuras esse & illicitas, hæc scripsit, neue amplecteretur hæresim Tatianorum, Montanistarum, & Manichæorum. Potuit fortasse hæc causa esse, quæ Augustinum in hanc disputationem deduxerit. Sed quòd istam adducat rationem, quare putet Augustinus nuptias ratas esse post uotum, omnino alienum est: quandoquidem ille tres alias adducit rationes, ut uerba eius aperte docent. Prima est, ne Christus efficiatur adulter, si qua ei per uo-

tum nupserit spiritualiter adhuc uiuente uiro, altera ne se-
 cundæ nuptiæ putentur priores primis: tertia, ne si hæc
 matrimonia rescindantur, alter cõiunx, qui nõ uouit ducat
 alteram uxorem, priore adhuc supersite. Hæc ego recen-
 sui ex 10. ca. & tu tres ibi has rationes inuenies. Ad hæc si
 Iulianæ, ut ipse affirmas, uoluit persuadere, ne existimaret
 secundas nuptias, aut ullas quaslibet esse malas, cum postea
 istarum disertè mentionem faciat, & has quoq; uoluit ei
 ostendere non esse malas, licet peccatum in eo iudicet, &
 uoti promissione uiolata, matrimoniũ contrahatur. Nu-
 ptias tamen ipsas, quæ post uotum ineuntur, ueras & bo-
 nas esse probat. Alioqui si, quod ait, non est uerum, et ma-
 læ sunt istæ nuptiæ, & rescindenda ut uultis. August. per
 mendacium, & quidem perniciosum atq; pestiferum sua-
 deret Iulianæ, ut hæresim cuitaret. Optio datur tibi, utrũ
 uis elige. Aut uerum, aut falsum Augustinus dicit. Si uerũ
 quid me calumniaris, qui eius in hoc uitor testimonio? Sin
 falsum, quorsum mihi autoritatẽ Patrũ obtrudis? quos
 cum uisum fuerit, uel ex re tua iudicaueris, falsa dixisse in-
 simulas, ut uera probent. Licebit igitur mentiri, & quidẽ
 perniciosè, ut uerum probes. Vbi ergo erit illa tua regu-
 la, qua contra Epiphan. superius utebaris, non esse faciẽ-
 da mala, quemadmodum dicit Apost. ut eueniãt bona? Et
 si hoc non est uerum, ista nempe matrimonia post uotum
 inita esse rata & legitima. cur hodie sic est uulgò usurpa-
 tum, & à theologis sententiarijs, & à iure pontificio? Hoc
 idem illi dicunt, quod August. dixit. Quamquam suffugiũ
 inuenerunt, ut distinguant uotum solenne à simplici: & in
 simplici uoto sententiam hanc solum habere locum defi-
 niant. Sed ista uotorum distributio, quãtum apud Deum
 ualeat, qui ubiq; est, & omnia uidet, atq; audit, siue pri-
 uatim siue publicè sollemniterue agantur, ipsi uiderint:
 quos

quos etiam demonstrabo infra suo loco non sibi constare de uoto solēni, quod hominem prorsus inhabilem reddat ad contrahendum. Hoc autem uerē dicere possum extra te neminē unquam audiuisse, qui diceret hoc, Augustinū mentitum esse, ut ab hæreſi tueretur Iulianam, ad quam scribebat. Tu uerō quanto periculo, quantaq; temeritate hoc affirmes, alijs pijs uiris excutiendum relinquo. Ais Augustinū nunq̄ hoc fuisse dicturū, nisi incidisset aliquid graue, & quod è re illius uiduæ maximè fuisset. Quis te hoc quæso docuit in dogmatis mentiendū esse ob aliquā conuincendam aliam hæreſim. Hieronymū affers pro exēplo, qui fuerit iniquus nuptijs, & tantum illas non damnarit, cū in Iouinianū & Heluidiū scribit, & laudat uirginitatem. Tum Augustinum, qui reijcere uidetur liberum arbitrium, cū pro gratia Dei contra Pelagianos dimicatz ut idem parū gratiæ uidetur tribuere, cum liberum arbitrium asserit contra Manich. Vnde id etiam cōsilijs tibi uidetur secutus, cum ait nuptias obſtrictorū uotis ueras esse nuptias. Hic uelim Smythæe, ut aliquātulū inter nos hæc seposita disputatione, ratiocinemur. Si Patres dederimus ita lubricè, ut dicere uideris, et scribere & disputare, præfertim cum de dogmatibus in certamen uenitur, ut etiam quæ non sunt uera, pro se adducant, & quæ alioqui negarent, quomodo illis possimus, ut uos fieri uultis, habere pro sacra ancora? Et si scripturas, ut superius dicebas, ad amuſſim illorum debemus exigere, ubi tandē erimus? Certè semper timebimus ne mentiantur, ad aliquid fortasse, quod utile duxerint persuadendum. Cur mihi semper occinīs cedendum esse Patribus? Certè Smythæe charissime, patere etiam te urgeri, ut dictis Augustini deferas. Quodsi ab eo uis desciscere isto colore, quod mentiatur, ut aliquid ueri suadeat, mihi quoque non

decrunt coloret, quo Patrum autoritatem detrectem.
 Et ut scias, quando ego illorum iudicium repudio, non i-
 stis utor fictionibus, sed candidè atque apertè illos errasse
 dico, quòd essent homines: & id probo, non fucis & rhe-
 torum schematibus, sed quod uerbo Dei, hoc est, sacris li-
 teris aduersentur. Quare desinas obsecro te, posthac ta-
 lia confingere, neq; illos tam officiosè mentiri facias. Cer-
 tè quod asfers de Hieron. paulò antè demonstravi, q̄ in hac
 re nuptiaria errauerit: quem tantum abest, ut dicā excu-
 sandum, ut eum grauius in eo dogmate peccasse nō dubi-
 tem. August. uerò contra Pelagianos, nihil unq̄ dixisse le-
 gi de libero arbitrio quod non sit uerissimū & dignū eter-
 na memoria. Dum enim salutē nostram totam gratiæ dei
 per Christum ascribit, & libero arbitrio tantū dare non
 uult, ut seipsum ualeat regenerare, & instaurare, & à pec-
 tis educere, & sentit optimè, & scribit christianis literis
 maximè consona. De libero aut̄ idem arbitrio loquitur
 in Manichæos, iuxta illa quæ habuit à sua prima cōditio-
 ne. Fuit enim à bono Deo creatus homo, nō à malo, ut Ma-
 nichæi sinxerant. Non aut̄ de libero arbitrio in illis libris
 cōtra Manichæos loquitur iuxta corruptionem, quæ po-
 stea fuit per peccatū inuecta. Et ne ista putes à me somnia-
 ri, eundem August. legas in Retract. Sed uideor mihi satis
 uidere, quid te in hunc errorē induxerit. Cū in sophisticis
 iam inde à pueritia consenueris, & illa pro summo artifi-
 cio doceant, ex falsis uera colligere, tuo pede Augustinū
 & alios cādidos uiros metiris, quasi & ipsi, cū ex re præ-
 senti esse uiderint, nihil ueriti sint mētiri. Quòd uerò Au-
 gust. dicat in psal. 83. Virginē sanctimoniam, si nup̄ serit
 adulteram reputari, nihil cum his pugnat, quæ modò scri-
 bit. Hic enim dicit, nō esse adulteram in ipso matrimonio
 contracto post uotum, sed non negat uideri, cum narret,
 ali-

aliquos ita sentire, ac ideo iudicare illas nuptias non esse ratas, sed potius adulteria dicenda. Hic rem excutit, et dogma definit: in cōciones super psal. ostendit quid à multis reputetur. Tantum ista inter se pugnant, quantū si dicere Smythæi argumenta nullius momenti sunt, licet ab aliquibus ignavis & superstitiosis reputentur firma. Ad me deniq; parū attinet, quid tu cum Erasmo certes doctis, uiro & omnino uelis hunc librum de Bono uiduitatis Augusti no asserere. Quoniam si uiceris, adhuc maius robur accesserit ad nostrā sententiā. Hoc tamen uideo rationes tuas contra Eras. tam esse leues, ut eas ille uir, si esset superstes uel minimo digitulo eruditionis suæ incōparabilis, facile fuerit, ut aranearū telas disiecturus. Idē August. epist. 70. quam ad Bonifacium comitem scripsit, cuiusq; pars in decretis habetur 17. q. 2. ca. Nos nouimus. Ostendit comitē hunc, qui reipub. Rom. in Aphrica negotia gerebat, pro uinciam illam sua militia defendendo à Barbaris, post obitum prioris uxoris in animo habuisse monasteriū ingredi, et monachus abdicare se mundanis curis, neq; amplius implicari coniugio. Qua de re ita loquitur August. Nos nouimus, nos testes smus, quod nobiscum apud Tubunas de animo & uoluntate tua fueris collocutus. Soli tecū eramus, ego, & frater Alipius. Non enim existimo tantum ualuisse terrenas curas, quib. impletuses, ut hoc de memoria tua penitus delere potuerint. Nempe omnes actus publicos, quibus occupatus eras, relinquere cupiebas, & te in otium sanctum conferre, atq; in ea uita uiuere, in qua serui Dei monachi uiuunt. Ut autem non faceres, quid te reuocauit, nisi quia considerasti ostendentibus nobis, quantum prodesset Christi ecclesijs, quod agebas, si ea sola intentione ageres, ut defensione ab infestationib. barbarorū quietam & tranquillam uitam agerent, sicut dicit Apostolus

in omni pietate, & castitate. Tu autem ex hoc mundo nihil quæreris, nisi quæ necessaria essent huic uitæ sustentandæ tuæ, ac tuorum, accinctus balthæo castissimæ continentie, & inter arma corporalia spiritualib. armis tutius fortiusq; munitus. Cùm ergo te esse in hoc proposito gauderemus, nauigasti, uxoremq; duxisti. Sed nauigasse obedientiæ fuit, quam secundum apostolum debebas sublimioribus potestatibus. Vxorem autem non duxisses, nisi susceptam deserens continentiam concupiscentia uictus esses. Quod ego cū cõperissem, fateor, miratus obstupui, &c. Hæc indicant duo sibi proposuisse comitem: nempe continentie obseruationem, & monasticam uitam. Ab altero istorum: nempe à monachismo illum August. & Alipius reuocarunt existimantes ipsum plus militia Christi ecclesijs profuturum, quàm in monasterio. Quorum consilijs ille acquieuit, atq; tantum continentie uotum amplexus est, quod tamen postea superatus cupiditate uiolauit. Atque uotum hîc interuenisse, non ego fingo, sed Augustini uerba partim adducta, partim adducenda indicant: & glossa decretorum loco paulò antè citato expressis uerbis affirmat: quamuis fuisse uotum simplex testetur. Vt uerò matrimonium quod secutum est uotum, firmum ratumq; oportuerit manere, hæc quæ adiecit Augustinus demonstrant, si enim coniugem non haberes, dicerem tibi quod & tribuno diximus, ut in sanctitate continentie uiueres: adderem, quod tunc fieri prohibuimus, ut iam te, quantum rerum humanarum salua pace potuisses, à reb. bellicis abstraheres, & ei uita uacares in societate sacrorũ, cui tunc uacare cupiebas: Sed ut te ad istam uitã nõ exhorter, coniunx impedimento est, sine cuius consensione continenter tibi non licet uiuere. Quia etsi tu eam post illa tua uerba Tubunensia ducere non debebas, illa tibi tamen

tamen nihil eorum sciens innocenter & simpliciter nu-
 psit. Atq; utinam posses ei persuadere continentiam, ut si
 ne impedimento redderes Deo, quod te debere cognoscis
 Sed si cum illa agere non potes, serua saltem pudicitiam
 coniugale: & roga Deum, qui te è necessitatib. eruit, ut
 quod non potes modò, possis aliquando, & c. Ex his ma-
 nifestè colligitur comitem istum uouisse. Dicit enim Au-
 gust. ut citauimus, quia & si tu eam post illa tua uerba Tu-
 bunensia ducere nō debebas. & c. Et mox: Ut sine impedi-
 mento redderes Deo, quod te debere cognoscis, & c. Hæc
 duo loca uotum hic interuenisse luculenter ostendūt. Post
 quod iam editum August. uult matrimonium, quod sub-
 sequutum est, integrum & firmum permanere. Ac de illo
 satis iam egimus. Leonem eius nominis primum iam libet Leo.
 audire. Is epist. 87. utq; habetur in lib. Concil. 65. ita scri-
 bit. Dicente enim Apostolo, ut inter alias Christianismi re-
 gulas is episcopus ordinetur, quem unius uxoris uirum
 fuisse, aut esse constaret, tam sacra semper habita est ista
 præceptio, ut iam de muliere sacerdotis eligenda eadē in-
 telligatur seruanda conditio: ne fortè illa priusq; in matri-
 monium eius ueniret, qui aliam non habuisset uxorem, al-
 terius uiri esset experta coniugium. Quis igitur dissimu-
 lare audeat, quod in tanti sacramēti perpetratur iniuriæ?
 cum huic magno uenerandoq; mysterio, ne diuinæ quidē
 legis statuta defuerint, quibus euidenter est definitum,
 ut uirginem sacerdos accipiat: & alterius thorum nesciat
 coniugis, quæ uxor est futura pontificis. Ex hac Leonis
 decretali epistola, ut uocant, duo uidentur colligi.
 Primum posse eum, qui adhuc maritus sit, in episco-
 pum eligi: quoniam dicit: Quem unius uxoris uirū fuisse
 aut esse constiterit. Hæc indicant sententia eius posse eligi
 tam illum, qui sit, quàm illum, qui fuerit unius uxoris uir.

Alterum est, ordinatum posse contrahere matrimonium non quidem alterum, ut fiat digamus: neq; cum ea quæ alterum uirū habuerit: sed cum uirgine. Nam dicit, Ut etiā de muliere sacerdotis eligenda eadem intelligatur seruāda conditio. Nunc ad Gregorium episcopum Rom. eius nominis primum. Is scribens ad Petrum subdiaconū Siciliæ, inquit, ante trienniū omnium ecclesiarum subdiaconū Siciliæ prohibiti fuerunt, ut more Romanæ ecclesiæ, suis uxorib. nullatenus miscerentur, quod mihi durū atq; impiū uidetur, ut qui usum cōtinētiæ non inuenit, neq; castitatē promisit, cōpellatur à sua uxore separari, atq; per hoc, quod absit, in deterius cadat. Inde uidetur mihi, ut à presenti die omnib. episcopis dicatur, ut nullū facere subdiaconum præsumant, nisi qui se uicturum castè promiserit. Quatenus & præterita mala, quæ proposito mētis appetita non sunt, uiolenter non exigantur, & futura mala cautè caueantur. Qui uerò post eandem prohibitionem, quæ ante trienniū facta est, continenter cum suis uxorib. uixerint, laudādi, atq; remunerādi sunt, et ut in bono permancant exhortādi. Eos autē qui post prohibitionē factā à suis se uxoribus continere uoluerint, ad sacrum ordinē uolumus promoueri. Quia nullus ad altaris debet ministerium accedere, nisi cuius castitas ante susceptū ministeriū fuerit approbata. Hæc etiam habentur in decretis dist. 3. unde multa licet intelligere. Videmus initio quomodo de celibatu leges obrepserint, quo ad subdiaconis per Pelagiū, qui præcessit Gregorium, præceptū fuit in Sicilia, ut suis uxorib. quas iam habebāt, nō miscerentur. Quid erit facere contra Nicenam synodū, nisi hoc fuerit? Ibi noluerunt, separari ministros ab usu & cōmercio suarum uxorū: isti præcipiunt, ut separentur. Vide interea nō fuisse notum coniunctum cum sacro ordine. Dicit enim Gregorius

gorius, Qui usum continentiae non inuenit, neq; castitatem promisit. Notandum etiam est à Romana Ecclesia, & ab eius cum præcepto tum extemplo istam tyrannidem dimanasse. Nam hic scribitur: ut more Ro. Ecclesiae. Non enim orientalis aut graeca Ecclesia hunc morem habuit, ut infra docebo. Postremo Greg. licet admodum superstitiosus, uidit hoc durum esse & alienum à pietate, & prout potuit, nitetur moderari. Sed tum propter edita decreta & Canones non tantum fortasse potuit, quantum uoluisset. Ex quo & cum pluribus alijs Patrib. permulta possent adhuc adduci: sed quia prolixitatis ratio habenda est, ideo à Patrib. iam discedemus: & ex concilijs nonnulla deligemus, quae ad praesentem controversiam facere uisa fuerint. Et in hoc scriptorum genere, primum dabimus locum Canonibus apostolorum: non sanè quod eorum autoritas firma sit: permulta enim ibi scribuntur, quae rationibus illorum temporum parum congruunt. Et de numero illorum non est eadem omnium sententia. Sed ut aduersarijs gratificer, ab ipsis inchoabo: quandoquidem illi huiusmodi Canonibus nihil non tribuunt. Proinde in 6. Canone sic statuitur: Episcopus, aut presbyter, aut diaconus uxorem suam praetextu religionis non abiectio: si abiicit, segregator à communione: si perseverat, deponitor. Isto Canone prohibentur ministri Ecclesiae deserere uxores: tantum abest, ut matrimonia eiusmodi ceu damnata sint rescindenda. Sed operæ pretium est uidere, quomodo huic loco adeò perspicuo fucum faciant in decretis Gratiani dis. 31. cap. Omnino, autoritate Leonis noni: ubi exponunt, uxorem non abiectio, nimirum à cura sua: nam ei debetur & uictus, & uestimentum: non tamen ita ut illi de more commisceantur. Quam ridicula hæc sit interpretatio, & à germano sensu aliena, Canon ipse patet: in quo scribitur: Praetextu religionis. Vitiabaturne cultus Dei, immine-

batūre religio largiendo egenti uxori uictum & uesti-
 tum? Non, arbitror. Nam ista iubemur uel extraneis dare
 si opus habuerint. Illos potius corrigit hæc lex, qui puta-
 bant religionē haud posse ferre, ut minister Ecclesie uxo-
 re uteretur, & hoc prætextu ab illarum consuetudine ab-
 stinebant. Canone 39. manifestæ sunt res episcopi, si mo-
 dō & priuatas habet, manifestæ etiam sunt dominicæ, ut
 priuatas quidē res episcopus, cū moritur, quibus uult,
 & quomodo uult, relinquendi facultatem habeat: neque
 occasione ecclesiasticarum rerum interdicat res episcopi:
 qui nonnunquam uxorem, & liberos, & cognatos, &
 seruos habet, &c. Demonstrat hic locus quā apertissi-
 mē, licuisse episcopis uxorem habere secum uel usque ad
 mortem, cū testamentum faciendum fuit. In concilio An-
 cyrano Canone decimo, ita scribitur: Diaconiq; cū or-
 dinātur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, dicentes uel
 se habere uxores, nec posse cōtinere, hi postea si ad nu-
 ptias uenerint, maneat in ministerio, propterea quōd
 episcopus eis licentiā dederit, &c. Duo sunt que hic præ-
 cipuē annotamus: unum excusationē hanc admitti, quōd
 non possint continere, quam hodie nostri aduersarij tan-
 toperē auersantur: Qui dicunt in manu cuiusuis positum
 esse, ut contineat: qua in re, si cum eis fecissent ueteres epi-
 scopi, utiq; sic protestantibus dixissent: quid cauellamini
 uos non posse? petite à Deo continentiam: ieiunetis, co-
 nemini, & succedet in uobis est situm: quare desinite sic
 protestari. Alterum annotatione dignum est, episcopum
 dici licentiā sic protestantibus dedisse. Quod indicat, sa-
 crum ordinem cum celibatu non esse necessariō coniun-
 ctum. Quamobrem in sua facultate habet Ecclesia, ut uir-
 culū huiusmodi relaxet. Et decimonono Canone eius con-
 silij sic scribitur: Quotquot uirginitatem pollicitam præ-
 uaricati

Cœcilium
 Ancyranū.

uaricati sunt, professione contempta, inter digamos, id
 est, qui ad secundas nuptias transierunt, haberi debent,
 & cætera. Hic alia pœna, qui uotum castitatis uiolarunt,
 non afficiuntur, nisi quod loco digamorum habiti ad Ec-
 clesiasticas functiones non ordinabantur. Non tamen ulla
 mentio fit cõtracti matrimonij rescindendi. Neocæsarien-
 se uerò cõcilium cap. 1. sic habet: Presbyter, si uxorem du-
 xerit, ab ordine suo deponatur: quòd si fornicatus fue-
 rit, uel adulterium commiserit, extra Ecclesiam abijci de-
 bet, & ad poenitentiam redigi, & cætera. Aduersus hunc
 canonem rectà Papistæ faciunt: quoniam sacrificos uel
 adulterantes, uel scortantes ne deponunt quidem: eos ue-
 rò qui uxores duxerint, non modò ab Ecclesia eijciunt,
 sed etiam crudeliter occidunt. Hanc ueterum Canonum
 rationem habent. Quid uerò in Nicæna synodo accide-
 rit, repetere multis non oportet. Norunt quippe omnes,
 Paphnutium uirum sanctissimum, & alioqui cælibem, ibi
 prædicasse, nuptias in omnibus honorabiles, atque di-
 xisse, consuetudinem sacerdotum cum uxoribus castita-
 tem esse: neque committendum, ut ministri à coniugibus
 diuellerentur, nisi uellent omnia impleri scortationibus:
 quòd modò experimur euenisse, quando sententia huius
 uiri Dei contempta est & abiecta. Concilium Gangren-
 se, Canone primo fulmine anathematis eos ferit, qui nu-
 ptias damnauerint: & Canone quarto, illos qui discer-
 nunt presbyterum coniugatum, tanquam occasione nu-
 ptiarum, quod offerre non debeat, et ab eius oblatione se
 abstinere, & cætera. Hic locus demonstrat, sermonem fie-
 ri de presbytero, qui cum uxore sua adhuc uersaretur.
 Nam si eam abdicasset à se, iam causa nulla erat, cur
 propter nuptias ministerium eius euitaretur. Canone
 item decimosexto statuitur. Quicumque filij à paren-

Conc. Neo
 cæsariensej

Cõcilium
 Nicænum.

Cõcilium
 Gangren.

tibus prætextu diuini cultus abscedunt, præsertim si fideles eos habuerint, neque illis debitam reuerentiam præstant, anathema sint. Cur huius concilij uocem nõ audiunt monachi horum temporũ? qui filios à Christianis parentibus abstrahunt, & eos ipsis inuitis ad monasticam professionem admittunt? Canone quoq; 9. & 10. illi anathema iudicantur, qui uirginitatẽ uel continentiam professi, uel nuptias abominabiles habeãt, uel in coniugio positos uituperauerint per arrogantiam. Et mox Canone 12. Is habetur anathema, qui putauerit sancto proposito continentie conuenire, ut pallio utatur, tanquam ex eo iustitiam habiturus, et reprehendat, uel iudicet alios, qui cum reuerentia birrbis utuntur, & alia ueste communi quæ in usu fuerit. Aduersatur iste Canon monachis, qui cuculle uestitum sanctum præ cæteris existimant, ita ut nonnullis persuadeãt, ut defuncti saltem cum sua cuculla humentur: quasi habitus monachum faciat, uel ad tribunal Dei ueste mutata non sint agnoscendi. Concilium Chalcedonense Can. 16. uirgines Deo dicatas & monachos prohibet nuptias contrahere: quod si fecerint, maneat excommunicati: quam tamen seueritatem concedit illud concilium, ut episcopus queat mitigare. Atq; hucusq; matrimonia huiusmodi non sunt rescissa. In Carthagin. autem concilio Canone 2. manifestè decretum fuit cõtra sententiam Paphnutij, quam synodus Nicena secuta est. Voluerunt enim Patres illius concilij, ut episcopi, presbyteri, & diaconi omnino ab uxoribus abstinerent. Quod decretũ autorem habuit, uel Aurelium episcopum Carthaginen. uel, ut in quadam glossa ibi notatur, Faustinum episcopum Ecclesiæ Potentiniæ prouinciæ Piceni, legatum Ecclesiæ Romanæ. Nec mirum tale decretum in eo concilio sanctum, quum habitum sit, ut ex temporũ supputatione licet colligere,

Cõcilium
Chalcedo-
nense.

Cõcilium
Carthagi.

ligere, Siricij episcopi Romani etate. Cōcilio deinde Carthaginensi tertio, in quo et Augustinus adsuit, decretum factum est parum admodum pium, et diuinis literis minime congruum. Sic enim habetur 19. Canone: Placuit, ut lectores quum ad annos pubertatis uenerint, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri. Quis hinc non desideret Patrum istorum prudentiam? An qui pubes est, adolescens, inquam, uel quaturdecim uel sexdecim annorum, ad uxorem ducendam cogi debet? et si noluerit, adigi ad continentiae professionem? Nullus profecto ea etate deprehendere potest, quas habeat uires, aut quam efficax Dei donum in ipso futurum sit. Deinde quum ista genera uitae libera esse oporteat, iam sub necessitate collocantur. Concilium 2. Arelaten. Canone 2. ita sanxit: assumi aliquem ad sacerdotium non posse in uinculo coniugij constitutum, nisi fuerit promissa conuersio. His etiam uerbis non leuis iniuria fit nuptijs: quandoquidem phrasi scripturarum et Ecclesiastica, conuersio, quando in bonam partem sumitur, non est nisi à peccato. Quare uidetur hoc decretum innuere matrimonium peccatum esse. Concilium Toletanum 1. Canone 1. hac de re ita statuit: Placuit, ut diaconi, si uel integri uel casti sint, et continentis uitae, etiam si uxores habeant, in ministerio constituentur. Ita tamen ut si qui etiam ante interdictum, quod per priores ante nos episcopos constitutum est, incontinenter cum uxoribus uixerint, presbyterij honore non cumulentur: si quis uero ex presbyteris ante interdictum filios suos suscepit, de presbyterio ad episcopatum non admittatur. Duo ex isto decreto colliguntur: primum interdictum coniugij usum diaconis aut presbyteris non multo antea praecessisse: alterum, eos qui usi fuissent coniugio, praesertim ante illud interdictum, non fuisse à munere suo deiectos, sed tantum

Cōcilium
Arelaten.Cōcilium
Toletanū.

cauebatur, ne ad eminentiores gradus promouerentur. Sed post hæc uideamus, quàm uaria & pugnancia tradantur in Concilijs de etate uelandarum uirginum. In synodo Calcedonensi canone 15. sic scribitur: diaconissam non ordinandam ante quadraginta annos, & hoc cum diligenti probatione faciendum statuimus. Iam hinc aperte disceditur ab Apostolo, qui epistola ad Timotheum priore non uult admitti nisi sexagenariam. Cesar Augustanum uerò Concilium Cano. s. decernit non uelandas uirgines quæ se Deo uouerunt, nisi quadraginta annorum probata etate, quam sacerdos comprobauerit. Sed Gratianus quæ adduximus ex Caledonen. Concilio 27. quæst. 2. cap. Diaconissa, recensuit: ubi glossa, quæ dicuntur, contrahit ad abbatissã: quod est innane commentum. Quoniã Cesar Augustanum de uirginibus hæc statuit: neq; in alterutro istorum conciliorum mentio ulla sit abbatissæ. Sed tã concilia, ut à Paulo dissentiant, ita etiam inter sese non congruunt. Nam in Carthaginien. 3. concilio decreto 4. sic habetur: Item placuit, ut ante 25. annos etatis neque diaconi ordinentur, nec uirgines consecrentur &c. Iam & à sexaginta & à quadraginta annorum etate deficiunt. Et adhuc in ista sententia non manent, quoniã in concilio Mileuitano Can. 26. sic est decretũ. Itẽ placuit, ut quicũq; episcoporum necessitate periclitantis pudicitia uirginalis, cũ uel competitor potens, uel raptor aliquis formidatur, uel si aliquo etiã mortis scrupulo periculoso cõpũcta fuerit ne non uelata moriatur, aut exigentibus parētibus, aut his ad quorũ curam pertinet, uelauerit uirginẽ, seu uelauit intra uiginti quinque annos etatis, non ei obsit conciliũ quod de isto annorum numero constitutum est. Iam nec uiginti quinque annos retinent, & res eò deuenit, ut adhuc puellæ ad consecrationes huiusmodi admittantur.

Et ex

De etate
uelandarũ
uirginum.
Synodus
Chalcedo-
nensis.
Concilium
Cesar Au-
gustanum

Gratianus
cum glossa

Concilium
Carthagi-
niense. 3.

Concilium
Mileuitanũ

Et ex ijs concilij uerbis superstitio declaratur iam eo tem-
 pore inualuisse, ut in uelo multum sanctitatis collocare-
 tur. Quod maximè confirmat decretum Gelasij 14. quo
 sic statuit: Deuotis quoque uirginibus, nisi aut in Epi-
 phaniarum die, aut in albis paschalibus, aut in Apostolo-
 rum natalitijs sacrum minimè uelamen imponatur: nisi
 forsitan sicut de baptisate dictum est, graui languore
 correptis, ne sine hoc munere de seculo exeant, implo-
 rātibus non negetur. Quis non uideat, istos iam æquasse
 uelum hoc superstitiosum baptismo? Nec minus est riden-
 dum, quod iste idem Gelasius Cano. 15. sic scribit: Viduas
 autē uelare Pont. nullus attentet, quod nec auctoritas di-
 uina delegat, nec Canonum forma præstituit &c. Porro
 si auctoritas diuinarum literarum spectetur, neque uir-
 gines uelandas esse, usquam poterit demonstrari. At non
 tantum de annis pugna est inter concilia, sed etiā de ma-
 trimonio contracto à uelatis uirginibus, an sit rescinden-
 dum. Nam in Arelaten. Concil. 2. can. 33. hæc leguntur:
 De puellis, quæ se uouerunt Deo, & præclari nominis
 decore flourunt, si post uiginti & quinque annos eta-
 tis ad terrenas nuptias sponte transierint, id custodiendum
 esse decreuimus, ut cum his, cum quibus se obligauerint
 communionem priuentur: ita ut eis postulantibus pœni-
 tentia non negetur: cuius pœnitentiæ communicatio multo
 tēpore differatur. At Innocētius primus in epist. 2. ca. 12.
 longè aliter uidetur statuere. Sic enim loquitur: Itē quæ
 Christo spiritualiter nubunt, et à sacerdote uelantur, si po-
 stea uel nupserint publicè, uel occultè corruptæ fuerint,
 nō eas admittēdas esse ad agendā pœnitentiā, nisi is, cui se,
 iunxerāt, de hac uita discesserit. Si enim de omnib. hæc rati-
 o custoditur, ut quæcūq; uiuēte uiro habeatur adultera,
 nec ei agēda pœnitentiæ licētia cōcedatur nisi unius ex eis

Gelasij de-
 cretum.

Matrimo-
 nium uela-
 tas uirginū
 an sit rescin-
 dendum.
 Concilium
 Arelatense.

Innocen-
 tius. I.

defunctus fuerit, quanto magis de illa tenenda est, quæ ante immortali se sponso coniunxerat? & postea ad humanas nuptias transire elegit? Sed iste idem in 18. Canone de uirgine lapsa, quæ uelata non fuerit, aliquanto mitius loquitur, sic scribens: Hæ uerò quæ nec dum sacro uelamine tectæ tamen in proposito uirginali semper se simulauerunt permanere, licet uelata non fuerint, si fortè nupserrini, his agenda aliquanto tempore pœnitentia est: quia sponso earum à Domino tenebatur. Si enim inter homines solet bonæ fidei cõtractus nulla ratione dissolui, quanto magis ista pollicitatio quam cum Deo pepigerunt, solui sine uindicta nõ poterit? Nam si apostolus Paulus, quæ à proposito uiduitatis discesserant, dixit, eas habere condemnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, quanto potius uirgines, quæ prioris promissionis fidem minime seruauerunt? &c. Hæc demonstrant liquidò superstitionem, quæ moleuit circa uelum uirginum dedicatarum. Nam utrinque promissio intercedebat de uirginitate seruanda, siue datum, siue non datum fuisset uelum. Et tamen discrimen tantum ij Patres posuerunt. Ista docent, innocentium suo illo decreto duodecimo epistola secunde concilio Arelatensi, quod paulo ante citauimus, repugnare. Nam illud, Virginibus quæ post uigesimum quintum annum, & idcirco uelatis, nam ea etate uelum dabatur, si nuptias contraxerint, pœnitentiam concedit, quam iste illis, ut audiuimus, negat. Esset profectò molestum, & ualde prolixum, ex concilijs & epistolis decretalibus pontificum omnia referre, quæ circa istam quæstionem aut uerbo Dei aduersantur, aut absurda sunt & superstitiosi, aut inter sese quàm euidentissimè pugnant. Quære Gratianum in Decretis, quæ consarcinauit, quoad hoc negotium, aliquatisper excutiam. Dist. 27. ca. Diaconus. Cum
reçu-

Gratianus.

retulisset Latine decretum, hæc adiecit: illi qui uxores habent, uel accipere uolunt, nec diaconi, nec sacerdotes fieri possunt, nisi continentiam profiteantur. Si uero diaconus a ministerio cessare uoluerit, contracto matrimonio, licite potest uti. Nam etsi in ordinatione sua castitatis uotum obtulerit, tamen tanta est uis in sacramento coniugij, quod nec ex uiolatione uoti possit dissolui ipsum coniugium. Quam suam sententiã canone sequente confirmat, cuius uerba sunt ex August. desumpta, et à nobis superius adducta: Quidam nubentes post uotum asserunt adulteros esse: ego autem dico uobis, quod grauiter peccant, qui tales diuidunt. Et idem habetur canone proximo, qui incipit, Si uir. Sed postea contraria statuunt Hieronymus, Nicolaus & Calistus. Quam pugnam Gratianus animaduertens, ad finem distinctionis adductæ scribit: Hic distinguendum est, quod uouentium, alij sunt simpliciter uouentes, de quibus Augustinus & Theodorus loquuti sunt: alij sunt, quibus post uotum benedictio accedit consecrationis, uel propositum religionis: de quibus Hieronymus, Nicolaus & Calistus scripserunt. Hæc Gratianus. In quibus duo miror: primum distinctionem hanc simplicis uoti & solennis, quæ friuola est, illum tanti facere: alterum, quod pugnat secum. Nam ut scribit in huius distinctionis initio, diaconus, qui uotum solenne citra controuersiam edit, quum ordinatur, matrimonio postea contracto licite potest uti, propter uim quam attribuit sacramento coniugij. Atque uotum illud, quod in sua ordinatione ministri nuncupant, esse solenne, non tantum confirmare possum theologorum scholasticorum, de quibus postea suo loco scribam, auctoritate, sed etiam uerbis glossæ, quæ habentur in ista distinctione super canone, Quidam. Verba eius hæc sunt: Tribus modis uotum solennizari, uel

Glossæ.

per ordinem, uel per habitum, uel ex eo quòd coram aliquibus testibus deuouit se alicui religioni. Ex ijs facile apparet, quàm Gratianus parum sibi constiterit. Distinctione autem uigesimo octaua, capite Præterea. ex autoritate concilij Arelatensis quarti, sic scribitur: Placuit ut deinceps non ordinentur diaconi coniugati, nisi qui prius conuersionis proposito professi fuerint castitatem, & cætera. Duo hic notanda occurrunt: unum est, quòd ait deinceps non placere, ut ordinentur coniugati absque professione castitatis; quòd indicat, ante hoc decretum factum id licuisse: alterum est, contumeliam nuptiarum canone isto aperte contineri, quum dicatur, nisi conuersionis proposito castitatem prius profiteantur. In eadem quoque Distinctione, capite De his quos uoluntas, Matrimonium opus carnis magna iniuria uocatur. Sic enim scribitur: Quibus autem uoluntas propria interrogationis tempore desiderium nubendi persuaserit, concessam ab Apostolo licentiam auferre non possumus: ita ut quum prouectæ ætatis in coniugio positi renuntiaturos se pari consensu operibus carnis sponponderint, ad sacros ordines aspirent, & cætera. Legatur Pauli epistola ad Galatas, ubi disertis uerbis opera carnis recenset; neque in eo catalogo matrimonium uel eius usus reperitur. Qua ergo fronte iste sic scripsit, quum ipse nuptiæ sint, ut habetur ad Hebræos in omnibus honorabiles? At in eadem Distinctione, ca. 9. De Syracusana. qui textus est Pelagij, antecessoris Gregorij, uerissima causa exprimitur, propter quam Romana Ecclesia tantopere laborauit, ut ministri cælibem uitam exigerent. Ibi enim scribitur, electum à populo fuisse nouum episcopum Syracusis, qui uxorem & liberos habebat. Requirebatur à Romano episcopo, ut eam electionem ratam haberet. Is uero

Matrimonio -
nium dici
non potest
opus car-
nis.

Causa cur
Ecclesia Ro-
mana cæli-
bati à cle-
ro exege-
rit.

tergi-

tergiuerfabatur, & plusquā annum distulit, antequam il-
 lam probaret. Suae uerò cunctationis causam afferens, ita
 scribit: Ob hoc autem, quòd uel personæ qualitas, uel su-
 perstes uxor, aut filij nostros animos diutius ab eius ordi-
 natione suspenderet, quantū ad cautelam humanā perti-
 net, integro penè anno distulimus, opinantes q̄ in melius
 Syracusanorū prouenire posset electio. Sed quia in uolum-
 tatis suæ proposito irreuocabiliter perstiterunt, & nul-
 lus est alius in eadem repertus Ecclesia, nisi longiorib. ad-
 huc temporum differretur spatij, ne paulò amplius insa-
 nirent, inter huiusmodi ambiguitates illud consultius iudi-
 cauimus faciendum, ut congrua prouidentia causam pro-
 pter quam principalis cōstitutio habentē filios & uxore
 ad episcopatus ordinē promoueri prohibet, salua disposi-
 tione consilij, muniremus. Qua de re summo studio ab eo-
 dem Syracusanæ urbis episcopo, prius q̄ ad episcopatum
 cōtingeret ordinari, huiusmodi exegimus cautionē: per
 quā & suam fateretur, quātula esset præsentis temporis,
 habita rerū descriptione, substantiā, & nihil unq̄ per se,
 aut per filios, & uxore, siue quamlibet propinquā & do-
 mesticam, uel extraneam fortè personam de rebus audeat
 usurpare Ecclesiæ, & uniuersa sui episcopatus quæ sita tē-
 pore Ecclesiæ suæ dominio sociaret: nihil ultra id quod
 modò descriptū est, filijs suis, uel hæredib. relicturus, &c.
 Gratianus addit, Ecce hac autoritate electus in episcopū
 non prohibetur habere uxore & filios. Et mox: Siue er-
 go presbyter, siue diaconus, siue subdiaconus fuerit, appa-
 ret, q̄ in præfatis ordinib. constituti licitè matrimonio uti
 possunt. Et Glossa interpretatur, Ex tempore: Quia non
 dum erat indicta continentia ministris altaris. In hoc
 Pelagij decreto plura continentur non aspernanda. Pri-
 mum usque ad ea tempora libertatem electionis episco-

Glossa

porum integram populo mansisse: alterum præcipuam causam cælibatus clericorum, hunc p̄tificem Romanum existimasse, conseruationem Ecclesiasticarum facultatum. Tertium nō tantam fuisse necessitatē decreti iam recepti de cælibatu, quin potuerit mitigari: ut iste Pelagius cum episcopo Syracusano eam relaxauit: postremò uidemus cautionem hanc, quæ à prudentia humana profecta est, non ualuisse cohibere prælatos Ecclesiæ, quin facultates eius imminuerent. Nam quæ uxori & liberis non largiuntur, in cognatos erogāt, & sæpenumero in scorta & spu-

Stephanus
Papa.

rios. Dist. trigesima prima, canone Aliter. Stephanus Papa discrimen ostendit quoad nuptias clericorum, quidue inter Orientalem & Romanam Ecclesiam intersit, dicitque: Aliter se Orientalium traditio habet Ecclesiarum, aliter huius sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Nam earum sacerdotes, diaconi, aut subdiaconi matrimonio copulantur: istius autem Ecclesiæ uel Occidentalium, nullus sacerdotum, & subdiacono usque ad episcopum licentiam habet coniu-

Ministri
Græci possunt cōtra-
here.

gium sortiendi. Ex hoc decreto colligitur, ministros Orientalis Ecclesiæ matrimonium posse contrahere, quum dicatur de illis, Matrimonio copulantur, deinde subdatur ex aduerso, Sacerdotes Occidentales licentiam nō habere sortiendi coniugium. Neque audienda est glossa quæ interpretatur, Copulantur, id est, copulato utuntur.

Sexta syno-
dus.

Quod idem apertius liquet ex canone, qui hunc præcedit, & à sexta synodo fuit constitutus. Ita enim habet: Quoniam in Romani ordine canonis esse cognouimus traditum, eos qui ordinati sunt diaconi uel presbyteri, confiteri quòd non suis iam copulentur uxoribus, anti- quum sequentes canonem Apostolicæ diligentia, & constitutiones sacrorum uirorum legales nuptias amodo ualere uolumus, nullo modo cum uxoribus suis eorum con-

nubis

nubia dissoluentes, aut priuantes eos familiaritate ad inuicem in tempore opportuno. Quicumque ergo diligens inuentus fuerit, in subdiaconali ordinatione, aut diaconali, aut sacerdotali, hi nullo modo prohibeantur ad talem ascendere gradum, pro uxoris suæ cohabitatione, nec etiam tempore ordinationis suæ profiteri castitatem cogantur, quòd abstinere debeant à legalis uxoris familiaritate. Item oportet eos qui altari ministrant, in tempore oblationis sanctorum continentibus esse in omnibus, ut à Deo possint consequi, quæ suppliciter postulant. Si quis igitur præsumpserit contra apostolicos canones aliquos presbyterorum & diaconorum priuare à contactu, & à communione legalis uxoris suæ, deponatur. Similiter & presbyter, aut diaconus, qui religionis causa uxorem suam expellit, excommunicetur: si uerò in hoc permanferit, deponatur. Canoni iam adducto Gratianus hæc addit: Orientalis Ecclesia uotum castitatis in ministris altaris non suscepit. Vnde licet argumentò & quidem firmissimo probare, ministris illis post ordinationem licere contrahere. Nam id si eis interdiceretur, uel sacri ordinis, uel uoti ratione fieret. Ex uoto nullum est impedimentum, quandoquidem, ut inquit Gratianus, & sexta synodus testatur, non uouent: sacer quoque ordo nullum habet coniunctum secum natura sua impedimentum matrimonij: quia diaconus, ut sanxit Ancyrana synodus, quidam ordines suscipit, protestatur, se non posse continere, uxorem ducendo & matrimonio utitur, & in ministerio sui gradus permanet. Colligitur itaque licere ministris Orientalibus post susceptos ordines inire matrimonium: quandoquidem ut ostensum est, neque à uoto, neque ab ordine impediuntur. Leo quoque nonus, ut habetur in eadem 31. dist. capite Omnino, locum beati Pauli

Leo nonus

Mulieres
quas circū
ducebāt A-
postoli, e-
rant uxo-
res.

Concilium
Agathense.

Lucius Pa-
pa dispen-
savit cum
bigamo ut
fieret epi-
scopus.

epistola priore ad Corinthios quo dicitur, Nonne po-
testatem habemus sororem mulierem circumducendi,
& cetera. exponit de Apostolorum uxoribus, quas
illos unā secum ideō habuisse putat, ut mercede præ-
dicationis ab ipsis alerentur. Neque glossa dissentit: imō
ait, Ducebant enim secum uxores, ut seruirent eis in ci-
bis parandis, & ut ab eis pascerentur, cum essent pau-
peres de mercede prædicationis. Eat nunc Smythæus &
alia papæ mancipia, clamētque uel usque ad raium, Pau-
li ea uerba, non posse ullo pacto intelligi de uxoribus:
cum eorum Deus terrenus in suis decretis contra eos de-
finiuerit. Statuitur præterea dist. 34. cap. presbyteri, ex
Agathensis Concilij sententia, in hæc uerba: presbyteri,
diaconi, & subdiaconi uel deinceps quibus ducendi
uxores licentia modò non est &c. Aduerbiū illud Mo-
dò conuincit argumento certissimo, presbyteris & dia-
conis antiquitus uxores ducere licuisse. Eadem quoque
dist. canone, Lector, Audacia mira Papam uidemus per-
mississe bigamos promoueri ad sacros ordines, contra re-
gulam Apostolicam: sic enim scribitur ex decreto Marti-
ni: Lector si uiduam alterius uxorem acceperit in lectora-
tu permaneat: aut si necessitas fuerit, subdiaconus fiat: ni-
hil autem supra: similiter si bigamus fuerit. Nec quic-
quam releuat istam audaciam, quod hic scribitur: nihil au-
tem supra. Quoniam, ut glossa hic testatur, Lucius di-
spensauit cum Panormitano Archiepiscopo, qui fuit bi-
gamus. Hæc uerò eò attinent, ut uideamus Antichristum
maiores suarum legum rationem habere, quam uerbi
Dei. Relaxat ut bigami ordinentur, contra Pauli senten-
tiā, non quidē Germanā & uerā sed ut ipse interpretatur
nec pati potest, ut ministri Ecclesiæ uxores ducant, quo
sua decreta firma & inuiolata seruentur. sed operæ pre-
tium

tiuum est audire, qua contumelia Innocentius afficiat nu
 ptias: qui 82. dist. ca. proposuisti, sic scribit: Neque eos
 ad sacra officia fas sit admitti, qui exercent etiam cum u-
 xore carnale consortium: quia scriptum est: Sancti esto-
 te, quoniam ego sanctus sum, Dicit Dominus Deus uester.
 Primum hic notetur, usum iusti coniugij appellari car-
 nale consortium: deinde malè torqueri ad nuptias illud
 preceptum Dei, Sancti estote, quoniam ego sanctus sum
 in Leuitico enim scribitur cap. 20. cum Deus Hebræis,
 ne filios suos idolo Molocho immolarent, prohibuisset,
 neue ariolos & Pithones consecrarentur: & repetitur
 sub finem eiusdem capituli, cum interdixisset nuptias ince-
 stas cum matre, cum sorore, & huiusmodi personis con-
 iunctis. Quamobrem sententia ea nihil habet commune
 cum iustis coniugijs, nisi uelimus à sanctitate omnes Chri-
 stianos, qui coniugati sunt, excludere. Quis præterea ne-
 scit sacerdotes ueteris legis iussu Domini debuisse cum
 primis esse sanctos, quibus nihilominus nunquam inter-
 dictum fuit uxores ducere? Pergit in eodem decreto In-
 nocentius, & ait: Multo magis igitur sacerdotes, qui-
 bus & sacrificandi & orandi iuge officium est, sem-
 per debebunt ab huiusmodi consortio abstinere. Quia si
 contaminatus fuerit carnali concupiscentia, quo merito
 se posse exaudiri credit? cum dictum sit, omnia mun-
 da mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil est
 mundū, sed coinquinata est eorum mens & conscientia
 &c. Admodum impudenter cōtaminari affirmat carnali
 cupiditate illos, qui matrimonio utuntur, & exaudiri
 eorum preces non posse. Quid contumeliosius in ma-
 trimonium dicere aut fingere quisquam potest? Quid
 facient, qui uersantur in nuptijs? eo die quo matri-
 monio usi fuerint, non audientur eorum preces?

Desistent igitur ab orando: aut, si uoluerint orare, coniugibus debitam beneuolentiam non reddent? Præclara certè doctrina est, quam iste Romanus episcopus hoc suo decreto sanxit. Mitto præterea, ut alieno loco citet Apostolum dicentem: Omnia munda mundis, & cætera. Quid hæc ad rem? Loquebatur ibi Paulus de ciborum siue omnium externarum rerum indifferentia, docens eos qui mundi sunt, Iesu Christi fide liberum habere creaturarum usum, neque illis contaminari. At è diuerso cum incredulitate uel perfidia homines polluti fuerint, omnium rerum usum esse illis inquinatum. Tam prudenter argumentatur iste Papa, ut ex loco quem adduxit, efficacissimè sententia eius conuellatur. Si omnia sunt munda mundis, & uxores quoque mundis & pijs ministris munda sint, necesse est. Quemadmodum Antichristis & hypocritis, quum immundi sint, contaminatamque mentem habeant & conscientiam, calibatus utique uel ipsa uirginitas est sordidissima. Nec magis prudenter paulò post scribit ad hunc modum: quod apertius declarauit dicens, Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem iam non estis in carne, sed in spiritu. Væ coniugatis istius nocentissimi Innocentij sententia, si adhuc in carne sunt, ut Deo placere non possint. Est enim desperata salus eorum. Paulus hæc ad Romanos scribebat, non ad calibes, neque ad uirgines: uniuersam illius Urbis Ecclesiã alloquebatur: & de omnibus in Christo credentibus, siue coniugati, siue calibes essent, hæc pronuntiabat: Vos autem iam non estis in carne, sed in spiritu. Verùm quid ego cõqueror, hunc Papam diuinarum literarum fuisse imperitum, cum ex his luce clarius appareat, illum quoque conciliorum non minus ignarum? Non enim tenuit id, quod habetur distinctione trigesima

ma quarta, capite Nicena synodus, quid Paphnutius dixerit, quum patres Niceni tentarent aueller e ministros a coniugibus. Dixit enim, honorabiles esse nuptias, & concubitum cum propria coniuge, castitatem appellauit, non contaminationem, non consortium carnale, uel aliquod huiusmodi conuicium, ut iste papa mentiendo contumiscitur, qui has suas blasphemias a Syricio papa dicit, qui ante quatuor uel quinque annos Rom. ecclesiam gubernauit. Is enim ut habetur eadem dist. 82. ca. Plurimos, mentitur Deum sacerdotibus tantum antiquae legis dixisse uerba illa, sancti estote, quoniam ego sanctus sum, cum, ut ostendimus, ad omnes Israelitas pertineat. Idemque ca. Quia, usum matrimonij non ueretur appellare obscenas cupiditates. Utque intelligatur, quod crudele ac tyrannicum fuerit eius edictum, illud recensere bona fide non grauabor. His uerbis conscribitur: Et quia exempla praesentia cauere nos praemonent in futurum, si quilibet episcopus, praesbyter, aut diaconus, quod non optamus, fuerit talis inuentus, iam nunc sibi omnem per nos indulgentiae aditum intelligat obseratum, quia ferro necesse est, ut abscondantur uulnera quae fomentorum non sentiunt medicinam. Horum pontificum uestigia secutus est etiam Innocentius 2. quoniam & de hac re crudeliter statuit, & diuinas literas peruersae ad suum institutum detorsit, ut habetur dist. 28. ca. Decernimus, ubi scribit: Qui in ordine subdiaconatus & supra uxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio atque ecclesiastico beneficio careant. Cum enim ipsi templum & uasa Domini, & sacrarium spiritus sancti debeant esse, & dici, indignum est eos cubilibus & immunditijs deseruire, &c. Postremis istis uerbis ad Pauli sententiam uoluit alludere, quae ad Rom. habetur: Non in cubilibus & impudicijs, atque istis epithetis matrimonium ornat. Deinde cum omnes Chri-

Syricius

Innocen. 2.

Pelagius
Papa

stiani templa sint spiritus sancti, & uasa domini, ut Apostolica litera testantur, iuxta sententiam huius Innocentij prohibebuntur matrimonium cōtrahere. Illud præterea occurrit quod in dist. 24. scribitur, ca. fraternitatis, Ex auctoritate Pelagij, qui de quodam sic respondet episcopo Florentino. Huius latorem secundas quidē nuptias expertum non fuisse didicimus: castitatem tamen cum priori nō seruasse coniugio. Et quamuis multa sint, quæ in huiusmodi casibus obseruari canonicè iubeat sublimitatis auctoritas, tamen quia defectus nostri temporis, quibus non solum merita, sed corpora ipsa hominum defecerunt districtionis illius nō patitur manere censurā, & ætas illius de quo agitur futuræ incontinentiæ suspicionem auferre dignoscitur, ut ad diaconatus ordinem possit prouehi, concessisse nos noueris. Micenam uerò auccillam eius, de qua se post uxoris transitum filios habere confessus est, iubemus ut tua dispositione cuiquam monasterio continentiam professura tradatur, & c. Si clericus iste post obitum uxoris rursus matrimonium cōtraxisset, ut papa inuit, ordinari non poterat. Sed quia cum ancilla scortatus est, ignoscitur, & ut diaconus fiat, conceditur. Quod quàm iustum sit, lector æquus expendat. Certè Glossa id non tacuit. Nam in eo loco sic habet: Ecce casus, ubi plus iuris habet luxuria, quàm castitas. Quia castus repelleretur, si contraxisset cum secunda: sed fornicator non repellitur. Deinde facito rationem, qua papa est adductus, ut scortatori huic ignosceret, nempe, quia defectus nostri temporis, quibus non solum merita, sed corpora ipsa hominum defecerunt, iustam & bonam fuisse: cur eadem tyrannis istis Romanensibus persuadere non potuit, ut matrimonia ecclesie ministris libera facerent ad hanc ætatis nostræ infirmitatem subleuandam?

Glossa

Malè

Malè certè comparatum est, ut in primitiua Ecclesia, ubi spiritus erat robustior, matrimonia essent concessa: nunc uerò in tanto defectu ac infirmitate sint prohibita. Inepti profectò isti sunt medici, qui sanis medeantur, & illis, quos fateantur egrotare, remedia subtrahant. Quo præterea iure uitiatam ancillam ab hero suo in monasterium detrudunt, ut uel inuita profiteatur castitatem, & uicissim hero, qui eam corrumpit, ignoscunt, & ad altiore gradum in ecclesiam promouent? Sic ista columina ecclesiæ ius dicunt, ut misericordia dignos magis premant: & qui grauius puniendi essent, absoluant. Primis uerò temporibus rem non sic habuisse in ecclesia, tametsi multis firmisque rationibus confirmare queo, tamen illis omisissis, ero contentus Gratiani testimonio dist. quinquagesima sexta canone Osus, ubi testatur, complures episcopos Romanos natos partim ex episcopis, partim ex presbyteris, nec non ex diaconis, & subdiaconis. Illi autem fuerunt Osus, Bonifacius, Felix, Agapetus, Theodorus, Syluerius, Deus dedit, Felix, Gelasius, & Agapetus. Et ne quis fortasse cauilletur, hos fuisse procreatos, quum parentes adhuc sacrum ministerium non suscepissent, audiatur ipse idem Gratianus in penultimo canone huius sc. distinctionis, ubi sic scribit: Quum ergo ex sacerdotibus nati in summos pontifices, supra legantur esse promoti, non sunt intelligendi de fornicatione, sed de legitimis coniugijs nati, quæ sacerdotibus ante prohibitionem ubi que licita erant: & in Orientali ecclesia usq; hodie eis licere probantur. Rectè itaque diximus, prima illa ætate, cū uigeret sanctitas, matrimonia clero fuisse libera, quæ nunc ministris maxima tyrannide prohibentur. Vicesima secunda q. .4. circa finem, ubi de iuramento agitur.

Gratianus

Multi episcopi Romani uel ex episcopis, uel ex presbyteris nati sūt

Gratianus in hanc sententiam scribit. Aliquando iustitia deest iuramento, quod tamē seruari non prohibetur. Vt cum quispiam post uotum castitatis duxit uxorem iuramento firmans, nunquam se ab ea discessurum: quod quuis illicitum sit, quia iustitia ei probatur deesse, tamen auctoritate Augustinini seruari præcipitur, &c. Glossa illū arguit, & rectē. Quia postquam uxorem duxit, iustū est ut cum ea maneat. Quamobrem quod iurauit, & iustum & licitum fuit. Neq; id admittendum est, iuramenta illicita debere seruari. Sed mox idē Gratianus scribit: Est etiā id quod iuratur, aliquando uitiosum non sui natura, sed ex causis extra uenientibus, ueluti cum aliquis post uotū castitatis iurat alicui, se habiturum eam in coniugem. Nā habere coniugem per se ipsum malum non est: tamē huic ex uoto est pernitiosum. Hoc autem iuramentum, etiamsi illicitum sit, non tamen seruari prohibetur. Sed de uiolatione uoti pœnitentia ei iubetur indici, &c. Hoc etiam loco Gratianus labitur, statuendo iuramentum illicitum seruari posse. Verū in eo rectē sentit, quod matrimonium contractum post uotum censet nō esse rescindendum. At Glossa diuersum statuit. Nam si uotū, inquit, præcessit iuramentum, potius uotum seruabit, q̄ iuramentū sequens, Vt habetur extra. Qui clerici uel uouentes, cap. Rursus Qua uerō lege prohibeantur ministris ecclesiæ matrimonia, quamuis antea explicauit Grat. priori decretorum parte, dist. 56. id tamen rursus hac posteriori parte 26. quæst. 2. ca. Sors, repetit, dicendo: Antequam Euangeliū claresceret, multa permittebantur, quæ tēpore perfectioris disciplinæ penitus sunt eliminata. Copula namq; sacerdotalis, uel consanguineorum (consanguineos appellat consobrinos, & similes) ne legali, nec euangelica, nec Apostolica auctoritate prohibetur: Ecclesiastica tamē lege penitus

Iuramenta
illicita nō
debent ser-
uari.

penitus interdicitur, & c. Quam mira est huius uiri cecitas? qui disciplinam posterioris ecclesie nostre, inquam perfectiorem appellet, quum omnia etate nostra quod attinet ad disciplinam, uideamus collapsa. Verum ne simus equo longiores, omisso Gratiano, cum eius decretis, librum Decretalium aliquantisper excutiemus.

Ecclesia parum uo est perfectior priori. Alexan. 3.

Primum occurrit, de Conuersione coniugatorum, capite primo, ubi Alexander Tertius ita rescribit. Vtrum laicus uxoratus, qui presentibus sacerdotibus & monachis, ignorante episcopo, de licentia & permissione uxoris monasterium ingressus, professionem fecit, uxore in seculari habitu remanente, neque transeunte ad religionem, aut perpetuam continentiam uouente, ab episcopo suo possit ad thorum reuocari uxoris, an illa compellenda sit continentiam obseruare. Dicimus quod nisi uxor ad religionem transierit, aut perpetuo castitatem seruare promiserit, uir potest, et debet de monasterio reuocari. Glossa inquit, hoc intelligendum, quando talis est uxor, quae non possit in seculo esse absque suspitione fornicationis, & c. Si causa haec uera est, ut uotum irritum fiat, propter uxoris incontinentiam, cur etiam non debeat locum quoque habere, quando ipse qui uouit, aut labitur, aut aduritur? Certè non equum est, ut quispiam salutem suam praesalute alterius negligat. Nec moueri debemus, quod uotum dicitur nuncupatum episcopo in scio: quia eius conscientiam & efficaciam uoto non attribuit. Et quum iste assentiente uxore monachis & praesbyteris astantibus uitam monasticam sit professus, non tantum uotum, sed etiam solenne uotum nuncupauit. In eodem titulo de Conuersione coniugatorum, capite secundo, idem Alexander ita scribit: Verum post consensum legitimum de presentilicito est alteri, altero etiam repugnante, eligere monasterium

sic ut quidam sancti de nuptijs uocati fuerunt, dummodo carnalis commissio non interuenerit inter eos, & alteri remanenti, si commonitus continentiam seruare noluerit, licitum est ad secunda uota transire. Quis hic non miretur, matrimonium, institutum sanè Dei, sic facile dissolui propter hominum inuenta? Nemo ignorat iure diuino atque humano per uerba, ut loquuntur, de presenti, matrimonium contrahi, & firmum esse. Quomodo ergo separet homo, quod Deus coniunxit? Neque refert, si copula carnis, ut iste loquitur, non intercessit: quia non ea, sed consensus utriusque coniugum legitimum facit matrimonium. Quod si non ita esset, inter Mariam & Iosephum non fuisset coniugium, quod tamen & diuinæ literæ, & omnes Patres, omnesque scholastici theologi, uerum matrimonium fuisse testantur. Adhæc ita colligo. Si licet institutum Dei propter hominum inuentum dissoluere, cur à maiori non liceat monasterium deserere, quod ab hominibus inuentum est, ut matrimonium contrahamus? quod à Deo non tantum est inuectum, sed etiam ijs, qui aduruntur, aut non continent disertis uerbis iussum: Præterea uideant ipsi, quomodo concedant alteri coniugum, qui extra monasterium relinquitur, ut nouas contrahat nuptias. Nam certè quum prius uinculum maneat, si hoc fiat, congeminabuntur matrimonia. At de uoto & uoti redemptione capite. Ex multa. §. In tanta. Ausus est Innocentius concedere uiris, ut uotum peregrinationis Hierosolimytanæ suscipiant inuitis, & reclamantibus uxoribus: & ita scribit: In tanta quoque necessitate populi Christiani, ne terræ sanctæ impediatur subsidium, uiri præter uxoribus assensum huius peregrinationis propositum uouere libere ualent: & quod uouerint, libere

liberè adimplere. Vt autem consentiant, sunt attentius
 commonendæ. Aduersatur hoc decretum ex professo il-
 li sententiæ Pauli, quæ habetur ad Corinthios priori,
 capite septimo. Vbi licet dederit coniugibus, ut aliquan-
 tisper interdum abstineant à coniugali actione, id ta-
 men permittere noluit, nisi ex consensu. At iste uel ab in-
 uitis abstinentiam extorquet. Pugnatur etiam cum de-
 creto, Si tu abstines 27. quæstione secunda, & ab Au-
 gustino desumptum est, in libro de Adulterinis coniu-
 ugijs, ita scribente: Si tu abstines sine uxoris uolunta-
 te, tribuis ei fornicandi licentiam: & peccatum illius
 tuæ imputabitur abstinentiæ. Resistit item alteri ca-
 noni, ut habetur, trigesimo tertio quæstione quinta ca-
 pite, Quod Deo: qui textus quoque Augustini est, qui
 ait, Mulieri quæ consensu mariti sui uouerat: Nam si
 nunquam tenuisses eius assensum, numerus nullus te de-
 fendisset annorum. Sed quid hinc agas? Papa neque
 Paulum, neque decreta, neque Patres, quum uisum fue-
 rit, quicquam moratur. Glossa quoque in hoc loco scri-
 bit, casum hunc esse specialissimum, ut uir possit uo-
 uere præter uxoris licentiam. Et colligit hinc, aliquod
 uotum reperiri maius uoto continentie. Nam propter
 continentiam non licet uel ad tempus uouere inuita con-
 iuge. Hoc ideo libenter commemoro, ne canonistæ, uel
 scholastici dicant, ut quidam aiunt, ob id non posse rela-
 xari uotum continentie, quod ea nihil maius, aut me-
 lius inueniatur. In titulo, Qui clerici, uel uouentes
 matrimonium contrahere possint. In ca. Veniens, scri-
 bit Alexander Tertius, Marcum heremitam sibi pro-
 posuisse, Ioannam cuidam uiro absenti fidem data, se nuptia-
 ram promississe, quæ postea de seueritate ipsius plura
 audiens, ei noluit copulari. Cùm itaq; timeret ne illi nubere

An citra con-
 sensum u-
 xoris uir
 possit uo-
 tum pere-
 grinatio-
 nis suscipere.

Augustin.

An sit ali-
 quod uotum
 maius uoto
 continentie

Alexand. 3.

cogeretur in manibus illius heremite continentie uotū
promisit, non tamen locum aut uestem mutauit. Quo au-
dito, uir aliam sibi copulauit. Nos itaq; attendentes tutius
esse, ut præfata mulier post fidem & uotū simpliciter ob-
latum, matrimonium contrahat, quam fornicationis rea-
tum incurrat. Mandamus quatenus, si plus non processit,
sibi de fide mentita, & uoto uiolato, congruam satisfactio-
nem indicas, & ei cui uult, nubendi in Domino licentiam
tribuere non postponas. In hoc decreto hunc Alexandrū
probo, quod post uotum nubendi facultatem concesserit.
Sed id nequeo nō damnare, quod cum ille arbitretur, pec-

Papa uotū
cōtinētia
relaxat.

catum committi uotum uiolando, & ob eam causam isti
mulieri satisfactionem iudici iubeat, ei tamen cōcedat sa-
cultatem nubendi, & quod ex eo sequitur, uoti nuncupa-
ti uiolandi. At Glossa in hoc loco reddens rationē, cur pa-
pa uotum hoc relaxarit, ait: Quia perturbato animo uo-
tum emisit: extimuit quippe seuitiam uiri, cui fidem dede-
rat. Ac similem casum adducit ex Decretis .17. q. 2. ca.
Gonsaldus. Is fuit presbyter, qui semel infirmitate ac fir-
uore passionis pressus, se monachū fore promisit: at post
quam conualuit, noluit fieri monachus. Ibi Papa iubet, ut
in suo statu sinatur esse, nec ei molestia ulla ob huiusmodi
promissionem fieret, si perturbatio animi post uotum ir-
ritum facere, ac corporis infirmitas, cur non idem conce-
ditur ijs, qui uouent imprudenter, nec intelligunt, ut sue
saluti parum consulant, utq; talia uota diuinis legibus ad-
uersentur? Certē grauior est infirmitas animi, quā cor-
poris morbus: & ignorantia non minus, quā perturba-
tio excusat. At in sexto, de Voto & Voti redemptione di-
stinctio ponitur solennis uoti & simplicis, ut sciatur, solē-
ne uotum impedire, ne matrimonium sic contrahatur,
firmum sit & ualidum: simplex uerò nuptias postea initas
minimē

Votum so-
lēne & fim-
plex.

minimè rescindere. Textus est Bonifacij Octauj, qui etiam declarat, quibus de causis uotum solenne appelletur, & ait: illud solum uotum debere dici solenne, quantum ad matrimonium postea contractum dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri ordinis, aut per professionem expressam, uel tacitam factam alicui de religionibus per sedem Apostolicam approbatis. Ista indicant solennitatem hanc uotum esse commentitiam. Quia monachorum ordines inuenta sunt hominum, & ministrorum gradus natura sua non habet cælibatus uotum annexum. Neq; Bonifacius ab initio suæ huius constitutionis hoc inficiatur, quum dicat: Nos igitur attendentes, quòd uoti solennitas ex sola constitutione ecclesiæ est inuenta, &c. Quod idcirco monere uolui, ut intelligamus, cum facta sit hæc distinctio, & uni conceditur, nempe, ut matrimonium non rescindat, alteri quoq; concedendum esse. Quod ne quis credat me finxisse, audiat Cælestinum 3. cap. Rursus, qui clerici uel uouentes matrimonium contrahere possint, qui ait: Arbitramur quòd simplex uotum apud Deum non minus obliget, quam solenne, &c. Hæc istius papæ uerba indicant quanti ea distinctio facienda sit. Neq; prætereundum est, quod hic adiecit Glossa. Et collige, inquit, ex hoc, quod hic dicitur uotum ex sui natura non dirimere matrimonium, sed constitutio facta super uoto, &c. Disputet ergo iam Smythæus uel usque ad rauim cum istis Canonistis, & Patribus, an contracta post uotum, uel ex Dei uerbo, uel ex natura uoti debeant rescindi. Ut audimus, aliqui eorum negant, iste uerò cum nonnullis alijs affirmat: quanta cum ratione, aliorum esto iudicium. Decreueram ab his Romanorum Pontificum Decretalibus iam discedere, nisi unum occurreret, quod illorum

Voti solennitas tantum ex ecclesiæ constitutione

Cælestin. 3.

Alexand. 3.

Ponunt
aduersarij
adulteria
inter leuio-
ra crimina

impietatem, atque peruersum iudicium maximè patefa-
cit. Ideòque id non iudi caui prætereundum. De iudicijs
Alexander Tertius in ca. At si clerici s. de Adulterijs,
pronuntiat, adulteriora ipsa inter leuiora seu minora cri-
mina censenda: statuitque ut episcopo liceat de illis post
aliquam pœnitentiam cum clericis, ut loquitur, dispensa-
re. Et hæc sunt eius uerba: De adulterijs uerò, & alijs
crimnibus, quæ sunt minora, potest episcopus cum cle-
ricis post peractam pœnitentiam dispensare, & c.

Huc rem perduxit uotum celibatus, ut adulterium, quod
Paulus testatur à regno Dei excludere, inter minora
crimina numeretur. Si minister post adulterium com-
missum, loco suo relinquitur, quomodo iuxta præce-
ptum Apostolicum bene audiet? Certè non tantum gre-
gi Christi, uerum etiam exteris grauissimo scandalo e-
rit. At ego quid hoc memoro, quum illi bonam famam, et
scandala, susque deque habeant? Nunc his omisissis, ad
scholasticos theologos accedendum arbitror, ut quid
nam isti hæc de re senserint, excutiamus: quorum prin-
ceps quum fuerit Petrus Lombardus, Magister senten-
tiarum uulgo appellatus, illum ante alios collocabo,
trigesima octaua distinctione, Quarti, sic ait: Votum
est testificatio quedam promissionis spontanea, quæ
Deo, & de his, quæ Dei sunt, propriè fieri debet.

Magister
sententia-
rum.

Sic iste uotum defuit, & ab eo uidetur ineptè addi-
tum, testificatio: quum uoti ratio tota consistat in i-
psa promissione. Testificatio quæ fiat aliquo externo si-
gno naturam uoti non mutat. Et in libro Numerorum,
quum de uoto agitur, nou uidemus ullam externam te-
stificationem requisitam. Pergit & uota distinguen-
do aliud commune facit, & aliud singulare. Commu-
ne illud arbitratur, quod omnes in baptismo faciunt,
cum

cum Diabolo, & pompis eius renuntiant. Singulare autem proprias aliquas promissiones respicit, ut continentiam, & similia. Præterea singulare uotum in priuatum, & solenne diducit: additque illos, qui priuatum continentie uotum fecerint, non debere matrimonium contrahere. Etenim si contraxerint, mortaliter peccant: non tamen separantur: quia probari non potest, quod occultè factum est, & c. Ut ratio hæc imbecilla sit, non est opus longa demonstratione. Quia sæpissimè accidit, ut uota priuata queant probari, & illi, qui uouerunt, se uouisse non diffitentur, & tamen horum matrimonia, quum fuerint contracta, in suo robore permanent, ut Augustinus testatus est, & in Decretis, ac Decretalibus, ut ostendimus, non semel est definitum. De his autem, qui solenniter uouent, eos ait, nullo pacto coniugium inire posse, quibus non solum nubere, sed & uelle nubere, damnabile est. Ad quam sententiam confirmandam, & Augustinum adducit, in libro de Bono Viduitatis, capite nono, & Apostolum quando ad Timotheum de uiduis scribit: quas damnari ait, quia continentie fidem primam irritam fecerunt, id est, uotum, uel in uoto uiolato fidem, quam in baptismo professæ sunt. Ista eò libentius recito, ut Smythæus rabula importunissimus clamare desinat, nos in eo loco per fidem intelligendo professionem Baptismi, peruertere nostra expositione sensum Apostoli. Iam hic uidet nostros homines illius interpretationis non fuisse inuentiones, cum illam Petrus Lombardus nunc afferat. Sed cum uelit, eos qui uouerunt, solenniter, si matrimonium contraxerint, separari animaduertit decretum Innocentij, quod habetur 10. cap. illius epistolæ sibi aduersari.

Id autem ut eludat, operæpretium est audire. Hæc sunt eius uerba: Non est igitur prætermittendū, quod Innocentius Papa de uidiuis & puellis decreuit, quæ Christo spiritualiter nubunt, si postea publicè nupserint, non eas admittendas ad pœnitentiam, nisi hi, quibus se iunxerant, de mundo recesserint. Si enim de omnibus hæc ratio custoditur, ut quæcunque uiuente uiro alteri nupserit, adultera habeatur, nec ei agendæ pœnitentiæ licentia conceditur, nisi unus de illis fuerit defunctus, quanto magis de illa tenenda est, quæ ante se immortalis sponso coniunxerat, & post hoc ad humanas nuptias transmigravit: Attē de quòd non solum coniugium talibus negare uidetur, sed etiam locum pœnitentiæ: quod non ita intelligendum est, ut aliquando excludantur à pœnitentia, quæ dignam pœnitentiam agere uelint: sed illæ non sunt admittendæ ad pœnitentiam, quæ ab incestus copula discedere noluerint. Quia post religionis propositum non potest Deo reconciliari per pœnitentiam, quæ ad habitum suæ professionis redire neglexerit. Tunc ille cui se iunxerat, ei defunctus erit, quum ab eius illicitis amplexibus hæc pœnitentia recesserit. Quum ergo dicitur, eas non esse admittendas ad pœnitentiam, nisi hi, quibus se iunxerant, de mundo recesserint, subaudiendum est, eis: tunc enim uiri eis de mundo recedunt, & defunguntur, cum ab eorum concubio istæ se alienant, & c. Ex his facile est uidere, ut Magister sententiarum decretum Innocentij torqueat. Ille sane matrimonium huiusmodi non rescindebat. Nam manebant hæ nuptiæ, quoad uiuebant coniuges: non tamen reconciliabantur ecclesiæ, nisi alter eorum fuisset defunctus. Non fuit Innocen. adeo impeditus lingua, quin dicere potuerit, huiusmodi tum demū ad pœnitentiam recipiendas, cum deseruissent coniuges, quos sibi afsiciuerant. Hæc itaq;

mittimus

mittamus cum sua uiolenta expositione: & queramus de
 scholasticis theologis, cur uotum solenne statuunt dirime
 re matrimonium, si contrahatur. Ex eis aliqui respondēt
 id propter scandalū fieri: alij uerò causā esse testantur ec
 clesie statutum. Postremò sunt, qui dicant, hoc ita esse, q̄
 solenniter uouendo corpus ipsum Deo exhibeamus, cum
 in uoto priuato illud tantum promittamus. Et hanc sentē
 tiā Thomas amplectitur in 4. Sent. scribendo, ubi ait, pro
 missionem factam de re quapiam non transferre à posses
 sore dominium eius, quoad eam re ipsa tradat, sed adhuc
 in eius potestate manere. Vnde cōcludit, quia simplex uo
 tum promissionem tantum continet, illud nō dirimere ma
 trimonium, quod sequitur, in quo ipsum corpus re ipsa
 coniugi traditur. Quo itaq; ad hoc, uidetur dicere, for
 tius esse uinculum matrimonij, q̄ uoti simplicis, cum in uo
 to simplici solum fiat promissio: in matrimonio uerò tra
 datur possessio. At in uoto solenni, quia non promittitur
 sed re uera datur, ut inquit, proprium corpus, neq; am
 plius in potestate uouētis remanet, ideo illud per matri
 monium non potest coniugi tradi, cum sit alienatum. Ca
 terum Thomae se opponit Scotus, & ait: Ita in simplici uo
 to corpus tradi, ut in solēni, Et decretalis, quam superius
 adduximus, in cap. Rursus, qui clerici, & qui uouentes
 contrahere possint: definit, simplex uotum apud Deum
 non minus obligare, q̄ solēne. At qui tuentur Thomā huic
 decretali respondent: quoad Deum utrinq; peccari, cum
 uiolatur uotum, siue illud simplex, siue solēne fuerit. Atq;
 ita concedūt parem utrinq; obligationem. Sed quoad ge
 nus pacti, & quidem inter homines, uel in facie, ut loquū
 tur, ecclesie magnum asserunt esse discrimen. Sic inter se
 se isti contendūt. Sed quod attinet ad diuinas litaras, quid
 uotum distet à promissione, quae Deo fiat, non potest de-

Scholastici
 quid sen
 tiant de uo
 to solenni.

Thomas

Leo.

Scotus

monstrari, quærun deinde scholastici, an in uotis possit fieri relaxatio. Et respondent, neminem uouendo posse se se subducere à potestate sui legitimi pastoris: qui si uiderit per nuncupatum uotum aliquod maius bonum impediri, potest, et debet uotum ipsum relaxare, uel, ut aiunt, dispensare. Quamobrem cōcludunt, relaxationem in uotis non esse faciendam, nisi ob boni assequutionem. Propterea dum quærun, an in uoto solenni castitatis dispensari queat, in respondendo à se inuicem dissident. Thomas in 4. Sent. refert, aliquos putasse, nullā hīc posse dari, uel ab ipso papa relaxationem: quia huiusmodi uotum nullā potest recompensationem habere alicuius boni excellentioris. Dicitur enim in Ecclesiastico cap. 26. Nō est digna ponderatio animæ continentis. Et hanc sententiam tuc-
 tur Glossa De statu monachorū ca. Cū ad monasteriū
 Sed Thomas ibi dissentit, & papam statuit posse relaxare
 quia bonum publicum multo melius est, q̄ priuatum. Unde si utilitas ecclesiæ, aut regni, aut prouinciæ hoc postulet, in uoto quantumlibet solenni potest fieri à Papa relaxatio. Sententiam uerò Ecclesiastici sic interpretatur, ut animæ continentis fiat collatio, non ad quoduis boni generis, sed confertur, inquit, cum sanitate corporis, eiusq; uita, & externis cōmodis, propter quæ nullus excusatur ab eius uoti obseruatione. At non manet in sua sententiā Thomas. Nam in secunda secunda quæst. 82. cū hac de re agit, secum pugnat: neq; aliam ut uideo, adducit rationem quam papæ respōsum, qui loco iam adducto de statu monachorum, ca. Cū ad monasterium, ita inquit: quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeo est annexa regulæ monachali, ut contra eam, nec etiam summus pontifex possit licentiā indulgere. Et addit Thomas ut in Leuit. scribitur cap. 27. quod semel sanctificatū est
 Domino.

Quomodo uotum possit relaxari.
 Thomas

Glossa decretalium:

Thomas pugnat secum.

Domino nō potest ultra in alios usus commutari: ideoq; homo Deo consecratus quandiu uixerit, nō potest cuiuspiam autoritate consecrationem abdicare. Solennitas autem uoti consecratio quædam est uouentis: propterea per nullum prælatum, qui solenniter uouit à consecratione atq; à castitate potest subduci. Atq; hoc peculiariter intelligit de monastica professione suscepta. Quia licet sacris ordinibus uotum solennæ castitatis adiungatur, tamē id non est per se, uerum, ut ait, per accidēs. Ideo ibi papæ facultatem concedit uoti huiusmodi relaxādi. Sed quoad monachos penitus negat. Ad id uerò quod afferebatur de publico bono, quod priuato sit præferendum, respondet istis publicis utilitatibus rebus humanis esse prouidendū non aut̄ illis, quæ Deo consecratæ sunt, & mundo iā mortuæ, ita, ut in usum humanum à Deo conuertantur. Verū si ratio hæc ualeret, non fuerat concedendū, ut aurei calices ecclesiarum, qui iā, ut isti uolūt, sunt consecrati, uēderentur pro redemptione captiuorum: quod tamē & Patres, & canonica decreta fieri uoluerūt. Sed quid ego de his uasis loquor? Nōne hodie uidemus episcopos & cardinales, quos maximè sacros iudicant, relicta prædicatione uerbi Dei, sacramentorū administratione, atq; cura ecclesiarum, solū addictos esse ad aulas gubernandas, ad regna, prouincias & respub. administrandas, nec nō ad milites conscribēdos, et bella gerēda, propterquam multò magis, q̄ propter nuptias à statu sacrarum rerum homines alienantur? Petrus de Palude primò sententiam illam refert, quæ statuit uoti relaxationem, quodū bonum publicum priuato sit præferendum: & assentitur addendo, multo meliorem, Deo que acceptiorem esse obedientiam, quàm castitatem, uel calibatam. Ideoq; Papæ iubenti eiusmodi nuptias ijs, qui uouerunt, esse obtemperandum.

Petrus de
Palude.

Bonaue-
tura.
Albertus

At Bonauentura dubitat, & post multa in eam partem inclinat, ut in hoc uoti genere non possit relaxatio cōcedi. Albertus etiam Magnus itidem negat, et exemplū af-

Apocry-
pha histo-
ria Matth.

fert Beati Matthæi Apostoli, qui cum Deo cōsecrasset uirginem Iphigeniam regis cuiusdam filiam, alterq; rex uicinus illam uxorem cuperet, pollicereturq; se cum toto re-
gno fidem Christi recepturum, si uoti compos fieret, no-
luit ullo pacto assentiri. Prætulit ergo uotum solenne pu-
blico ecclesiæ ac Euangelij bono. Quo tamē a sacros or-
dines dispensationem admittit. Videturq; Thomas senten-

Henricus
Gandauen-
sis.

tiam suam posteriorem ab Alberto, quem præceptorē ha-
buit, accepisse. Henricus autem Gandauensis quæst. 5. sui
Quodlibeti acriter contendit, posse uotum huius generis
relaxari: negatq; fortiter, nil inueniri melius castitate: atq;
id ex diuinis literis probat: Nam Paulus ad Corin. epist. 1.
cap. 7. concedit ijs, qui sunt in matrimonio, ut ex cōsensu
ad tempus abstineant, quò uacent precibus. Quamobrem

Aliquid est
melius cō-
tinentia.

inquit, cum ad preces continentia dirigatur, ceu in fine,
illæ sunt ea meliores. Nā finis perfectione medijs præstat.
Quæq; Deo consecrata sunt, fatetur non debere ab eo a-

Cardinalis
Caictanus

alienari: sed intelligit in usus malos ex uitiosos, in quorū
sensu matrimonium non est collocandum. Ecclesiastici ue-
rò sententiam, nimirum continentis animæ, nullā esse pō-
derationem, sic interpretatur, ut per continentiam intel-
ligat, omnes in uniuersum uirtutes. Nulla siquidem uirtus
est, quæ ab aliquo uitio nō reuocet. Caietanus autē Cardi-
nalis inter scholasticos propemodum recentissimus, tum
in Comment. super secundā secundæ Thomæ quæst. 33. tū
in suis Quodlibetis disputando, An papæ liceat uotum so-
lenne continentie relaxare, a suo Thoma discedit, atq; fa-
tetur id licere: quodq; attinet ad decretalem, de Statu mo-
nachorum. Quum ad monasterium: ait, conditorem ca-
nonie

nonis posse canonē interpretari, ac mitigare. Ostenditq; interpretationem seu mitigationē, haud semel per pontifices Ro. adhibitā. Nam autoritate illorum rex Aragonum ex monasterio eductus est, in quo diu fuerat: & non tantum ad regnum promotus, uerum etiam matrimonio iunctus. *Quin & Celestinus 3.* Constantiam Rogeri Siciliae regis filiam, quae Panhormi uitam sanctimonialiū professa erat, e monasterio iam quadragenariā euocauit, collocauitq; in matrimoniū Henricho 6. eius nominis imperatori: unde postea natus est Fridericus secundus. Ad id uero quod Albertus Mag. attulit de S. Matthæo apostolo, & de Iphigenia, respōdet cum Apocrypha ista sint, nullū habere momentū ad oppositam sententiā confirmandā. Decretalis uerò iam allatae interpretationē huiusmodi cōminiscitur: non posse quidem uel Papae autoritate fieri, ut monachus, qui statum suū retineat, relaxetur, quò aut propria queat possidere, aut matrimoniū cōtrahere. Sed id Papae licere ait, ut ex monacho nō monachū faciat. Et de re cōsecrata Deo, q. alienari iam non possit, fatetur, nisi magna necessitas intercesserit: nam tum potest mutari, in bonum quidem, nō in prauum & corruptū usum. Additq; Celestino 3. qui relaxauit Constantiā, ut iam expositum est, Innocentius 3. successit, author illius Decretalis, Cum ad monasteriū. Nec est uerisimile, inquit, latuisse illum, quid erga Constantiam egerit eius praecessor. Erat enim tum temporis Cardinalis, nuptiaeq; illae celebres fuerunt, neq; in angulo, sed Romae imperator matrimoniū illud, ut loquuntur, consummauit. Quare non est credendū istum Innocentiū, qui successit, sua noua decretali cōstitutione uoluisse damnare quod Celest. 3. eius praecessor fecerat. Quare cōcludit Caietanus, eum intellexisse rescriptū suum hac adhibita moderatione. At, pace Caietani dixe-

Relaxarunt
Papae uerū
cōtinentiae
monachis.

Innocētius
3. successit
Celestino.

Papę impu-
denter ab-
rogant de-
creta suo-
rum præ-
cessorum.

Nota horū
theologo-
rum præ-
posterum
iudicium.

An' ordo sa-
cer ex insti-
tuto suo
matrimo-
nium impe-
diat.

rim, in eo uehementer errat, quòd existimet papam tanti pudoris esse, ut caueat ne sui præcessoris Decretum aliquod abroget. Historiæ Romanorum Pont. & eorundem epistolæ, luculenter docent, ut sæpius hoc factum fuerit. Sed quis non miretur Caietanum hunc unà cum suo Thoma definire, irritum esse uotum, & omninò relaxandum quo aliquis obstrinxerit se ad abstinendum à certis quibusdam cibis, cum experiētia docet, id cedere in periculū uitæ. Certè debuerant multò magis iudicare irritum, & omninò relaxandum cælibatus uotum, si ad interitum animi uergat. Etenim animus longè pluris quàm corpus faciendum est. Vult ad hæc Caietanus sacros ordines, matrimonium tantum de congruo, ut loquitur, impedire, hoc est, non ex natura sua, sed Ecclesiastico iure. Et presbyteros, diaconosq; scribit priusquam Decretum illud fieret, potuisse contrahere. Idq; probat ex dist. 32. Gratiani, A. l. iter Orientalis: ubi scribitur presbyteros & diaconos in Oriēte matrimonio copulari: taxatq; illos, qui exponūt, copulato matrimonio uti: atq; ostendit, fictum id esse cōmentum. Et addit, si natura sua ordo sacer coniugiū prohiberet nūquam potuissent ordinati relaxari ad nuptias. Verūm theologi et Canonistæ unà secus definiunt. Deinde aliud argumētum adfert. Si ordo sacer post contractū matrimonium suscipiatur, illud non dirimit: igitur neque contrahendum impedit. Quia maior uis exigitur, ut contrahendum matrimonium impediatur, quàm ut iam contractum dirimatur. Et deniq; concedit, posse papam etiā sine causa iusta, ut loquitur, dispensare, ut presbyter uxorem ducat. Ac illud matrimonium iudicat omnino ratū habendum esse: tametsi papam dicat, si iusta non intercesserit causa, peccare. At si ratione id agat, neq; ipse peccat, neq; matrimonium uitiosum est. Quæ hucusq; addu-
ximus

ximus de scholasticis theologis satis esse arbitror. Nā sufficiunt ad ostendēdū, quā illi dum inuenta hominum sequuntur, & à uerbo Dei, & inter sese dissentiant. Quin & aliquando, sicut docuimus, aliquis eorum secum discretis uerbis pugnat. Nūc id tantum superest, ut ex historijs aliqua huc spectantia colligamus. Mitto Apostolica tempora, quibus, ex diuinis literis manifestè apparet, licuisse in coniugio sacra ministeria exercere. Et ad id uenio, quod Paphnutius locutus est in concilio Niceno, ubi consuetudinem inquit ministrorū Ecclesie cum uxoribus esse castitatem. Quia episcopi, presbyteri, & diaconi adhuc uxores habebant, idē à quibusdam in ea synodo coepitum est agi, ut matrimonia illa diuiderentur. Quid enim opus fuisset id tentare, nisi fuisset illuc usque concessum? Eusebius post hæc libro sexto cap. 42. de Nilo quodam episcopo non uulgaris nominis & sanctitatis, scribit eum, dum seuisima persecutione omnes dispergerentur, unā cum sua coniuge fugisse. Libro quoque 10. cap. 5. idem tradit, Spiridonem fuisse coniugatum, & de matrimonio suscepisse liberos, & addit, non propterea illum fuisse minorem quoad sanctitatem ceteris episcopis, qui tum temporis floruerunt. Quod ascribere non oportuisset, si uxorem in episcopatu secum non habuisset. Sed uoluit Eusebius illis uerbis tantam huius uiri sanctitatem ostendere, ut nec matrimonio quicquam fuerit imminuta.

Aliqua ex historijs.

Nilus episcopus.

Spirido episcopus.

Socrates. Iustinianus.

Socrates quoque libro 1. ca. 2. sue historiae multos tradit in ipso episcopatu liberos procreasse. Iustinianus imperator ad hæc, quæ sunt alioqui Canonū Ecclesiasticorum obseruator acerrimus, in collatione secūda tit. 6. in authenticis presbyterorū, et diaconorū matrimonia, si ea cōtraxisset, nō rescindebat. Sed tantū, quia iā Papæ tyrānis eius tēpestate inualuerat, eos à sacro ministerio remouebat

Albertus
Crantzus.

Nauclerus.

Cuius tamē legi, ut Gratianus testatus est, Ecclesia Orientalis nō est assensa. Albertus quoq; Crantzus in sua Saxonia lib. 4. cap. 43. narrat, conciliū centum & triginta episcoporum Maguntia sub Henrico 3. habitū, cui Leo 9. interfuit, ubi coniugia ministris Ecclesie sunt interdicta. Et Nauclerus generatione 36. Anno Domini M. LXX. commemorat Gregorium 7. qui prius Hildebrandus dicebatur monachus Cluniacen. Romæ conciliū instituisse: in quo decretum de celibatu ministrorum promulgauit. Sed cum clerici per Germaniam reluctarentur, Maguntia magno cum periculo res gesta est, ita ut Archiepiscopus Moguntinus cogeretur deniq; ab incepto desistere. Tanta enim seditio est orta, ut clerus tum ab Archiepiscopo, tum à legato uix manus abstinuerint, atque Huldrici episcopi Augustani quædā epistola extat hac de re ad Nicolaum pont. Rom. eius nominis primum, qui de celibatu clericorum decreta magno studio promulgabat, qua cum illo pontifice Hudalricus uehementer exposulauit, quod uxores à clericis adimeret, cum Deus in lege sua coniugia sacerdotib. concesserit: neq; hanc suam uoluntatem unq; reuocarit. Et addit, Christū in Euangelio cōmendasse quidem eunuchos, qui propter regnum cælorū se castraret, sed addidisse, non omnes huiusmodi uerbum capere. Qui potest capere, capiat. Obiecit etiam Apostolum, qui scripsit ad Corinth. De uirginibus præceptum Domini nō habeo. Quāobrem potius iudicauit Romani episc. fuisse clericos ad continentia hortari, quàm tyrannide uiolenta illos matrimonio abdicare, cum ex ista prohibitione libidinibus nefandis atq; spurcissimis Ecclesia cōtaminetur. Polydorus Vergilius in uita Edgari regis lib. 6. scribit, sacerdotes in Anglia suas uxores usq; ad illud tempus, hoc est ad annum à Christo nato 960. retinuisse, contra atq; Pa-

Polydorus.

tres paulo antè decreuissent. Henricus etiam Huntingtonensis lib. 7. refert anno Domini 1101. sub Henrico rege eius nominis primo, Anselmū archiepisc. Cantuarien. Londini habuisse conciliū, quo clericis Anglis nuptias quæ illis antea non erant prohibita, interdixit: idq; nonnullis ad puritatem, mundiciq; uitæ pertinere uisum est: alijs uerò admodum periculosum, qui uerebantur ne, dum uitam puram ultra uires appetere, in horribiles immundicias ad Christiani nominis turpissimū dedecus inciderent. Anno deinde 25. eiusdem regis Henrici Ioan. Cremenensis cardinalis pontificis Ro. legatus, quum in Angliam uenisset, Londini synodum episcoporum coegit: in qua cum de uxoribus clericorum seuerissimè tractaret, inter cætera dixit, summum esse scelus, sacerdotè à latere meretricis ad corpus Christi conficiendū surgere. Sed ipse cum die proximo corpus Christi in sua Missa cōsecisset, nocte quæ sequebatur, in adulterio deprehensus est: & ita deprehensus, ut negare, aut excusare factū non potuerit. Quare summus honor, qui ei prius ubiq; habebatur, in summum dedecus illius recidit. Rediit ergo Roman Dei iusto iudicio graui cum ignominia. Deniq; anno 29. eiusdem Henrici causa hæc rursus Londini acta est, de uxorib. adimendis clero: atq; post multa, censuerunt episcopi, rem cōmittendā esse regi: qui post grauem & diurnā deliberationē effecit, ut clerus uxores à se pecunia, & ea nō parua redimeret Lambertus præterea Schaphnaburgēsis monachus in sua historia scribit, Germaniæ atq; Galliæ episc. usq; ad Hildebrandum, qui fuit anno Domini 1074. suas uxores retinuisse. Quin etiam cōmemorat episc. Treueren. habuisse in matrimonio sororē regis Ruzenorū. In annalib. Francorum Chilpericū regem, qui prius Daniel appellabatur, legitur ex presbytero factū esse regem, necnō Orosij li. 7.

Io. Cre. car
dinalis Pa-
pæ legatus.

Clerus uxo-
res à rege
redimit.

Lābertus.

Episc. Tre-
uerensis.

Chilpe. rex
Francorū.

cap. 28. narratur Constantem ex monacho imperatorem factum fuisse. De Cōstantia uero moniali, quomodo à Cælestino 3. iuncta fuerit matrimonio cū imperatore, prius diximus. Ex historijs complura potuissent alia colligi: sed hæc, ut iudico, sufficiunt. Quamobrem pauca hæc solum existimo addenda: Panormitanus magni nominis Canonista abbas Siculus, & deniq; Cardinalis Ecclesie Romanæ scripsit, clericos non astringi iure diuino ad continentiam. Et mox fatetur se arbitrari, pro salute animarum, & Ecclesie honestate, salubre admodum esse statuere, ut clerici nolentes continere, possint contrahere: quod experientia doceat, ex lege illa continentie effectum prorsum contrarium sequi: quum hodie clerici spiritualiter non uiuant, nec mundi sint, sed illicito coitu se commaculent grauissimo eorum peccato: ubi cum propria uxore castitas esset. Quare deberet Ecclesia instar boni medici agere, qui cum experientia docente, medicinam animaduertit potius officere quàm prodesse, eam tollit. Aeneas Syluius, qui postea fuit Pius 2. ut Platina inquit, aiebat, uxores magna ratione clericis ablatas; maiori esse illis restituendas. Idemq; in epistola quadam ad Ioānem Fontem scripta, quæ numero est 321. scribit, Papam, si uellet, posse continentiam clericorum relaxare. Iacobus Faber Stapulensis in commentarijs suis, commemorat ad tempora usque Gregorij 7. adhuc presbyteris & diaconis licuisse uxores habere, atq; ritum apostolicum nuptiarum Græci retinuerunt, neq; adducti sunt ut mutarent, quum tamen Ecclesie aliæ agamiam receperint. Vnde clerici incontinentia lapsi, in pedicas diaboli inciderunt. Erasmus denique in priorem ad Corinth. cap. 7. ait, etate Pauli cum innumeris ethnicis perpauci essent Christiani, fortasse commodius erat, à matrimonio abstinere. Nunc muta-

tis rebus, haud scio an magis expediat sanctum conu-
 bium, & immaculatū thorum sanctè pureq; colere, etiam
 sacerdotes, si qui non continent, quando horum tam in-
 gens ubiq; numerus est, &c. At uerò quum ab initio libri
 huius tria sin pollicitus primū ut ex diuinis literis de nu-
 ptijs & uotis Smythæo responderem: alterum, ut ex Pa-
 tribus adferrem, quid ijs de rebus senserint, & in quibus,
 uel mihi uel aduersario meo suffragati fuerint: postremò,
 ne lectores auctoritatem Smythæi pluris quàm mereatur
 facerent, recepi me de illo quoq; scripturū. Duo illa prio-
 ra iam ad umbilicū perduxi: non quidem eo acumine, co-
 pia & eruditione qua tractari possent, sed quantum pro-
 sua bonitate Deus largitus est. Et credo fore, ut pij corda-
 tiq; lectores ex his quæ scripsi, quæstionem hanc uel intel-
 ligant, uel occasionem accipiant addendi plura & melio-
 ra, quibus ea sententia quam defendo confirmetur. De-
 tertio uerò atq; ultimo lectorem admoneo, ne à me multa
 expectet. Nam, ut modò in mentem uenit, si hoc hominis
 portentum suis coloribus pingendum susciperem, iustus
 libri modus excederetur: & multa dicere cogerer, quæ, li-
 cet, quum uera sint, & illum audire conueniat, me tamen
 ea saluo pudore scribere non decet. Quare pressis ac taci-
 tis omnibus his quæ ad turpitudinem eius uitæ spectant,
 id solum attingā, quod, si uel sanctissimis moribus esset or-
 natus, quiddam in eo est quod iure posset scriptis eius om-
 nem fidem abrogare. Id autem est, ingenium eius inconstan-
 tissimum, & animus uento quolibet leuior.

Si quid aliud, certè cōstantia maximè decet theologū.
 Ut firma sunt, & certissima quæ tractat, ita in ipsis cum
 oportet, ut in petra & in rupe quadā minutissima immo-
 biliter stare. Qui animo sic nutāti sunt, ut ad omnem
 uentum ratem accommodent, non sūt prophetae Domini.

Ioannem Christus laudans, ipsum ait non fuisse arundinē uento agitatā: & ad Ephesios admonemur, ne omni uento doctrinā circūferamur. Ad Corinth. quoq; posteriori Paulus ait, Nuncubi leuitate sum usus? Aut num quæ cogito, secundū carnem cogito? ut sit apud me, quod est etiam etiam: & quod est non non? Imò fidelis Deus quod sermo noster erga uos non fuit etiam & non. Nam Dei filius Iesus Christus, qui inter uos per nos prædicatus est per me, & Syliuanum, ac Timotheum, non fuit etiam & non, sed etiam per ipsum fuit. De hac præterea constantia Deus Hieremiã cap. 1. admonuit, dicens: Ecce ego cōstitui te hodie quasi ciuitatē munitam, columnā ferræam, & murum æneum. Huius cōstantiæ Smythæus ne micam quidem unquam habuit: unde in fidei dogmatis adeò frequenter sententiam mutauit. Que animi eius instabilitas citra controuersiam indicat, uel, illum ea, de quibus loquitur, & quæ affirmat, nō intelligere: uel, si utcunq; intelligat, erga causam parū affici. Quorū unum imperitiæ, alterū uerò impietatis adscribitur. Atq; si aut semel, aut iterū uariasset in fide, potuisset fortasse, quāuis non citra grauissimū eius uitiiū dissimulari. Verū à seipso tam sæpè discessit, ut nunq; apud seipsum uerè fuisse possit credi. Vnde nō Smythæus dici debet: sed meretur ut Oxonij doctor Vertumnus, aut doctor Proteus à suis papisticis sodalib. iusto cōgruoq; nomine salutetur. Nam primo tempore sophisticè cum alijs scholasticis theologis professus est: & à superstitionibus iactabundè magis quàm fortiter stetit, ut à monachis & abbatibus in clientela retineretur. At paulò post coram reuerendissimo domino, D. Latimero sanctissimo uiro, & tum grauissimo Vigornienſi episc. nunc uerò martyri nobiliss. magna cōtentione iustificacionem per solam fidem absq; operibus publicè in scholis docuit.

De Sm.
Hæc quæ
lib. 6. f. 6.

DE VOTIS ET CAELIB. " 613

Hac arte quæsiuit bono & uenerando patri seipsum insinuare, ac per illum regie maiestati commendari. Sed eo digresso, ut reconciliaretur doctorib. & abbatibus, quos offenderat postridie in auditorio publicè sententiam mutauit: deinde, cum sub inclytæ atq; sanctissimæ memoriæ Edouardo rege, quo pro illa etate sol nunquam melior è principem uidit, pietas in regno Angliæ, ac euāgelica doctrina instauraretur, audebat faber iste mendaciorum sese ueritati opponere. Exciderantq; illi scripta quædam et dicta per imprudentiam, quæ reuera ferri non debebant. Ad quorum defensionem uocatus, cum ea tueri non posset, tum Londini ad crucem Pauli, tum bis Oxonij è suggestu pro sua constantia palinodiam cecinit. Verum neq; sic in sententia permansit. Non enim ferre poterat se à theologica professione summotū: neq; illi ueniebat in mētē, q̄ theologicæ professioni ἀλλοτρίος allos doctor parum conueniat. Proinde cum permulta uariâq; mouisset trans mare aufugit. Louanij diu esse non potuit. Lutetiā uenit, cœpit docere publicè, sed frigit: nam quò diutius peregrinabatur, eò doctrina eius in deterius proficiebat. Ad extremum se in Scotiam contulit, ubi cum aliquantum fuisset, cœpit eum tædere. Quare ut suæ fugæ mederetur, ad solitum remedium confugit, nimirum ad inconstantiā: & ad Reuerendiss. in Christo patrem & dominum D. Archiepiscopum Cantuariensem Thomam Crammerum, singulari pietate ac doctrina insignem, quæ honoris causa nomino, scripsit: Illi enim incomparabili pastori, ut Ecclesia Anglicana maximè debet, ita ego propter eximias illius uirtutes, & erga me eximia merita, sum perpetuò deuinctus. Ad talem, inq; præsulem scripsit, & quidē ualdè supplex: promittebatq; se posthac religioni, quam Edouardus rex propagabat, & Anglicana Ecclesia pro-

fitebatur, non solum obsequentem & morigerum, sed etiam strenuum propugnatorē fore. Quae hucusq; retuli, certis et firmissimis testimonijs comprobabo: adducamq; non alienos testes, sed propria eius uerba: quod appareat, eum, quod se toties palynodijs in uiam restituerit, non solum multoties errasse, uerum etiam sine mente loqui plerumq; consueuisse, et nunquam propemodum pensi habuisse, quid assereret, quid uerē diceret. Porro qui sic facti sunt, negotium religionis proferio non habent. Et iustae causae si quando eam defendendam susceperint, minime afficiuntur, sed suis diatribis et palynodijs modo in hanc, modo in illam partem editis de ueritate se ipsos et ut Madianitae proprijs ipsorum gladijs concidunt: nec mirum, quia Gedeonem, et populum Dei, ueritate, inquam, et Christi sanctam Ecclesiam oppugnant, dum tantum pecunias uentrem, et quae sub uentre sunt consecrantur. Neque illorum quicquam, refert, si ex eodem fonte dulce et amarum propinent, ex ore suo frigidum et calidum spirent. Atque si mutabilitas haec sententiae animique in constantia, tantum ipsi Smyt. noceret, ferri, ac dissimulari utcumque, posset. Sed omnibus ferre nocet. Quid enim ijs exemplis offensus populus apud se iudicat aliud, quam theologos impostores esse, qui pro libidine fidei dogmata dicant, negent, propugnent, destruunt, figant, refigant, et mille modis pro temporum et commoditatis occasione in re sacra, et diuinis literis ludant? Quo damno quidnam, obsecro, grauius, aut exitius Ecclesiae potest accidere? Quando, Smyt. a tempore quo primum doctor esse coepisti, ualuit quisquam intelligere, ac certo scire, quidnam ex animo, et serio doceres, quid uerē de questionibus hodie controuersis crederes? Certum nunquam. Nam ut Proteus in omnia hucusq; te uertisti, et omnibus ad eorum exitium, non aedificationem omnia fieri conatus es. Quapropter hoc tuum institutum demigrandi frequenter a te ipso, ita ut modo sis

dō sis togatus, modō palliatus, chamæleon, et polypus nul-
 lo modo est excusandū. Nā si nolens, et imprudens ita fa-
 cis, te rerum theologicarū semper imperitū fuisse osten-
 tas: at si talis es data opera, quod utendū foro cēseas, iā
 nō theologus, sed circumsforaneus haberi debes. Postre-
 mō cūm ijs perpetuō uerferis palinodijs duab. sellis se-
 dēs, & Punica Græcāq; fide loquēs, ac instar trochi mo-
 dō hoc modō illud docēs, quid quæso, tibi tua ipsius loqui-
 tur cōsciētia? Sed illā forte aut rarō cōsulis, aut loquentē
 nunquā audis, ut q̄ ad eius uoces obsurdueris. Quare loco
 eius ipse tibi loquar, & quid tibi tandē sit euēturū diuina
 bo. Et ab his qui ueritatē puritatēq; profitentur Euan-
 gelicam, & a Papistis cultoribus Baal excides, ac instar
 uespertilionis, qui tantū in tenebris uolitat, & a qua-
 drupedibus, & a uolucris reijcietis, parti utriusque tum
 odiosus. Verū iam omīssis aliorū de te iudicijs te ipsum
 audiamus contra te loquentem.

*Retraetationis ad Paulinam crucem Londini à Ri-
 chardo Smythæo theologie Doctore & professore edita an-
 no Domini 1547. idibus Maijs, explanatio lucida &
 aperta ab eodem habita Oxonij eodem anno, nouo Calen.
 Augusti.*

Deus proteget gradientes simpliciter,
 inquit Salomon.



VM primum Londino dece-
 dens Oxonium uenisset, pau-
 cis post diebus, quā ē Pauli-
 no suggestu concionatus esse
 me in primis & ante omnia apertē, expli-
 catē, plenē hīc apud uos enarrare ac di-

uulgare oportuit, quã paulò antè ad Paulinam crucem publicè in maxima frequentia, & celeberrimo conuentu legerã, professusq; eram, retractationem, eamq; nõ mancam aut mutilatam, sed totam, & integram uobis proponere. In quo tamen me ipse prorsus fefelli, penitusq; decepi. Etenim quod in mea oratione maximũ prættermisi, & prætenuolauĩ, utpote quã tria mihi simul & eodem tempore declaranda & explicanda proposueram. E quibus primum erat, ut patefacerem, & demonstrarẽ actionem illam omnem, quã in meorum librorum erroribus conuellendis & reprehendis impenderam, paulinodiam non esse, sed retractationem: secundum autem erat illud, ut satisfacerẽ ijs, quos meæ retractationis calumniã male persuasos accepi in ea esse opinione quæ sacramenti, quod appellant, altaris, vim negat & violat (in quo sanè adest verum Christi corpus, & verus sanguis) nec non & baptismi, & lotionis, id est lauacri regenerationis. In istis autem explicandis animi contentio magna in primis & acris adeo me à reuocatione mei erroris abduxit, & auocauit, ut in ea recantatione, sic enim eã nũc apertè uoco, enarrãda & publicanda

blicanda haud multum operæ & laboris, ut eram pollicitus, posuerim. Quòd ad primum attinet, quandoquidem me retractasse, non recantasse asserui, intelligatis velim, non alio me nomine id fecisse, quam ut, quod erat à me patratum, excusarem. Tantundem enim significat retractatio, quantum palinodia, siue, ut loquitur, recantatio: atque tam latè patet hæc, quam illa: vtriusq; vis nominis eadè est natura par & similis. Iam verò permulti, qui vndiq; circumfusi ad me audiendum confluxerant, ut accipi ab honestissimis viris, cœperunt ex eo colligere, me à pristini & inueterati erroris mei uestigijs non discedere, sed veteri disciplinae pertinaciter inhærere, eamq; pugnaciter propugnare atq; defendere, palinodiamque meo nomine publicatam, aut meam non esse, aut me coactum & impulsum eidem assensionem adhibuisse. Eos autem tantopere de me errasse, molestè quidè fero: molestissimè verò, eos mea obscuritate in dicèdo lapsos esse, & mea culpa in fraudem ac errorem inductos. Qua de re vobis in præsentia legere institui meam hæc recantationem, quam eandem nuper ad Paulinam crucem edidi. Cui equidè non inuitus assensus sum, sed eam sponte ac li

berè sum complexus. Et sanè quò vobis sit exploratum & penitus perspectum, meam hanc esse disciplinā, meam doctrinam, meam fidem, eam ego, quantum in me erit, quantumq; viribus meis cōsequi potero, & in præsentī, & in posterum, si tempus & occasio tulerit, asseram atq; defendam. Atqui hoc loco à vobis vehementer contendo, & in Christo seruatore nostro obsecro vos, atq; oro, vt neque hinc meam orationē malè ac sinistrè torqueatis, ac deprauetis: neq; inde offensionem captetis atq; arripiatis: quippe qui vim cænæ Dominicæ non eleuem aut imminuam, nec baptismi auctoritatem violē neq; aliud quicquam, quod in sacrosanctis et canonicis literis cōtineatur, certè quod necessariò sit credēdum. Quòd verò literas scripsi ac dissipauī, ex quo ad Paulinam crucem meas opīones & errores reuocaui, easq; multiplicēs & varias quibus me vehementer meis excusare volui, & palinodiam dissimulaui, vnde nominis mei tuendi, & famæ retinendæ magis studiosus, quàm doctrine apertè & enodatè tradendę fuisse videar, quā equidē ex animo & cupidē & omni cogitatione profiteri cupiebam, quicquid, inquā, vel illis literis, vel alijs scriptis meis consignauī

signauī, vel prælectionibus tradidī, uel aliās exposui, id omne suspectum habeo, & mendaciū, ac erroris suspensum & ambiguum. Quod verò hoc tempore docendum suscepi, id quidem quoniam funditus penitusq; inuestigatū accuratissime probauī, explorauī, perlustraui, verū esse agnosco. Tritum vetustate prouerbiū est, Amicus Socrates, amicus Plato, sed magis amica veritas. Veritas amplectenda, veritas defendenda, veritas asserenda, veritas docēda est. Neq; mei nominis ratio ac studium, neq; aliorū de me opinio & expectatio, neq; amicitia eorum, quos vel charissimos habeo, neq; alia res vlla, cuiusmodicunq; illa fuerit, tantum aliquādo apud me efficiet, vt veritatem erubescam. Non me præterit, quid veritatis author dicat: Quem mei meorumq; dictorum puduerit, huius pudebit filium hominis, cum in sua, & patris, sanctorumq; angelorum gloria venerit. Nunc ergo ad palinodia & recantationis meæ lectionem aggredior.

Sanctissimus ille propheta Dauid, Viri fratres, scriptū reliquit: Omnis homo mendax: quibus verbis significauit, omnem hominem sua natura corrupta & vitiata, procliuem ferri ad mendacia. Quæ sane

sententia, quàm sit vera, vetustissimi pariter ac optimi authores, quos habuit Christi Ecclesia, clarissimè testantur: quippe qui ad vnum omnes in scriptis & monumentis suis errauerint. Vnde Augustinus ille, ille, inquam, doctor celeberrimus in epistola ad Marcellam scripta de se ipse prodidit. Vos, inquit, qui me multum diligitis, si talem me esse asseritis, vt nunquàm in scriptis errasse me dicatis, frustra laboratis, nec bonam causam suscepistis: facile, me ipso iudice, superamini: quoniam nō placet mihi cum à charissimis meis talis existimor qualis non sum. Ex quo perspicere licet, sanctissimum illum Patrem Augustinum non grauatim errorem in scriptis suis agnouisse, & confessum esse. Id quod non verbis solùm testatus est, verùm etiam in libello quodam huic rei destinato, plurimos reuocauit errores suos, passimq; falsum se fuisse fatetur & ostendit. Eum autem librum Retractionum inscripsit. Iam tandē mēne puderet errores & lapsus meos confiteri in meo libello, quē edidī de Traditionib.: Ego nē me existimē conferendū cum hoc Patre ecclesiæ Christi celeberrimo, & doctore vetustissimo? An ea re in nullis nostræ religionis mysterijs Augustino fidem habituri estis

estis, quia in aliquibus errauit, erroresq̄
 suos multis in reb. literis prodidit, & mo-
 numentis consignauit: Ambrosius, Hie-
 ronymus, Chrysoſtomus, Hilarius, Cy-
 prianus, Origenes, Tertullianus, quot-
 quot deniq̄ extiterunt vlla ætate & me-
 moria christianæ ecclesiæ doctores, ali-
 qua ex parte in scriptis suis errauerunt, la-
 psi sunt, decepti sunt, falsi sunt, quod sanè
 illis qui eorum libros diligenter & cum
 iudicio legerūt, non est obscurum. Quid
 mirum igitur, si mihi idem quandoq̄ vsu
 veniat: Aut quorsum meorum errorū
 me pudeat: quidūe ea ipsa erubescam cō-
 fiteri: Annōn vt optimus quisq̄ summo
 dolore affectus est, propter mea in hoc li-
 bello errata, ita nunc mecum vnā lætari,
 & magnam voluptatem capere debet ex
 eo, quòd ad veri agnitionem in hac con-
 trouersia de traditionibus, decretis, ritib.
 cultibus, ceremonijs humanitus inuentis
 & excogitatis peruenerim: Ecquis non
 videt me iure ac meritò vehementer ex-
 cufare debere meam infirmitatem, culpā
 quæ deprecari, atque à vobis veniam po-
 stulare: Quam quidem impetrasse me à
 Regia maiestate non diffido: tum præte-
 reà idem consecutum esse me ab honora-
 tissimis illius consiliarijs facilè spero.

Quorum clementia & benignitate mihi indultum & permissum est, vt hoc loco errores meos ostendam, & hæreses in libro de Traditionibus, quem nuper in lucem edidi ad hunc ferè modum inscriptum, Institutio compendiaría, in qua declarantur vera quædam necessariò credenda, omninòque obseruanda, cum interim in sacris literis non habeantur, sed Ecclesiæ ab Apostolis per manus tradita sint, à Richardo Smythæo theologiæ doctore & professore edita & diuulgata. Quem ego libellum reuoco, improbo, conuello, abijcio, mendaciæ & impietatis coarguo, propter multiplices, qui in eo continentur, errores: è quibus confestim quædam particulatim recensebo. Quo facto veram vobis doctrinam, & vniuersam de his omnibus, quæ ego in eo libro tractaui, disciplinam tradam, & aperiam, vt inde cognoscatis, quònam modo à Christianis hominibus intelligenda sint, ne quis in illis erret, & decipiatur.

In primis quòd in libro meo de Traditionibus, de pontificum autoritate in legibus ferendis, & decretis sancendis, quibus populum obtemperare oporteat, ad hunc ferè modum locutus sum: Debere homines

homines mādatis & institutionibus pontificum in omni re licita, iusta, & æqua parere sub pœna damnationis æternæ. Atque item hæc Matthæi. Quod dicunt, facite, quod autem faciunt, nolite facere, docui, non ad ea tantum pertinere, quæ in sacris literis continentur, sed ad alia etiam Ecclesiæ decreta spectare, & ad Leges, quæ sciscuntur à ministris, præter scripturæ sacræ auctoritatem: etiamsi ijdem illi, qui Ecclesijs regendis, Verbo Domini dispensando, & sacramentis administrandis præficiuntur, iure suo abutantur, & lucrum privatum quæstumque sectentur: Quod quæ prætereà tradidi, magis esse consentaneum rationi, vt populus obsequatur & obediat decretis pontificijs, in re indifferenti & mediâ, quàm vt domino suo seruus obediat, aut patri filius: eoque omnino modo Christianos astringi ad omnia præstanda, quæ sciuerint, & iusserint pontifices, quo subditi obligantur, vt obtemperent regibus, in rebus quæ in scripturis non continent, modò illis ne aduersentur ac repugnent, hæc, inquam, omnia in præfenti à me iam cōmemorata, vt errata reuoco, vt falsaco arguo, vt impia cōdēno

Ac primum quidem assero, & affirmo, tã Pontificis Romani, cuius nunc ius omne meritissimò aboletur & abrogatur, quàm aliorum vel episcoporum, vel ministrorum authoritatem in verbo Domini prædicando ac dispensando positam esse, nõ in legibus iubendis, aut sciscendis decretis præter legem diuinam, id est, nouum & Vetus Testamentum, & præter consensionem & autoritatẽ Regis atq; populi.

Secundò asseuero atq; adeò confirmo, nullum aut episcopum aut ministerium Ecclesiæ ius habere aut homines cogendi, aut conuentum aliquem solenniter celebrandi, aut leges ferendi, aut decreta sancienti, sine authoritate sacrarum literarũ, nisi & princeps & populus assentiatur. Quòd si quandoq; eiusmodi leges promulgarint, nemo illis astringitur obedire.

Tertiò affirmo, in illis regionib. in quibus eiusmodi leges latæ fuerint, & Regũ authoritate confirmatæ, earum Legum vim pendere non tam ex episcoporũ nutu, quàm ex iussu principum.

Quartò assero tam intra hoc nostrum regnum Britanniæ, quàm etiam alibi, quo cunque Regis nostri imperium & ditio pertinet, nullã nec legem, nec institutionem, nec decretum Ecclesiasticũ ne minima

nima quidem in re vel tantillum habere ponderis, à quocunq; authore profecta sint, nisi eadem aut Regiæ maiestatis edicto, aut publico totius regni conuentu (quod Parliamētū appellamus) sanciantur.

Ad hæc quod in libro illo meo, quem dixi, de Traditionibus scripsi, sacerdotiorum decimas ijs duntaxat debitas esse, qui Euangelium prædicant, nec cuiquã fas esse aut licere, decimarum fructum capere, qui non inseruiat altari, id est, non concionetur verbum Domini, sed crimine violatæ religionis ad reddendos & restituendos fructus, quos perceperint, obligari (quæ quidẽ sententia, vt verbo præferunt, seditiosa videri possit aduersus Regiæ maiestatis edicta, & huius regni leges, quæ nonnullis & laicis hominibus decimas concedunt: qua de re, si verborum ratio curiosè inquirat, nolo ne in animo quidem aut tacita cogitatione id ipsum propugnare) hoc vos oro obsecroq; vt liceat mihi verba malè collocata candidè exponere: me videlicet Laicos non eo animo intellexisse, quo regni huius legibus aliquid derogarem: sed laicos appellasse pastores ecclesiasticos, & sacrificos: qui cum decimas accipiant, & eisdem vantantur & fruuntur, tamen officio suo, pro

eo ac debent, non funguntur.

Quod autem & in lib. illo meo de Traditionibus, & in eo quem inscripsi de Sacrificio Missæ, Damascenum secutus & alios auth. antiquos, discipulos Christi quosdam canones & regulas condidisse, quos in vnum Clemens coegerit, eosque perinde retinere oportere vt ab Apostolis traditos, nec minorem illis fidem habendam esse quam si in sacriliteris continerentur, postremò de illis nefas esse ambigere aut dubitare: nunc multa lectione earum rerum, quas antea non admodum animaduertentem persuasus, fateor atque etiam profiteor, et præ me fero, eã doctrinam vanã, fictam, iniquam, & Christianis conscientijs intolerabilem esse: et illos canones Apostolorũ nomine vulgatos, ab Apostolis non fuisse confectos, nec collectos à Clemẽte. Et quamuis ab illis cõscripti fuissent, eos tamen non ad aliud quã ad ordinẽ et eutaxiam valere oportere, & ad aliquod tempus, non in perpetuũ durare, e quibus permulta hoc tempore omnino seruanda non sunt. Eos autẽ canones qui adhuc in Ecclesia retinentur, vim diuinis legibus æqualem & parem habere, non est cogitandum. Neque enim aliqua religione obligant conscientias, aliter

aliter quā vt res ab hominib. inuenta & ordinatę: quę etiā tolli possunt & abrogari per magistratū sine vlla religionis violatę conscientia. Quo ex genere alia etiam permulta sunt quorū partim iam dudū sublata sunt, partim sunt interse pugnancia.

Ad hæc in eodē illo libro meo de Traditionibus asserui, Christum & apostolos multa tradidisse Ecclesię non scripta, quę tamē nobis firmiter credenda, & diligenter obseruanda sint sub pœna eterne cōdēnationis. Ex quib. nominatim multa cōmemorauī cuiusmodi sunt ista, Telephori, vel vt solēt loqui, Quadragesimæ ieiunium, quo interdicitur hominibus vino et carnib. Asseruatō Sacramenti in pyxide: eiusq; receptio de manu sacerdotis: Lauacri regenerationis lustratio: Linea illa vestis cādida, qua post baptismū infans induitur, quę ab imperitis sacrificulis chrismale dicitur: Infantis terna immerfio Olei consecratio: infantis baptizati vnctio Altariū sanctificatio: cōsuetudo precādī ad Oriētē: Suffitus altariū Manuū lotio: cōfessio: Sacramēti eleuatio: Aquę lustralis cōfectio: opinio illa qua adducti homines crediderūt duodecim Apost. duodecim articulos fidei cōposuisse, hoc est, pro se quęq; particulā aliquā symboli

confecisse, & alia denique id genus infinita
Eodem modo loquutus sum de canoni-
bus, institutis, decretis pontificum, syno-
dorum, conciliorum. Hanc autem doctri-
nam, qua istae traditiones obtruduntur
sub poena aeternae condemnationis ob-
seruandae, uanam esse, falsam, iniquam, ty-
rannicam, imò onus esse conscientiarum
indignum prorsus quod doceatur. praedi-
cetur, defendatur, assero, atque affirmo.
Ad eundem modum quod de rebus cre-
dendis dixi, multa esse non comprehensa
sacris literis, quae non minus credenda sint,
quam quae in uerbo Dei expressè conti-
nentur, in quibus temerè & inconsidera-
tè multa recensui ex illis, quae ante dixi, &
multa eius generis alia, quod ad multa,
uel potius quod ad multò maximam par-
tem quae in illo libro congesi, attinet om-
ni asseueratione affirmo, ea falsa, uana, in-
iusta, periculosa esse, & onera Christianis
conscientijs non ferenda. Verùm tamen
erat, quod dixi, in his tantùm, quae neces-
sariò colliguntur, & ut aiunt, consequun-
tur ex ipsa serie, & contextu sacrarum li-
terarum, quae si uerè loqui uolumus, in il-
lis continentur: quamuis disertè non ex-
primantur: quo ex numero perpauca sunt
in meo libro: pauca tamen quaedam re-
cen-

cenſui, qualia ſunt, Baptiſmus puerorum, Deſcenſus Chriſti ad inferos, Virginitas Mariæ, Trinitas perſonarū, Proceſſio ſpiritus ſancti, & alia non multa.

Quoniam autem veram intelligendi ſacras literas & germanam rationem, dignitatem authoritatem à ceteris aliorum ſcriptis diſtinctam eſſe, eoꝛꝫ alijs nō ſcriptis traditionibus, (quæ per obſervationem multorum annorum, Eccleſiarum, canonum, decretorum, uagæ & erraticæ inuentæ ſunt) credibiliorem, ſolidiorem, & auſtioriorem eſſe declarare & exponere cōſtitui, equidem hoc loco profiteor & aſſermo meam in his fidem certam & ſtabilem, quæ ad me tam de ſcriptis traditionibus, quàm de non ſcriptis referebantur.

Scriptura noui & ueteris Teſtamenti inſtinctu & aſſatu ſancti ſpiritus conſcripta, quod ad fidē noſtram attinet, ita amplectenda & credenda eſt, ut de ea uel dubitare, uel quocunq; iudicio commutare quippiam, uel quacunq; poteſtate corrigere, uel addere ei aliquid, uel detrudere, nefas ſit. Itaq; ſub pena æternæ condemnationis credenda eſt, nec minore periculo in uitæ inſtitutione obſeruanda, à Deo omnipotente tradita, à ſpiritu ſancto inſpirata, à nemine mortalium authoritatē

Authori-
tas ſacrarū
lit er au

& fidem nacta, & idcirco à nemine violanda, nisi æternum perire velit.

Quæ in scripturis ad tempus man data sint.

Quæ in Actis Apostolicis alijsq; scripturæ locis tradita sunt, vt elementa quedam & initia, quibus infirmi in fide tanquam manu ducerentur ad altiora, ad aliud quod tempus, non in perpetuum duratura, fide iam incrementum capiente & confirmata, haud aliter, atque illorum author statuit, abrogata sunt, & antiquata. Quæ ad edendum aut bibendum, quæq; ad regenda capita, aut retegenda pertinebant, ad ordinem & decorum spectantia, ad tempus retinenda erant, nõ, vt Lex quedam æterna & incommutabilis, in perpetuum retinenda.

Quæ necessariò è sacris literis colliguntur.

Quæ traditionum nomine interdum appellantur, nec in sacris literis ad verbum expressa sunt, possunt tamen ex illis necessariò colligi, eousque credenda & obseruanda sunt, quoad ex contextu sacrae scripturæ verè colligi & consequi possunt.

Quædam è sacris literis necessariò non colligenda, credibilia tamè & fide digna.

Traditiones sub nomine ac titulo Apostolorum vulgatæ, à quibusdam authoribus eisdem attributæ, de dogmatis, quæ in sacris literis non habentur expressè, neque ex illis necessariò possunt colligi, nec ex illarum contextu consequuntur, legitime

legitimè interdum in dubium vocari, interdum negari, interdum repudiari possunt, præsertim si magistratus intercedat.

Tribuuntur multa Apostolis traditio-
num nomine, ab illorū vsq; tēporibus du-
cta, multa vetustissimorum authorū titu-
lo leguntur, ficta, supposititia, vana, super-
stitiosa, falsa, ab illis conficta, qui suā vole-
bāt autoritatē extollere: vt epistolæ Cle-
mentis, Analeti, Euaristi, Fabiani, aliæq;
nonnulla authore episcopo Romano, &
eius fraudis socijs edita: quæ in Ecclesiã
ab illis inuecta sunt, quib. studio erat præ-
textu & specie antiquitatis tyrannidē Ro-
manæ sedis euehere.

Traditio-
nes fictæ &
suppositi-
tiæ.

Ecclesiæ traditiones, siue reuera anti-
quæ sint, & longa cōsuetudine ab primor-
dijs Ecclesiæ & ab Apostolorū temporibus
traductæ, siue citra illa tēpora ex Re-
sponsis & Decretis Romanorū pontificū
inuentæ & traditæ, siue synodorū & Con-
ciliorū autoritate cōfirmatæ, de Vigiljs,
de Ieiunijs, de Genuflectionibus, de Suf-
ficiis, de Vnctionibus, de Benedictionibus,
ceterisq; id genus ceremonijs, & ritibus, nō
alios ille obstringūt, quā eos qui illas rece-
perūt: easq; desuetudine & cōtrarijs legi-
bus in quavis Rep. per magistratū aufer-
ri posse nō est dubiū. Proq; illis alij ritus,

Ad uitam
& mores
spectantia
de sacris liti-
ris non ne-
cessariò
collecta.

traditiones, canones, cæremonia, non incommode, & sine peccato aut scrupulo conscientia reponi possunt. Atq; ab his quæ iam dixi, Regia maiestati vel bonis & iustis de causis, uel etiam sua benignitate nulla de causa, integrum est suos ab illorum obseruatione exoluere ac liberare. Et quisquis hoc pacto erit à Rege liberatus, uti potest libertate sua sine metu, aut scrupulo conscientia, nõ aliter atq; in edictis, statutis, & promulgationibus, civilibus fieri solet. Secus autem longe fit in illis rebus, quæ præcipiuntur aut prohibentur in sacris literis. Nã ab illis nemo mortalis eximere quenquam potest, sine peccato & graui vulnere conscientia.

Hæc ego firmiter credo, & certissima fide teneo, quãtum ad traditiones uel nõ scriptas, uel scriptas & literis proditas, quantumq; ad ea omnia pertinet, quæ aut alius quispiã, aut ego ipse docuerim, scripserim, concionatus sim his meis assertionibus, & fidei uobis iam expositæ contraria. Quòd si quis posthac, quod Deus auertat, doceat, cõcionetur, prædicet quicquam his assertionibus cõtrarium, credite mihi, optimi fratres & certò scitote falsam esse illam doctrinã, & impiam, & diabolicam: eumq; quisquis erit, nefariè abuti

ti sacris literis, contra ueram, puram, syn-
ceram, integram, catholicam Ecclesiae di-
sciplinam. Et in hac fide, quam sex illis
meis assertionibus complexus sum, con-
stitui, optimi fratres, vitam meam pone-
re, & in ea propugnanda, si erit opus, iu-
uante Deo me ipsum omnibus periculis
exponere, si me Deus eo vocauerit.

Nunc venio ad alterum meum libellum
de sacrificio Missae: in quo praecipuus fi-
dei nostrae articulus, & ad remissionem
peccatorum, & salutem nostram maxime
pertinens, sic habet: Iesum Christum ser-
uatore nostrum pretiosa morte sua, &
effusione sacrosancti sanguinis in cruce
humanum genus redemisse, peccata no-
stra expiando, & patrem iratum placan-
do, & chirographum, quod erat contra nos
scriptum delendo. In quo sacrificio serua-
tor noster Iesus Christus, sicuti Paulus ad
Hebraeos apertissime testatur, non erat sa-
cerdos secundum ordinem Aaronis, quo-
niam fuit ex alia tribu, & quonia illud sa-
cerdotium erat imperfectum, & inutile,
utpote quod nihil ad perfectionem po-
tuit adducere. At seruator noster Iesus
Christus sacrificium in cruce absolutissi-
mum fecit & perfectissimum, ut unico il-
lo sacrificio per ipsum semel pro peccato

facto, opus non fuerit, vt aut ipse, aut alia creatura aliud sacrificium pro peccato faceret. Ob eamq; causam, vt Paulus ait, sacerdos appellatur in æternum secundum ordinem Melchisedech, nō autem secundum ordinē Aaronis. Hanc omnes Christiani fidem tenere debent, & eam sine vlla dubitatione palàm ac publicè confiteri sub pœna æternæ condemnationis, & pro ea in discrimen venire, si res & occasio tulerit. Quæ sanè doctrina longè sacratissima, & fidei nostræ maximè necessaria, hæcenus à me parùm fuit diligenter considerata. Quemadmodum magnæ eruditionis viris, in re simili multa scribentibus vsu venire solet, vt aliquando aliquem in errorem prolabantur. Ita ego in illo meo libro de Sacrificio Missæ, non satis consideratè scripsi, Christum non fuisse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, cum seipsum offerret patri in ara crucis pro peccatis nostris, sed secundum ordinem Aaron. Præterea autem Christum obtulisse corpus suum ad placandam iram patris secundum ordinem Melchisedech, non posse intelligi de victima, quam patri suo fecit in cruce, sed tantùm de sacrificio quod celebravit sub forma panis & vini in cœna. Cui sententiæ

tentiæ Pauli doctrina manifestissimè re-
 pugnat, tam in epistola ad Hebræos,
 quam alijs multis in locis, contra quem,
 præsertim Dei spiritu, quod non dubito,
 præditum, neque decet, neque volo quic-
 quam vnquam vel tradere, vel traditum
 defendere. Quocirca illud optimi fra-
 tres, humanæ imbecillitati imputate,
 meæq; negligentia. Tum enim magis
 quid ipse haberem in animo perpendi,
 quam quid immutabili veritati consenta-
 neum esset: magisq; propositi defenden-
 di studio ducebar, quam simplicis verita-
 tis inquirendæ. Ad hæc in eo libello asse-
 rui, sa crificiũ Missæ non modò ipsum esse
 corpus Christi, verum etiã eandem ipsam
 esse oblationẽ corporis & sanguinis Chri-
 sti, quã ipse semel tantum fecit ad iram pa-
 tris placandã in ara crucis. Afferui præ-
 terea sacerdotes in Missa quotidie con-
 tinenter offerre, non modò idem cor-
 pus Christi, sed etiam ad eundem finem
 & affectum, in quẽ se Christus patri ob-
 tulit in cruce. Ex quibus verbis nisi cautè
 prudẽterq; intelligãtur, magisq; candidè
 atq; alio sensu accipiantur, quam quẽ ipsa
 præ se ferunt, colligi posset sacrificulos
 in hac parte Christo ipsi æquales & pares
 esse: hoc est, & sacerdotes esse secundum

636 PETRI MARTYRIS
ordinem Melchisedech, & placare indignationem caelestis patris, perinde crucifigentes Christum in eundem finem & usum, in quē se ipse in cruce obtulit. Quae sanē doctrina blasphemia intolerāda est, & auribus Christianis indigna. Christus enim, ut ait Paulus, semel sub finem seculorum ad tollendum sacrificio suo peccatum uenit: & semel oblatus est, & uno sacrificio omnia in perpetuum perfecit. Semel enim ipse se obtulit in cruce, ut nos redimeret, eodem uidelicet ipso die quo passus est, neq; antea unquā oblatus, neq; postea offerendus, nisi in sacramento tantum & commemoratione. Sic enim Christus de vltima coena sua loquitur: haec quotiescunq; feceritis, in mei commemorationem facietis. Semel pro peccatis nostris mortuus est, semel pro iustificatione resurrexit. Vno sacrificio perfecit in perpetuum credentes, nunquā amplius moriturus. Sacrificiumq; eius adeo plenum, integrum absolutū fuit, adeoq; Deo acceptum & gratum, ut pluribus victimis & sacrificijs ad pacificandum Deū non sit opus: neq; pro praeteritis tantum peccatis vnum hoc sacrificium satis fuit, sed etiam pro omnibus peccatis quae futura sunt usque ad extremum iudicium. Nunc
pluribus

pluribus sacrificijs pacificatorijs non est
 opus, nec plurib. opus est sacerdotibus:
 ad illud, illud vnum atq; vnicum respice-
 re, mentemq; & cogitationem conuerte-
 re, & illius sanctissimi, integerrimi, puris-
 simiq; agni memoriam subinde replicare
 oportet, qui tum semel in perpetuum of-
 ferebatur. Attamē ea, quæ paulò ante cō-
 memorata sunt, me scripsisse & asseruisse
 negare non pōssum. Atq; vt iam tandem
 ad me rediens nullo modo probo, ita Au-
 gustini aliorumq; doctissimorum uirorū
 exemplo, ea reuocare, & retractare, &
 prorsus abijcere non erubesco. Meam e-
 nim ipsius opinionem sequens sacris lite-
 ris non satis instructā, primū, vt est ho-
 minum natura, errauī: deinde cum sacris
 scripturis aperte pugnantia conscripsi.
 Quare omnibus author ero, vt fidei & re-
 ligionis nostræ mysteria in verbo Domi-
 ni fundare studeant: quod cum verū cer-
 tumq; sit, fallere & in fraudē aut errores
 inducere non potest: ne si secus fecerint,
 in superstitionem & idololatriā, aliosq;
 errores infinitos & in explicabiles inci-
 dant: quemadmodum mihi alijsq; com-
 pluribus non ita pridem usuuenit. Quan-
 quam non eō in hunc locum ascēdi, quō
 quenquam accusarem. Quapropter hos

638 P E T R I M A R T Y R I S
ego duos libellos, quorum alterum scri-
pli de Missæ sacrificio alterū de non scri-
ptis traditionibus, cæterosq; omnes sicu-
bi sacris literis parum cōsentiunt, respuo
& erroris mendaciq; coarguo: &, quia
cum verbo Dei pugnant, impietatis con-
uinco atque condemno. Ad hæc, omni-
bus precibus à te contendo, Christiane
lector, quisquis eris, ad quem errata illa
mea peruenient, vt ne illis plus tribuas,
aut credas, quàm ego vellem, hoc est, ne
eos libros ita complectaris, vt de quo-
rum fide dubitare aut ambigere nefas es-
se putes: sed vt ab homine scriptos, suspe-
ctos habeas, quē aliquid latere potuerit,
qui errori sit obnoxius, qui labi, falli, deci-
pi possit. Quod si eiusmodi erunt, vt cum
sacris literis non videantur pugnare, ta-
men ea ab hominibus inuenta esse cogi-
ta, quæq; vel vera esse possint, vel falsa.
Verum ubi apertè aduersabuntur verbo
Dei, ea falsa & vana esse persuasum ha-
be: meque proinde, quòd ea scripserim
magnopere dolere. Quare omnes vehe-
menter oro, vt sibi ab erroribus meis ca-
ueant, neque illis ex hac parte fidem ha-
beant, qua cum sacris literis non conue-
niunt, sed eos non minore studio & cau-
tione fugiant, quàm solent grauissimas
labes

bes declinare, & veritatem verbi Divini, & omnipotentis Dei gloriam promoveri, cui sit omnis honor in secula seculorum. Amen. Quòd autem nonnullos aliqua ex parte mea doctrina offensos intelligo, qua pridem hìc apud vos Oxoniì docui quatuor ad iustificationem requiri & concurrere: nimirum, promissionem Dei, merita Christi, personarum atque operis dignitatem, eos certum est de me errasse, quæ ego hominis iustificati opera esse dixi, ea iustificationi nostræ, siue homini iustificando tribuentes. Cæterùm, ne quis posthac de mea fide & conscientia dubitet, in hoc negotio iustificationis, hæc mea de iustificatione certa & vera est doctrina: cui firmiter assentior, de qua persuasus sum, quam semper professus sum & docui, ex quo docendi munus primùm suscepi, & in qua perpetuò manere, favente Deo, certò constitui. Hoc est quod dico, atque adeò confirma, optimi fratres, hanc doctrinam, sola fide in CHRISTVM nos iustificari, non novam, aut nuper inuentam esse, sed sapissimè ab antiquissimis doctoribus usurpatam: vt ab Origine, Basilio, Chrysostomo, Ambrosio, Bernardo, aliisque compluribus; veràmque

eam & indubitatum esse hac mente atq;
hoc animo ab eis proditam, quo secludūt
& semouent omnia hominum merita,
quantumuis speciosa: quoq; soli Chri-
sto ascribunt iustificationis nostræ gloriā
& meritū, illiusq; sacratissimo sanguini,
& passioni, qua sola sanctificamur, libera-
mur, iustificamur: addo etiam hanc do-
ctrinam ab illis in hunc finem usurpatam
esse, quò superbia nostra & supercilium
deiciatur, & omnis prorsus gloriatio tol-
latur, præsertim quod ad opera pertinet,
vt verè imbecillitatem nostram & infir-
mitatem agnoscamus, & diuinam erga
nos benignitatem: non tamen quod li-
ceat homini Christiano opera bona con-
temnere, aut quò putemus vitam Chri-
stianam ociosam esse oportere & desidē,
metu Dei destitutam, & spe, poenitentia,
emēdatione, charitate, precibus, ieiunijs,
elemosynis, obedientia, alijsq; bonis o-
peribus à Deo præceptis vacuam: sed
vt verè agnoscamus, etiam cum omnia fe-
cerimus, tamen nos seruos esse inutiles,
nec dignos quibus propter opera nostra
gratiæ agantur: sed mera Dei misericor-
dia, propter merita filij ipsius dilectissimi
Iesu Christi nos saluos esse factos. Quæ
perfectò doctrina de solius fidei iustifica-
tione

catione, & vera est, & catholica & dignissima, quæ & ab omnibus doceatur, & omnibus inculcetur: quã vetustissimi doctores, quos quidem ego legi, profitentur & docent. Ad hunc ergo modum iustificatio fidei omnibus Christianis rectè tradi potest, quamuis à nonnullis deprauata, & sinistrè detorta fuerit. Quòd si quis ita sibi persuadeat, se posse bene & sanè credendo vitam æternam consequi (si tamè hoc possit fieri) quamuis malam & flagitiosam vitam ducat, aut ex fide sua nihil agat, eum ad agendum tempus suppetat, temerè sentit, impiè & insanè iudicat, atque ita, vt nemo antehac vnquam Christianus vel doctus, vel sanus, aut scripsit, aut sensit. Omnes enim scripturæ aperte loquuntur: Qui me amat, mandata mea seruat: Oues Christi vocem eius audiunt, & ex illa vitam suam moderantur. Quare qui ita interpretantur eorum sententiam, qui hominum sola fide iustificari concionantur & docent, quasi nihil boni operis fieri suaderent malè de illis sentiunt, & illorũ dicta prauè detorquēt, nec eos omnino intelligunt: quorum omnis ratio & consilium, vt ego arbitror, in hoc versatur maximè, vt nostram imbecillitatem, Dei verò bonitatem, nostram infirmita-

tem, Dei beneficium, nostrorum operum
 imperfectionem, seruatoris nostri ingen-
 tem erga nos fauorem & gratiam: nostro-
 rum animorum abiectiōem, crucis Chri-
 sti gloriam, totius deniq; humani generis
 debilitatem & fragilitatem, Dei autē po-
 tentiam & amplitudinem patefacerent
 & commonstrarent. Atq; vt ingenuē fa-
 tear, & liberē dicā, quod sentio, omnia ie-
 iunia, oēs preces, eleemosynę, castigatio-
 nes, tormenta, angustię, paupertas, igno-
 bilitas, abstinentia, omnia deniq; quę vel
 facere quis, vel pati possit, nō satis digna
 sunt, quo promereantur remissionē pec-
 catorum. Nam sola misericordia & immē-
 sa benignitas omnipotentis Dei propter
 mortem filij sui Iesu Christi, nos ab omni-
 bus peccatis liberat, & omnibus nostris
 delictis meretur veniam, nosq; Deo gra-
 tos & acceptos facit. In quem vnum cre-
 dentes, in eoq; omnē fiduciam collocan-
 tes, illiq; per omnia adhærentes nunquā
 falli aut decipi possumus: sed illo solo ni-
 tentes vnā cum illo ad domiciliū pa-
 tris cælestis migrabimus. Huc

usq; Richardus
 Smythæus.

Oblatum

Oblatum etiam mihi scriptum est ab Anglo quodam viro doctissimo, quemadmodum meus iste Smythæus ante annos plus minus viginti se Oxonij gesserit coram Reuerendissimo patre D. Hugone Latimero episcopo tum Vigornienfi, & quemadmodū sententiā suā in re grauiſſima bis mutarit eodem die. Quod, cum & fide dignum uideretur, & cum aliorū doctorum hominū, & proborum uirorum sermonibus, quibuscum mihi Oxonij consuetudo fuit, & cum publica fama consentiret, non alienum putauit fore, si hoc loco subiicerem.

Richardus Smythæus professor theologiæ Oxonij in Anglia, cum Dominum Latimerum Episcopum Vigornienſem illò venturum, & lectioni suæ postero die interfuturum accepisset, schedulam in hanc sententiā valuis scholæ theologiæ affixit: Richardus Smythæus erastino die prælectionem ordinariam intermitteret, & partem aliquam è quinto capite ad Romanos interpretabitur, ratus id fore ex usu auditorij sui. Eo die Dominus Latimerus in scholam venit: confluit eodem studio videndi episcopi, & rei expectatione tota ferè Academia Smythæus ut erat pollicitus è quinto capite ad Romanos. Iustificationem, ex sola fide docere aggreditur, hæc verba disertè, & sepe, & asseueranter ingeminās: Sola fides, sine vllis operibus, sine vllis meritis nostris, imò, inquit, si latinè liceat ita dicere, solissima & vnissima fides nos iustificat: tantæque contentione de veritate huius propositionis disseruit, vt maiore nemo potuerit: sicuti testari possunt, quotquot tū erāt Oxonij studiosi, qui ad huc in viuis sunt. Imò ne quidem ipse Smythæus quāuis alioqui impudentissimus negare hoc aude-

bit. Finita prælectione. D. Latimerus illi gratias egit, alium se eum virum præsentem expertum esse dicens, quàm antè ab alijs exceperat: idq; se obla ta occasione etiam Regi significaturum affirmat. Iam scilicet Smythæus id, quod auidè captauerat, erat consequutus. Latimerus eodem die Londinum versus proficiscitur. Eodèq; die, Doctor Cetus, D. Kingus paulò antè Abbas Bruernësis, D. Masse alius Abbäs, & alij quidam ex Bennardi no collegio Smythæum conueniunt de erroribus, vt dicebant, quos in eius diei prælectione nefandos docuerat. Grauius cum eo agunt: & quia res paucis explicari non posse videbatur, omnes ad diuersorium D. Georgij extra portam borealem non procul à templo Mariæ Magdalensæ conueniunt, vbi ego quoque inter cæteros aderam. Ibi cum inter pocula grauissimè obiurgant, illum omnem iuuetutem Oxoniensem eius diei lectione tanquàm veneno infecisse, erroresq; intolerabiles, & si persistat in ea opinione, hæretica etiam docuisse. Post multum tñ citroq; iactata, tandè Smythæus pollicetur se postridiè esse satisfacturum: atq; ita discessum est. Postero die eodem in loco, vbi pridè præsentè D. Latimero docuerat, vt dixi, solius fidei iustificationem, sententiam suam reuocauit. Intelligere enim se dixit, esse quosdam qui illa lectione offenderentur. Orabat tamen vt ætati ignoscerent. Iuuenem enim esse se (quod multis perridiculum videbatur, præsertim cum sublato pileo caput incanum ostenderet) & proinde non mirum esse, si ob præsentiam tanti viri,

& inusitatæ multitudinis conspectum
attonito sibi quædam exci-
dissent impru-
dentius.

Addam

Adam insuper epistolas duas Smythæi, quas ille ad reuerendissimū in Christo D. Cantuariensem scripsit è Scotia, è quibus intelligi potest, quanta eius sit in religione constantia.



SCRIPSI sub initiū ultimi Februarij, præsulū decus, ad reuerendissimam dominationē tuā, culpam meam, quam in te admisi temerarius, deprecans uenementer, rogansq; eandem quāmenixissime, ut mihi velis ab rege nostro condonationem impetrare, impetra tamq; ad me deferendam curare. Id quod si pro tua benignissima placabilitate, qua apud omnes æquos saltem iudices, quā optime soles audire, mea gratia feceris, bona fide pollicebar, ac nunc rursum polliceor, me intra dimidiatū annum à meā in regnum reditōne, exaraturum Latine libellum quendam de Nuptijs sacerdotū, ac alijs aliquot de rebus, unde longè plus honoris & decoris regi nostro, eius consularijs, tibiq; in primis sit emanaturum, q̄ dedecoris & ignominia ex meo discessu, illincq; meis proditis scriptis ad eosdem profluxerit hætenus. Non ignorat honorandissima tua dominatio, quā soleat Deus non simul nec semel omnibus iura

retegere dogmata. Imprecor mihi exitiū
maximū illud, si quicquā improbo unquā
scripserim affectu: nec diutius vivere cu-
pio, q̄; velim esse semper paratus & au-
dus discendi veri, erratāque corrigendi.
Non scribo isthæc, Archiepiscopo orna-
tissime, quòd desit mihi, vnde viuā splen-
didè: sed quòd vrgear quotidie ab his qui
bus, si diutius hîc perduraro, quod postu-
latur, nequeo denegare, vt excudam re-
sponzionem ad tuæ dominationis libel-
lum de Eucharistia, & scribam de thesi-
bus quadraginta theologicis, contra o-
mnia vestra dogmata: quod incolumi
proculdubiò cōscientia facere non
possum. Ex urbe D. Andreae
x1. Februarij.

Tuæ reuerendissimæ
dominationis studio
sus Richardus Smy-
thæus.

Altera epistola scripta erat Anglicè: eam Latinè bona fide, & uerè redditam hoc loco subiicimus.



SCRIPSI literas ad dominationem tuam, alteras in Ianuario proximo, alteras ad decimum Februarij, quib. & causas indicaui, cur ita subito ac temerè à tua dominatione discesserim, & mare transmiserim, & dominationē tuam obsecrabam, pro misericordiā tua, qua soles uti erga eos, quos malè factorum suorum poenitet, ut & ipse condonares mihi iniurias omnes quas dominationi tuæ feci, & regiae maiestatis condonationem, quacūq; in parte eius leges violarim, scripto mihi impetrares. Quam condonationem quum recepissem, pollicitus sum me in Angliam statim rediturum, & intra semiannum à reditu librum de Sacerdotū connubio Latinè editurum, quæ iusta satisfactio esse posset pro eo, quicquid antea in contrariū scripserim. Reliqua q; omnia dogmata vestra tum demū me polliceor libèter amplexurū, ubi Deus mentē meā, ut ea citra conscientiae læsionē agnoscam, doceatq; erudierit. Non ista scripsi, quòd desit mihi, unde viuā satis commode: sed quòd absentia mea dedecori sit, &

regis maiestati, & toti regno, & quod mihi
neceſſe ſit, ſi tres meſes longius hinc re-
manſero, reſponſionem ſcribere contra li-
brum illum dominationis tuæ, & librum
aliū locorum cōmuniū contra omnia
dogmata quæ nunc in Angliā regię maie-
ſtatis authoritate recepta ſunt: quod ſal-
ua conſcientiā facere non poſſum. Qua-
propter obſecro dominationē tuam per
amorem Dei, effice vt redeam domum,
q̄ poſſis citiſſimē. Spero, nunquā te illius
facti pœnitebit. Ex urbe D. An-

drea 14. Februarij.

E R.

ERRATA SIC CORRIGITO.

Pagina 10. uersu 22. testificationem. 14. 17. Deum.
 22. 22. ut. 27. 6. hypocriseos. 29. 32. filiū. 33. 27. in.
 ibidē nubere uolunt. 36. 1. πρῶτος. 41. 31. πρῶτη.
 56. 14. editū. 60. 29. uoucant. 80. 17. manuum. 101.
 12. abutiturne. 246. 29. habemus. 259. 27. nefas.
 265. 5. libidini. ibid. 31. infirment. 277. 32. parere.
 312. 14. solenniter. 287. 6. uertendum. 292. 12. ἔχουσαι.
 293. 4. sermonem. 327. 27. ualeat. 327. 22. arbitraren
 tur. 328. 27. Christum. 301. 29. Paulum. 331. 24.
 fraudēt. 305. 25. nō. 340. 5. calibatus. 357. 5. indu
 cerēt. 370. 29. uisitāt. 375. 25. uerē. ibid. 32. religionis
 377. 7. diximus. 378. 4. Christianos. 385. 24. accessē
 rint. 351. 21. cuius. 387. 28. testimonio. 413. 27. ini
 tiatis. 403. 1. concionentur. 414. 22. cedam. 404.
 18. à quo. 437. 28. dānauit. 432. 1. nolentib. 456.
 4. subleuent 461. 9. uidimus. 451. 25. allata. ibid.
 36. coniugibus. 483. 26. redeamus. 551. 1. uouere.
 515. 11. aggregari. 528. 13. ista. 532. 1. Chrysostomus.
 ibid. 23. accusationibus. 547. 29. sunt. 544. 9. cum.
 568. 1. colores. & 27. quasi. 569. 21. sumus. 573. 14.
 genere. & 28. nimirum. 576. 2. reuerentiam. 577.
 8. quatuordecim. 578. 12. Calcedonen. 579. 32. unus.
 598. 4. adulteria. 603. 8. solennis. 607. 28. fuit. ibi
 dem 31. tyrannis.

275057f

THE HISTORY OF THE

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

